




SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS



Italy
Catholic Church

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE
PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. II.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXIX.

IUS PONTIFICIUM

DE PROPAGANDA FIDE

SS. D. N. LEONIS XIII. P. M.

IUSSU RECOGNITUM



generalis, et fr. Ioannes Luendo Indiarum commissarius generalis, compromissarii capituli generalis Romae celebrati sub festo Pentecostes anni praeteriti MDCLXXVI. vigore decreti sequentis: – Pro causis provincias Indiarum Occidentalium concernentibus, quae in hoc capitulo fuerunt propositae, definitorium generale compromittit in reverendissimum patrem nostrum ministrum generalem et reverendissimum patrem commissarium generalem Indiarum in curiâ regis catholici consistentem, ut, habitis earum notitiis quae in capitulo desiderabantur, provideant et disponant, prout in Domino magis expedire iudicaverint: – pro huius compromissi adimplemento in hoc conventu Sancti Francisci Madriti convenimus ad decidendum et determinandum dictas causas, et id decernendum quod religionis bono magis expedire iudicaremus.

Causa alternativae in provinciis Limana et de las Charcas.

« Cumque causarum in dicto capitulo generali propositarum una sit stabiliendi vel revocandi alternativam officiorum in provinciis XII. Apostolorum Limanâ et S. Antonii de las Charcas inter religiosos ex Hispaniâ oriundos et Indiarum nativos, comperimus in formâ sequenti processum fuisse:

Quid in hac causâ hinc inde antea gestum fuerit.

« Quod in capitulo generali Romae de anno MDCLXIV., ad instantiam et exhibitionem patrum custodis Limani, custodis de las Charcas, prominístri et custodis de Quito, prominístri et custodis S. Fidei, et prominístri de Chile provinciarum Peruanarum, die v. iunii in definitorio generali emanavit decretum sequens: – Suppositâ provinciarum petitione, conceditur alternativa sicut in Nova Hispania uti solet: – et quod pro parte patris prominístri Limani habitus fuit recursus ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, ut dicti decreti executio impediretur: et, citatis partem facientibus supradictis, die XIX. (1) iunii eiusdem anni, et die XX. immediate sequenti, huiusmodi recursus in dictâ Congregatione admissus fuit, mandatumque supersederi in executione praefati decreti omnino: quodque sub eâdem datâ XX. iunii ad instantiam dictorum prominístrorum et custodum obtentum fuit Breve ab Alexandro Papa VII., quo dictum alternativae decretum confirmari et executioni demandari iniunxit: et quod reverendissimus pater fr. Andreas Guadalupe commissarius generalis Indiarum, visis dictis Brevi et decreto, per suas patentes iussit executioni quoque demandari, authenticatoque toto negotio per regium Indiarum consilium, actum fuit desuper in definitorio provinciae Limanae praedictae die XXX. septembris MDCLXVI., et maiori votorum suffragio resolutum fuit quod desuper fieret supplicatio, praefixo ad id per commissarium generalem provinciae biennii termino, ut exhiberentur inconvenientia allegata: subindeque in capitulo generali Vallisoletano anno MDCLXX. iterum stabilita fuit dicta alternativa generaliter pro provinciis Indiarum Occidentalium, reverendissimo Indiarum commissario generali dato in mandatis ut illam ad executionem deduci procuraret in illis provinciis, quibus effectum sortita non fuerat: cumque in dictis provinciis Limana et de Charcas sequuta non fuisset executio pro eo quod allegabant non adfuisse proponendorum supplicationis et motivorum opportunitatem, in congregatione generali Toletanâ anni MDCLXXIII. iussum fuit definitoria dictarum provinciarum suas proximo capitulo generali informationes exhibere, suspensâ interim dictorum statutorum executione: ad cuius iussionis normam in proximo capitulo generali Romano MDCLXXVI. exhibitae fuerunt informationes dictorum definitoriorum ex unâ et alterâ partibus cum instrumentis facultativis religiosorum in Hispania progenitorum, aliae itidem allegationes et informationes: et quia opus erat quibusdam notitiis hac in curiâ procurandis, definitorium generale fecit in nos compromissum, prout in supra scripto decreto: tandemque, ne resolutioni obstaret Sacrae Congregationis Regularium inhibitio anno MDCLXIV., ad eamdem recursum fuit, factâ relatione commissionis nobis super hac causâ a capitulo generali proximo delegatae, institumque fuit revocari dictum inhibitivum decretum, nobisque committi causam: unde ab eâdem Congregatione emanavit sequens decretum: – Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, veris existentibus narratis, et praeviâ suprascripti decreti ab ipsâ Sacrâ Congregatione de anno MDCLXIV. emanati revocatione, censuit committendum, prout praesentis decreti tenore committit, patri ministro generali Ordinis et

(1) Edit. Main. legit 29.

patri commissario generali Indiarum, ut, coniunctim procedentes, ad praescriptum decreti capituli generalis, circa ius praedictae alternativae id statuant atque decernant, quod, pro eorum arbitrio et prudentiâ, quieti et beneficio praefatae provinciae Limanae in Domino magis expedire censebunt; non obstantibus quibuscumque; Romae, XII. iunii MDCLXXVI. –

A compromissariis firmata est alternativa in provincia Limana.

« Quibus omnibus per nos inspectis ex instrumentis authenticis nobis exhibitis, visisque partium hinc inde informantibus, ponderatisque utrinque allegatis, aliisque omnibus pro firmiori resolutione considerandis, auctoritate nobis concessâ non solum ex compromisso praedicto definitorii capituli generalis, verum etiam ex relato Sacrae Congregationis Regularium decreto, ordinamus et mandamus stabiliri et observari in dictâ provinciâ XII. Apostolorum Limanâ alternativam officiorum inter illius religiosos in Indiis procreatos et in Hispaniis progenitos, et de facto illam stabilimus formâ sequenti:

Modus servandus in dictâ alternativâ officiorum.

« Quod provincialis uno triennio eligatur et sit ex unâ parte, adeout, si obierit, aut aliâ de causâ durante triennio vacaverit, minister provincialis, vicarius usque ad celebrationem capituli sit et eligatur ex eâdem parte; alioque triennio eligatur et sit ex aliâ, servatâ eâdem formâ; custos vero, si adfuerit, eligatur et sit ex illâ parte ex qua non est provincialis in dictâ formâ; et ex quatuor definitoribus, duo semper ex unâ et duo reliqui ex alterâ partibus sint et eligantur. Quo vero ad guardianos et alia officia de voto, eligantur indifferenter ex utrâque parte secundum qualitatem, merita et idoneitatem personarum, itaut guardianus domus principalis semper alternetur ex utrâque parte de triennio in triennium, et omni tempore (praeter provincialem aut custodem et duos definitores) eligantur et adsint ex minori parte saltem decem cum guardianatibus et officiis de voto, ad hoc ut ex illis maiori libertate possint eligi duo definitores. Quoad lecturas autem et alia officia tam honoris quam oneris, eligantur indifferenter, servatâ iustitiâ distributivâ, et habito respectu maiorum meritorum et maioris idoneitatis iuxta constitutiones generales Ordinis, super quo conscientias electorum oneramus.

Eadem alternativa statuta est in provincia S. Antonii de las Charcas.

« Quoad provinciam Sancti Antonii de las Charcas vigore eiusdem compromissi ordinamus, statuimus et mandamus observari eamdem alternativam inter religiosos natos in Indiis et natos in Hispaniis eâdem formâ qua statuimus et ordinavimus pro dictâ Limana provinciâ, praeterquam quod, attento pauciori numero officiorum de voto, ordinamus quod decem officia de voto, quae pro provinciâ Limana mandavimus eligi saltem ex parte minori, in provinciâ de las Charcas sint sex, ad hoc ut cum libertate eligantur duo definitores ex gremio capituli, et observetur, quantum fas erit, iustitia distributiva.

Causae alternativae in provincia S. Iosephi de Tuetan.

« Insuper, cum altera ex causis in dicto capitulo generali Romano proximo propositis, et pro qua definitorium generale compromissum fuit in nos, fuerit, quod, cum in provinciâ S. Iosephi de Tuatan tria religiosorum genera reperiantur, quorum alii qui post susceptum in Hispania habitum emissarii Cachupines, alii qui in Hispania progeniti in ipsâ provinciâ Indiarum habitum susceperunt provinciae filii, alii qui in Indiis ex parentibus seu descendentibus progeniti Criollos nuncupantur; cumque in dictâ provinciâ adsit alternativa stabilita et executioni demandata, unam illius partem constituunt nuncupati Criollos et filii provinciae, quamvis soli Criollos filiis provinciae et Cachupines vocatis simul iunctis numero maiores existant; unde, cum ista dispositio sit minus conformis iustitiae distributivae, institum fuit pro parte provinciae, ut filii provinciae aggregarentur illis Cachupines vocatis, ad hoc ut taliter distribuerentur officia provinciae in partes aequales aut quasi aequales:

In provincia S. Iosephi de Tuetan stabilita est alternativa inter filios provinciae ac Cachupines ex una parte et Criollos ex altera.

« Quo per nos inspecto, captisque convenientibus informationibus, vigore dicti compromissi ordinamus, statuimus et mandamus, quatenus dicti filii provinciae se aggregent Cachupinis et ex huiusmodi aggregatione una pars constituatur, solis Criollis alteram facientibus, inter quas observetur alternativa modo quo in dictâ provinciâ stabilita est, iuxta constitutiones generales Ordinis pro Indiis Occidentalibus.

« Quas resolutiones et decreta per nos statuta et ordinata mandamus in virtute sanctae obedientiae ab eis, ad quos pertinet, executioni respective demandari in dictis provinciis, sub poenâ nullitatis contrafaciendorum, revocantes ad hunc effectum praecise quamcumque aliam Ordinis constitutionem, quatenus opus sit, ac mandantes quod principium detur dictae alternativae in dictis provinciis de Lima et Charcas eligendo provincialem illius partis, ex qua actualiter (quando praesentes

intimabuntur) non fuerit provincialis actualis, qui pro tempore rexerit. Ita decernimus, ordinamus, statuimus et mandamus in supradicto conventu S. Francisci Madriti XXVI. mensis aprilis MDCLXXVII.

IOSEPH XIMENES SAMANIEGO
minister generalis

Frater IOANNES LUENGO
commissarius generalis Indiarum ».

Petitur decreti confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, omnia in decreto huiusmodi contenta sint iusta et rationi consentanea, nec aliter melius quam per eorum observantiam paci ac quieti dictarum provinciarum consuli posse credatur, nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatur a Pontifice decretum de alternativa.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, et attenta relatione dilecti filii prioris generalis dicti Ordinis eisdem Cardinalibus factâ, praeinsertum decretum a dictis ministro generali et commissario Indiarum compromissariis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium factum, illiusque tenorem et dispositionem circa electionum alternativam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac apostolicae auctoritatis praesidio munimus, itaut in omnibus plenarium sortiatur effectum, et ab illis, ad quos spectat, inviolabiliter observetur; irritum enim et inane quidquid secus attentatum fuerit declaramus, et eos, qui decreti firmitatem sub quovis praetextu infringere praesumpserint, poenis privationis vocis activae et passivae, privationis officiorum, aliisque arbitrio nostro imponendis subiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI. iunii MDCLXXVII., pontificatus nostri anno I.

II.

Confirmat decretum prioris generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quo ipse moderatus fuit alternativam inter fratres in Hispania natos et alios Criollos *dictos provinciae Quitensis in Indiis Occidentalibus* (1).

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. De hac alternativâ officiorum vide quae notavimus in huius Pontificis constitutione quae incipit *Illius qui*.

INNOCENTIUS PP. XI.
ad perpetuam rei memoriam.

Series facti paucis hic exponitur, sed pluribus in sequenti decreto.

§ 1. Pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis nuper exponi fecit dilectus filius nobilis vir Gaspar de Haro et Guzman marchio de Carpio, eiusdem Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam orator, quod, cum aliàs venerabilis frater Nicolaus Oliva Episcopus Cortonensis, qui tunc temporis prioris generalis Ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini munere fungebatur, alternativam et aequalitatem quoad provincialatus ceteraque omnia officia provinciae Quitensis in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis inter eiusdem provinciae fratres in Hispania natos et illarum partium indigenas, quos *criollos* vulgariter vocant, servari debere statuisset, idque etiam a felicis recordationis Clemente Papa X. praedecessore nostro confirmatum fuisset; verum propter fratrum Hispanorum in dictâ provinciâ paucitatem eiusmodi alternativa et aequalitas quoad omnia provinciae praefatae officia sine gravibus incommodis servari nequiret: idem Nicolaus Episcopus subinde tunc adhuc prior generalis Ordinis praefati, vigore facultatis sibi super hoc a nobis concessae, eamdem alternativam et aequalitatem ita moderatus est, ut illa ad provincialatus ac definitorum et visitatorum provinciae Quitensis praedictae officia dumtaxat restricta et coarctata existat, cum diversis declarationibus et ordinationibus, prout plenius continetur in illius litteris patentibus desuper emanatis tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum prioris generalis pro moderatione alternativae.

« Magister frater Nicolaus Oliva Senensis, totius Ordinis eremitarum Sancti Augustini prior generalis. Provinciae nostrae Quitensis, quam in visceribus gerimus charitatis, religiosae quieti ac tranquillitati consulere volentes, aliàs sub die XIX. iunii MDCLXXV. decretum condidimus, quo aliud reverendissimi prioris magistri Hieronymi de Ghettis praedecessoris nostri decretum die IX. iulii MDCXXV. emanatum, eo quod aut nunquam in praefatâ provinciâ receptum aut temporis decursu violatum oblivionique datum intelleximus, nostrâ auctoritate confirmavimus et approbavimus et innovavimus, iterumque decrevimus, ut, non obstante quolibet abusu, aut praefati decreti inobservantiâ, in futuris in posterum capitularibus electionibus in eâdem provinciâ Quitensi servaretur alternativa et vicissitudo, ita ut in uno quadriennio eligeretur in provincialem pater aliquis Hispanus, in altero vero quadriennio eligeretur pater alterius familiae, quam *criollorum* vulgo vocant; ac insuper in ceteris quoque officiis, scilicet definitorum, visitatorum, prioratuum etc., aequalitas servaretur inter ipsas duas familias; idque sub eisdem censuris, poenis et actorum nullitate in praedicto reverendissimi de Ghettis decreto taxatis praecepimus. Ut vero recensitum hoc nostrum decretum firmius consisteret, eiusque observantia veluti ad eradicanda omnia in provinciâ Quitensi discordiarum germina pernecessaria perpetuis futuris temporibus inviolata remaneret, petente eminentissimo ac reverendissimo S. R. E. Cardinali Nidhardo catholici Hispaniarum regis apud Sanctam Sedem oratore, felicis recordationis Clemens Papa X. auctoritate apostolicâ benigne illud cum omnibus et singulis in eo contentis approbavit et confirmavit, ac desuper litteras in formâ Brevis sub die VII. augusti MDCLXXV. expedire mandavit. Verum cum Carolus II. Hispaniarum rex catholicus per regias suas litteras nobis significare dignatus fuerit, ut praefatae alternativae moderationem stabiliremus, eam ad officia provincialatus, definitorum et visitatorum restringendo, nos itaque, regiis nutibus ut par est obtemperare cupientes, opportunam ad dictam moderationem et restrictionem facultatem a sanctissimo domino nostro Innocentio Papa XI. feliciter regnante humiliter postulavimus, quam nobis concedere dignata est Sanctitas Sua per litteras in formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

Breve Innocentii XI.

A tergo, Dilecto filio Nicolao Olivae priori generali Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini: *Intus vero,* Innocentius Papa XI., dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti quod tu aliàs, videlicet ante biennium, vel circiter, ad instantiam carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici statuisti ut in provinciâ Quitensi tui Ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini in Indiis Occidentalibus observaretur alternativa inter fratres in Hispania natos et illarum partium indigenas, quos *Criollos* vulgariter vocant, tam quoad provincialatum, quam quoad aequalitatem in omnibus generaliter aliis officiis gubernii dictae provinviae;

haecque omnia a felicis recordationis Clemente Papa X. praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis die VII. Augusti MDCLXXV. expeditas litteras approbata et confirmata fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Carolus Rex ex informationibus, quae ad ipsum ex partibus praedictis subinde pervenerunt, cognoverit, propter modicum numerum fratrum Hispanorum qui in Indiis reperiuntur, vix posse alternativam et aequalitatem in omnibus officiis huiusmodi, quae ad omnia exercenda fratres idonei illic non adsint, observari, eâque de causâ tibi nuper significaverit, ut eiusdem alternativae moderationem illiusque ad officia provincialatus et definitorum restrictionem ab hac Sanctâ Sede concedi procurares, itaut de cetero ad priorum et reliqua officia non extenderetur; nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi de opportunâ in praemissis facultate, per quam religiosis memorati Caroli regis votis ad conservandam in illis remotis partibus religiosam disciplinam atque observantiam laudabiliter tendentibus obsecundare valeas, providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, te speciali favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de voto fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum filium procuratorem generalem Ordinis praedicti audiverunt, consilio, tibi alternativam a te statutam, ut praefertur, auctoritate nostrâ apostolicâ moderandi et restringendi, itaut deinceps provincialatus et definitorum provinciae praedictae officia dumtaxat comprehendat, quamcumque necessariam et opportunam facultatem eâdem auctoritate, tenore praesentium concedimus et impartimur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium; non obstantibus praedictis Clementis praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in eisdem Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. iulii MDCLXXVII., pontificatus nostri anno I.

I. G. Slusius.

Iuxta quam facultatem prior generalis moderatur alternativam.

« Hac igitur apostolicâ auctoritate muniti, eâ qua par est in catholicis regis litteras reverentiâ, partibus insuper, videlicet R. P. M. Francisco Montano provinciae Quitensis procuratore et R. P. M. Augustino Montesdoca eiusdem provinciae alumno semel atque iterum auditis, quinimo eorumdem petitionibus nobis factis in supplici libello propriâ eorum syngraphâ subscripto inclinati, praedictum nostrum decretum de alternativâ, tenore praesentium, et auctoritate ut supra, necnon de consilio reverendorum administratorum patrum qui nobis assistunt, moderamur et restringimus, itaut, ceteris eiusdem clausulis, quae ad priorum et cetera officia praefatum decretum extendunt, revocatis et annullatis, easque revocatas et annullatas esse censentes, alternativam et aequalitates ad provincialis, definitorum et visitatorum officia dumtaxat restringimus et coarctamus, prout restrictum et coarctatum esse volumus et declaramus, non obstantibus quibuscumque.

Modus servandus in hac nova alternativa.

« Ut autem dissensiones et lites circa praedicti decreti observatiam, intelligentiam et exequutionem imposterum penitus tollantur, per has nostras decretales litteras, et de consilio eorumdem reverendorum administratorum patrum qui nobis assistunt, declaramus: Primo, quod provincialis in immediate futuro capitulo provinciali eligatur ex aliâ partialitate ac sit provincialis electus pro currenti quadriennio, itaut si hic sit Hispanus, in capitulo futuro eligatur *criollus*, et e contra si modernus sit *criollus*, eligatur Hispanus in sequenti capitulo: Secundo, quod si contingat patrem provincialem, nondum sui gubernii tempore expleto, ex hac vitâ decedere, aut aliquo quocumque impedimento ita detineri ut provincialatus officium nequeat personaliter exercere, tunc provinciae rector, qui ad praescriptum reverendissimi Valvasorii praedecessoris nostri usque ad celebrationem capituli provincialis proxime futuri eligi debet, ex eâdem eligatur partialitate ex qua erat provincialis defunctus, irritam ac nullam nunc pro tunc declarantes electionem quae fieri secus contigerit:

Tertio declaramus, quod a praedictâ alternativâ, pro parte eorum qui in Hispania nati sunt, exclusi intelligantur omnes et singuli nati in insulis Canariensibus, necnon omnes et singuli Lusitani alterius dominii a rege catholico; qui Canarienses ac Lusitani, si in provinciâ Quitensi professionem emiserint, vel legitime profiliati fuerint, seu in futurum profiliari contigerit, potiantur et gaudeant voce passivâ, ceterisque privilegiis et praerogativis eodem modo et sine ullâ prorsus differentiâ, quo eiusdem provinciae filii ex natis in Indiis, vulgo *criolli,* potiuntur et gaudent.

Commissa fuit executio et observantia huius decreti provinciali Quitensi sub certis poenis.

« Ut vero cuncta in integrum exequutioni mandentur, reverendo patri provinciali provinciae Quitensis, pro eo tempore existenti, quo praesentes nostrae litterae eo pervenerint, committimus et stricte praecipimus in meritum salutaris obedientiae, sub rebellionis nostrae et privationis vocis activae et passivae per decennium, ac, in subsidium, sub excommunicationis maioris latae sententiae, quam hac unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ in his scriptis, licet inviti, ferimus, aliisque nostro et successorum nostrorum arbitrio ipso facto incurrendis poenis, quatenus, nullâ obstante neque admissâ supplicatione, appellatione, protestatione seu reclamatione, statim ac litterae ad manus suas pervenerint, nisi forte antecedenter ad earum exhibitionem praedicta alternativa recepta et admissa fuerit, ipsemet, quantum ad se attinet, eamdem recipiat et admittat, compellatque definitorium etiam privatum ad eam recipiendam et admittendam, et cum effectu faciat ut immediate futuro capitulo provinciali omnino et in integrum exequutioni mandetur. Quod si id praestare neglexerit seu renuerit, vel legitime impeditus nequiverit, in eius locum venerabiles patres praesentatos fratrem Ferdinandum Colorado et Hyacinthum Moretto eiusdem provinciae subrogamus; quibus respective et in solidum tum in spiritualibus tum in temporalibus auctoritatem et iurisdictionem opportunam et necessariam ad praedictum effectum tenore praesentium concedimus et impartimur. Praecipimus autem omnibus et singulis definitoribus, visitatoribus, cunctisque eiusdem provinciae patribus ac fratribus, et sub poenis patri provinciali ut supra in casu renitentiae et negligentiae taxatis, ut praesentibus nostris litteris omnino obediant, et nec per se nec per alios directe vel indirecte impedimento esse audeant, quominus in omnibus et per omnia suum sortiantur effectum. Datum Romae in conventu nostro S. Augustini die XVIII. octobris MDCLXXVII. Frater NICOLAUS OLIVA, prior generalis Indiarum, nostri muneris affixo sigillo; mag. frater CAMILLUS CAVALIUS Thinensis, secretarius Ordinis ». *Registrat. lib.* V.

Preces Caroli II. regis Hispaniarum Pontifici oblatae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, quo firmiora sint et serventur exactius illa quae apostolici muniminis praesidio roborantur, nobis propterea memorati Caroli regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Confirmatur decretum prioris generalis de moderatione alternativae.

§ 3. Nos igitur, piis eiusdem Caroli regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, moderationem alternativae et aequalitatis huiusmodi a praefato Nicolao Episcopo, tunc priore generali, factam, ut praefertur, expeditasque desuper illius patentes litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus, necnon praefatorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad

praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI. ian. MDCLXXVIII., Pontificatus nostri anno I.

III.

Habentur ratae et firmae electiones omnes, etiam dubiae, quae a fratribus eremitis Sancti Augustini in capitulis provincialibus Indiarum fiunt; donec illuc pervenerit prioris vel vicarii generalis de iis contraria definitio (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Valvasorius Mediolanensis, vicarius generalis Ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini, quod in provinciis Indiarum et praesertim Quitensi dicti Ordinis non raro evenit, ut, post solemnem celebrationem capitulorum provincialium habitum in loco ad id specialiter designato, post legitimam electionem prioris provincialis per scrutinium factam a maiori parte electorum unanimi consensu in unum intendentium, post electi prioris provincialis confirmationem a praesidente capituli publice promulgatam, et post ceteras electiones tum definitorum et visitatorum tum priorum localium ac doctrinariorum rite similiter expeditas, vix huiusmodi electionibus factis, aut imminente eiusdem capituli dissolutione, vel immediate post absolutionem, ac etiam post aliquot menses, imo et annos, quibus tam prior provincialis quam ceteri superiores legitime ut praefertur electi respective munere suo specifice functi fuerint, nihilominus nonnulli, malo spiritu adducti, eo quod fortassis in praefatis capitulis non obtinuerint ea quae sibi antea consequenda proposuerant, et alia cordi habebant obtinenda, contra iam electum, confirmatum et actualiter exercentem officium provincialatus potissime insurgant, ac etiam contra definitores, visitatores, reliquosque priores locales et doctrinarios, eisdem debitam denegantes obedientiam, honorem et praelationem, vanasque causas tantae contumaciae adducentes. Quinimo ad aliam electionem potissime prioris provincialis tumultuose et clandestine irrumpunt, et ad saecularia causam saepe per viam (ut vocant) auxiliatricem deferunt, contendentes super validitate aut nullitate electionis praefati prioris provincialis, ceterarumque electionum; unde provincia illa miserrime turbatur: tunc enim in dubium vocantur receptiones novitiorum ad regularem habitum, solemnes eorumdem professiones, facultates ad excipiendas confessiones, institutiones doctrinariorum seu parochorum pro administratione sacramentorum, sententiae translatae in auctoritatem rei iudicatae tum absolutorie tum condemnatorie a praefato priore provinciali vel definitorio aut a prioribus localibus prolatae, ceterique actus iudiciales et extraiudiciales, utilitatem publicam vel privatam respicientes, pro nullis et invalidis habentur; utque pertinacius in suâ persistant obstinatione, non obtentâ a superioribus facultate veniendi Romam, longa suscipiunt itinera, et ad longum tempus, contra praescriptum constitutionum Ordinis praedicti ac decretorum huius Sanctae Sedis, vagantur.

Causa huius Constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio, ob immanem terrae marisque ab hac almâ Urbe Indiarum distantiam, non facile succrescentibus huiusmodi malis opportune possit a superiore generali dicti Ordinis aptari medela, nobis propterea dictus Dominicus vicarius generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praecipitur religiosis omnibus Indiarum, sub certis poenis, ut officialibus in capitulis provincialibus electis et a praesidente capituli confirmatis pareat.

§ 3. Nos igitur, effraenem illam licentiam insurgendi contra superiores eisque debitam obedientiam denegandi compescere, ac provinciarum praedictarum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, dictumque Dominicum vicarium generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et

(1) Ex Regest. in Arch. Brevium.

Regularium praepositorum, qui dilectum filium procuratorem generalem Ordinis praedicti audiverunt, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, ut, si in Quitensi vel aliis Indiarum provinciis praedictis electio prioris provincialis facta fuit per suffragium secretum a maiori parte electorum, eaque a praesidente capituli successive confirmata, omnes et singuli provinciarum huiusmodi respective religiosi, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub privationis vocis activae et passivae ac graduum et dignitatum seu officiorum per eos obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac etiam maioris excommunicationis poenis ipso facto incurrendis, teneantur non solum ab aliâ electione prioris provincialis abstinere, sed etiam ipsi priori provinciali seu rectori provinciali, aliisque ut supra respective electis et institutis, secutâ confirmatione praefatâ a praesidente factâ, debitam exhibere obedientiam tam in temporalibus quam in spiritualibus, non obstante quacumque protestatione aut appellatione etiam post confirmationem huiusmodi factâ vel interpositâ de iure; nos enim ad hunc effectum ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine suppletos intelligi ac pro suppletis haberi volumus omnes et singulos alios defectus, etiam substantiales, iuris et facti, si forte intervenerint in supradictis electionibus et confirmationibus, illasque per quoscumque iudices, etiam palatii apostolici auditores, quoad omnes et singulos iuris effectus, haberi et iudicari tamquam legitime canonice factas, interim et quousque ad Quitensem seu alias Indiarum provincias praedictas respective prioris generalis vel vicarii generalis eiusdem Ordinis determinatio pervenerit, legitimeque de eâ constiterit et intimata fuerit quibus de iure constare et intimari debet. Quod si lite pendente super validitate seu nullitate capituli provincialis vel cuiuscumque electionis instet dies praefixus celebrationi novi capituli provincialis, possint nihilominus et teneantur omnes electores ad locum destinatum convenire, et, iuxta sacros canones, Concilii Tridentini decreta, ac apostolicas et dicti Ordinis constitutiones, novum capitulum provinciale huiusmodi celebrare, nec, ratione talis litis pendentiae seu nullitatis praetensae, quisquam contra ipsius capituli validitatem coram quocumque tribunali ullo modo quidquam opponere possit. Idemque sit et intelligatur, etiamsi post dictum capitulum provinciale congregatum, seu iam peractum, supervenerit ad provinciam, vel ei intimetur, sententia annullatoria prioris generalis, vel vicarii generalis, aut nova electio prioris provincialis, seu rectoris provincialis, aliorumque officialium; quae omnia ad effectum annullandi capitulum provinciale congregatum, et seu iam peractum, prout supradictum est, tamquam inutilia, ac si nullatenus emanassent, omnino habeantur et iudicentur; proindeque praefatum capitulum provinciale, ita et prout supra celebratum, ab eodem priore seu vicario generali confirmari debeat, dummodo aliàs canonice et legitime celebratum sit. Nec (1) tamen ex hoc aliquis ullo modo occasionem sumere possit malitiose occultandi, alterandi seu differendi exhibitionem et publicationem quarumcumque litterarum in quibus contineatur annullatio vel nova creatio electorum tum in capite tum in membris, si forsan a priore vel vicario generali ita provisum sit, teneatur sub eisdem poenis et censuris ille, etiamsi sit prior provincialis actualis, ad cuius manus litteras huiusmodi pervenire contigerit, ipsas manifestare vel intimare illi vel illis, quibus de iure manifestari seu intimari debent.

§ 4. Ceterum, ut nemo praesentium litterarum ignorantiam praetendere possit, volumus ut illae, statim atque ad Quitensem aliasve Indiarum provincias praefatas respective pervenerint, publicentur, perpetuisque futuris temporibus in singulis earumdem provinciarum capitulis provincialibus, post recognitionem praesidentis, ipse, antequam ad aliquam electionem deveniatur, teneatur mandare ut omnibus capitulariter congregatis ipsae praesentes litterae unâ cum reliquis constitutionibus de more legendis legantur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Clausulae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective Clausulae.

(1) Potius lege *Ne*.

observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXV. martii MDCLXXVIII., pontificatus nostri anno II.

IV.

Ad petitionem Vicariorum Apostolicorum patronum constituit missionum Sinensium S. Iosephum (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium

Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae ab aeterno Pastore commissum salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, illis, quae caelestis favoris ad christianae religionis catholicaeque fidei propagationem, et animarum lucra impetrandi studio a quibuscumque Christifidelibus, ac praesertim a catholicis Antistitibus in partem sollicitudinis nostrae vocatis, fideique praefatae propagationi sedulo incumbentibus laudabili pietate facta esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, apostolici muniminis libenter adiungimus firmitatem.

§ 1. Nuper siquidem pro parte ven. fratrum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum apud Sinas ab hac Sancta Sede Apostolica deputatorum nobis expositum fuit, quod ipsi pro peculiari eorum erga Sanctum Iosephum devotione eumdem Sanctum Iosephum in Rectorem et Patronum omnium Missionum, quibus ex dictae Sedis mandato incumbunt, elegerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, praemissa, quae firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desiderent, nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, electionem Sancti Iosephi in Rectorem et Patronum Missionum huiusmodi a memoratis Episcopis Vicariis Apostolicis factam, ut praefertur, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus:

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

---

(1) Ex Ben. XIV. in Op. de Canoniz. Sanctorum, t. 4, p. 2, c. 14.

Fides transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVII. augusti MDCLXXVIII., pontificatus nostri anno II.

V.

Romam advocat septem missionarios S. I. in Sinis degentes, quos, hoc decreto cognito, iubet statim ab omni munere missionarii abstineri; modum praescribit promulgandi decretum; statuit missionarios iuramentum praestare debere (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Cum haec sancta Sedes Apostolica paucis ab hinc annis ad Sinas, Tunchinum et Cochinchinam, Camboiam, Sianum, aliaque vicina regna et provincias Indiarum nonnullos miserit Episcopos Vicarios Apostolicos, ut fides catholica ibidem benedicente Domino propagaretur, et ex christianis indigenis seu incolis illarum partium instituerentur clerici et sacerdotes, atque ita crescente fidelium numero disciplinae Ecclesiae usus et veritas introduceretur, ipsi vero Episcopi Vicarii Apostolici omnibus operariis, qui illic in vineâ Domini laborarent, praeessent; verum istorum operariorum aliqui, proprii officii immemores, se dictis Vicariis Apostolicis, eorumque provicariis et ministris, ac illorum auctoritati acerrime opponendo, dissensiones, rixas divisiones et fere nova schismata suscitaverint, in magnum christianae religionis detrimentum atque perniciem, nec pluribus constitutionibus apostolicis et decretis Congregationis venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ad occurrendum huiusmodi malis opportune promanatis, debitam obedientiam praestare voluerint:

Mandatur ut septem presbyteri Societatis Iesu ad Urbem accedant, nec interim munus aliquod exerceant sub certis poenis.

§ 1. Hinc est quod nos, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito efficaciora tanto malo remedia adhibere volentes, de nonnullorum ex memoratis Cardinalibus super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui dilectos filios presbyteros regulares Societatis Iesu, et praecipue praepositum generalem et secretarium eiusdem Societatis, tam vivâ voce quam in scriptis super praemissis informantes, pluries audierunt, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ut illico ad hanc almam Urbem nostram accedant dilecti etiam filii Iosephus Tessavier, Emmanuel Ferreira, Dominicus Fucitus, Philippus Marinus, Thomas Valgarneira, Iosephus Candonus et Bartholomaeus Accosta, presbyteri regulares dictae Societatis Iesu, nec, a die intimationis praesentis mandati, ipsi eorumque ullus audeat ullo modo exercere quodcumque munus missionarii sive ex facultatibus dictae Sedis Apostolicae, sive ex privilegiis praedictae Societatis Iesu, sive ex facultatibus ab alio quocumque aut omnibus aut singulis ipsorum quovis titulo concessis, nec confessiones audire, concionari, aut quaecumque sacramenta quomodolibet administrare, etiam tamquam deputati ab Episcopis seu Ordinariis Indiarum, neque tamquam simplices dictae Societatis Iesu sacerdotes et religiosi, nec alio quocumque titulo, causâ seu facultate, de quibus expressa specialis et specialissima esset facienda mentio, sub poenis infra exprimendis.

Intimetur mandatum, et unica intimatio utcumque facta sufficiat.

§ 2. Hoc autem praeceptum et mandatum nostrum praedicto praeposito generali Societatis Iesu quantocitius per dilectum filium magistrum Urbanum Cerrum, in utrâque signaturâ nostrâ referendarium ac praedictae Congregationis Cardinalium secretarium, intimari volumus, ac eidem praeposito generali harum serie iniungimus, ut scribat supradictis Iosepho, Emmanueli, Dominico, Philippo, Thomae, alteri Iosepho et Bartholomaeo, ac superioribus dictae Societatis in illis partibus degentibus, ad hoc ut praeceptum et mandatum nostrum huiusmodi, omni postpositâ morâ, et cum debita obebientia exequantur, cum declaratione quod unica intimatio praecepti praescripti, etiam reiecta, et quovis praetextu aut colore non acceptata, sive etiam sub quavis conditione, modificatione vel for-

---

(1) Ex app. ad vet. Bul. de P. F. pag. 332, emend. ex Reg. Arch. Brev. De his missionariis vide Constitut. *Decet Romanum, Illius qui, Iniuncti nobis, Quoniam ea,* et *Christianae religionis,* Clementis X.

malitate acceptata, obliget absolute et in totum omnes ad parendum et ad incursum poenarum: nos enim praeceptum huiusmodi haberi volumus pro legitime intimato omnibus presbyteris regularibus supranominatis, et unicuique eorum, eo ipso quod praeposito provinciali, aut alteri eius vicesgerenti, sive rectoribus collegiorum, aut superioribus, quocumque nomine appellentur, intimatum fuerit. Et, quatenus intimationem huiusmodi modo praescripto personaliter fieri commode non posse dicti Vicarii Apostolici aut eorum provicarii vel ministri ut supra deputati arbitrentur, fiat illa per affixionem ad valvas ecclesiarum seu domorum clericorum seu presbyterorum regularium dictae Societatis Iesu. Si autem et in hoc sit aliqua difficultas, fiat affixio ad valvas ecclesiarum seu domorum praedictorum Vicariorum Apostolicorum, seu eorum provicariorum, et semper unica intimatio eiusdem praecepti, quocumque modo facta, sive per praefatum praepositum generalem, sive per Vicarios Apostolicos, sive per eorum deputatos, sufficiat et obliget omnes ad observantiam ipsius praecepti et ad poenas infrascriptas irremissibiliter incurrendas.

Omnes missionarii tenentur praestare iuramentum in manibus suorum superiorum et Vicariorum Apostol. sub certis poenis.

§ 3. Ac ut eiusmodi dissensionibus, dissidiis et scissuris ansa in futurum praecidatur, eâdem auctoritate harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut omnes et singuli ecclesiastici tam saeculares quam cuiuslibet Ordinis, congregationis et instituti, etiam praedictae Societatis Iesu, regulares, in praedicta regna et provincias ab eorum superioribus missi et mittendi, sive a praedictâ Congregatione Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, vel ipsâmet Sede Apostolicâ deputati et deputandi, sive etiam cuiusvis tituli magis privilegiati ac speciali et specialissimâ mentione digni aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint, sub infrascriptis poenis, iuramentum iuxta formulam in calce praesentium litterarum annotandam in manibus superiorum suae religionis, et iterum in manibus Vicarii Apostolici, in cuius iurisdictione quocumque titulo commorabuntur, sive eius provicarii, aut alterius ab eo deputati, praestare omnino debeant et teneantur; ita ut, ante praestationem iuramenti huiusmodi et subscriptionem sub eâdem formulâ, ab unoquoque qui iuramentum ipsum praestiterit propriâ manu faciendam, nullis omnino facultatibus uti valeant; sed quoad eos, praeter et ultra poenas praedictas, omnes et singulae facultates huiusmodi, sive a sanctâ Sede Apostolicâ, sive ex privilegiis dictae Societatis Iesu, sive alio quocumque titulo, ut supra, etiam particulari nomine concessae, cessent omnino ac nullius roboris atque abolitae sint et esse censeantur, etiamsi per apostolicas in simili formâ Brevis litteras concessae fuerint, nisi in eis praesenti constitutioni in specie et nominatim derogatum reperiatur. Huius autem iuramenti praestationis et subscriptionis exequutionem, quoad clericos sive presbyteros regulares dictae Societatis, specialiter committimus et demandamus dilectis pariter filiis visitatori et praepositis provincialibus provinciarum Iaponiae et Sinarum eiusdem Societatis, nunc et pro tempore existentibus, qui primo iuramentum huiusmodi praestare et illius formulae subscribere tenebuntur, sub eisdem poenis, quas incurrent tam dicti visitator et praepositi provinciales si negligent obedire et formulam praedictam inferioribus intimare eorumque iuramentum et subscriptionem exigere et cum effectu habere, quam religiosi quicumque ut supra, qui iurare et formulae praedictae subscribere detrectabunt.

Iuramenta transmittantur ad Congregationem de Propagandâ Fide, etiam a superioribus regularibus, qui debent a suis subditis ea exigere et ipsi ibidem facere.

§ 4. Omnia vero iuramenta huiusmodi, per quoscumque missionarios, tam saeculares, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, et instituti, etiam Societatis Iesu, regulares, in manibus memoratorum Vicariorum Apostolicorum seu eorum provicariorum vel aliorum ab eis respective deputandorum sicut praemittitur praestanda, postquam subscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla, per eosdem Vicarios Apostolicos ad praedictam Congregationem Cardinalium negotiis Propagandae Fidei, quantocitius fieri poterit, transmittantur. Quinimo superiores quoque regulares, nempe visitatores et provinciales Iaponiae et Sinarum, tam dictae Societatis Iesu, quam aliorum quorumvis Ordinum, congregationum, institutorum, pro tempore existentes, sub eisdem poenis teneantur non solum iuramentum praedictum praestare in manibus pariter Vicariorum Apostolicorum vel provicariorum, illiusque formulae subscribere, sed etiam illius praestationem et subscriptionem a suis respective subditis exigere, ac authentica eâ super re confecta documenta quamprimum transmittere ad suos respective superiores generales, qui illa memoratae Congregationi Cardinalium statim tradere debebunt.

Paecipitur superiori generali Societatis Iesu, ut alios deputet missionarios, qui admittendi erunt secundum praescripta, et mittendi cum nonnullis ordinationibus, sub poenâ excommunicationis maioris.

§ 5. Praeterea mandamus supradicto praeposito generali Societatis Iesu, ut, loco missionariorum, qui ad Urbem, ut praefertur, vocantur, alios deputet, et coram dilecto filio nostro eiusdem S. R. E. Cardinali praedictae Congregationis Cardinalium praefecto praesentari faciat, in cuius manibus, cum assistentiâ venerabilis fratris Francisci Episcopi Heliopolitani, unius ex praedictis Vicariis Apostolicis, ac memorati secretarii eiusdem Congregationis Cardinalium, tam ipsi sic deputandi quam alii missionarii dictae Societatis posthac ad illas partes destinandi, pariter cum assistentiâ eiusdem Francisci Episcopi, si tunc temporis adhuc in hac almâ Urbe fuerit, praestare et subscribere tenebuntur iuramentum praedictum, ac etiam iurare obedientiam et subordinationem eidem Francisco Episcopo aliisque Vicariis Apostolicis, in quorum iurisdictione respective morabuntur, quoad omnia negotia et directionem missionum; et fiat postea in calce de omnibus narratio et attestatio subscripta ab eodem Cardinali praefecto, cui subscribant etiam dicti Franciscus Episcopus tamquam praesens, et praepositus generalis tamquam particeps, testando sibi omnia praedicta constare, suisque paritionem iniungendo; atque huiusmodi iuramenta ita subscripta consignentur eidem Francisco Episcopo, postquam tamen in actis dictae Congregationis Cardinalium registrata fuerint. Porro iisdem missionariis mittendis praecipimus pariter et mandamus, ut, cum Indias attigerint, praescriptos sibi ordines praesentemque constitutionem omnibus suae Societatis religiosis patefaciant, et per plures vias, si fieri possit, iter ad Indias arripiant, quorum duo dictum Franciscum Episcopum usque ad Indias sub eius obedientiâ comitentur, ubi de ipsius Francisci Episcopi licentiâ ad loca sibi praescripta proficiscantur.

Poenae contra inobedientes.

§ 6. Contrafacientes autem praesenti constitutioni in toto vel in parte, aut aliter quomodocumque illi non obedientes, incurrant, in omnibus casibus in eâ expressis, eorumve quolibet, in poenam excommunicationis maioris, ipso facto, absque ullâ etiam declaratoriâ sententiâ, Sedi Apostolicae reservatae, ita ut nemo ab illâ absolvere possit nisi in mortis articulo constitutos, et in generali concessione facultas ab illâ absolvendi concessa non intelligatur, etiam vigore litterarum concessionis iubilaei universalis, et insuper incurrant in alias quoque poenas etiam corporales et afflictivas arbitrio praedictae Congregationis Cardinalium imponendas.

Iniungitur superioribus omnibus generalibus pro tempore existentibus, ut praesentem constitutionem executioni mandari curent, ne incurrant indignationem apostolicam, aliasque poenas.

§ 7. Demum tam supradicto praeposito generali Societatis Iesu quam aliorum quorumcumque Ordinum, congregationum et institutorum regularium superioribus generalibus, nunc et pro tempore existentibus, praecipimus similiter et mandamus, ut omnia in praesenti constitutione contenta executioni omnino demandari faciant, iubeantque ad se transmitti iuramenta praestita et subscripta, prout in formulâ infra annotatâ, atque dictae Congregationi Cardinalium consignent, ac omnium executionem et implementum iniungant etiam omnibus missionariis Societatis ac Ordinum, congregationum et institutorum suorum respective in futurum ad Indias mittendis, et ab iisdem iuramentum observantiae, praefataeque formulae subscriptionem exigant. Si autem ipsi praemissa exequi omiserint, ac de executione, quotiescumque occasio se obtulerit, mutationis missionariorum qui transmittentur, ac notificationis et iuramenti praedicti publica documenta non tradiderint, indignationis nostrae aliasque poenas nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendas se noverint incursuros. Hoc autem praeceptum nostrum, etiam absque ullâ annotatione, in solitis libris et actis Societatis, aliorumque Ordinum, congregationum et institutorum huiusmodi respective (1) omnes et singulos in generalatibus successores perinde afficere volumus, ac si illorum unicuique personaliter intimatum fuisset, ipsosque praepositos et superiores generales successores, si praesenti constitutioni contravenerint, eisdem poenis subiacere.

Clausulae.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quilibet in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, eisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis iustâ, piâ, iu-

(1) Videtur deesse *registratum*, aut aliquid huiusmodi.

ridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti etiam Societatis Iesu, ac quarumvis ecclesiarum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis aliisque quibusvis personis, Ordinibus, congregationibus, institutis, societatibus, etiam Iesu, ac ecclesiis et locis quibuslibet, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter et aliàs, quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis ac pluries innovatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Formula iuramenti.

§ 10. Formula autem iuramenti sicut praemittitur praestandi est quae sequitur, videlicet: « Cum Summus Pontifex supremam et independentem pro spirituali animarum regimine in universo terrarum orbe habeat auctoritatem, nec ad mittendos operarios, qui religionem christianam fidemque catholicam apud infideles, et nominátim in Sinarum, Tunchini, Cochinchinae, Camboiae, Siami, aliisque vicinis regnis et provinciis praedicent, annuncient, roborent et promoveant, ullius fidelis vel infidelis, cuiusvis status, gradus, conditionis ac dignitatis etiam regiae existat, licentiâ vel consensu indigeat, ego N. fideliter incumbam officio meo in missione iuxta sanctae Sedis Apostolicae mandata et facultatem ab eâ praescriptam. Quod si Ordinarii Indiarum, vel principes aut reges catholici, vel alii, de administratione missionum in illis partibus, suaque iura et privilegia violari conquesti fuerint, meumque consilium et auxilium desuper requisiverint, ei rei me nullo modo ingeram, sed muneri mihi incumbenti tantum operam dabo. Praedicationem verbi Dei, sacramentorum administrationem, aliudve ecclesiasticum munus quodcumque in locis Vicariorum Apostolicorum curae commissis nunquam exercebo, quibuscumque privilegiis propriis vel meae religionis vel aliis quibusvis munitus existam, nisi prius ab ipsis Vicariis Apostolicis fuerim approbatus et ab iisdem licentiam in scriptis acceperim. In examine bullarum, constitutionum seu aliarum quarumcumque litterarum aposto-

licarum vel Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, aut quorumcumque decretorum eiusdem sacrae Congregationis, nunquam me intromittam, vel impediam, sub quovis praetextu, aut etiam legitimâ subreptionis vel obreptionis causâ, vel aliâ quacumque, sed easdem litteras et decreta quaecumque semper cum debitâ reverentiâ recipiam, iisque, ut par est, obediendo, Sanctae Sedi Apostolicae postmodum exponam si quae contra earumdem litterarum vel decretorum usum opportuna videbuntur, nunquam tamen retardatâ executione. Ordinationes dictae Sedis, et signanter constitutiones Summorum Pontificum Alexandri VII., Clementis IX. et Clementis X. omni qua decet reverentiâ recipio et amplector, ac nominatim litteras apostolicas in formâ Brevis expeditas quarum initium *Decet Romanum Pontificem, etc.*, datas die XXIII. dec. MDCLXIII., quibus confirmantur brevia et constitutiones ac etiam decreta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ad favorem Vicariorum Apostolicorum apud Sinas deputatorum emanata, alias incipientes *Illius qui charitas est, etc.*, expeditas eâdem die XXIII decembris MDCLXXIII., quibus declaratur Ordinarios Indiarum non posse exercere actus iurisdictionales in dictos Vicarios Apostolicos, eorumque provicarios et operarios in provinciis sibi assignatis, sed eisdem vicariis in dictis provinciis iurisdictionem privative quoad omnes competere, ac alias, quarum initium *Christianae religionis et catholicae fidei, etc.*, emanatas die VIII. iunii MDCLXXIV., quibus etiam severe prohibetur omnibus ecclesiasticis saecularibus et regularibus ne quisquam emendicet, procuret vel acceptet ab Ordinariis Indiarum litteras quascumque pro exercendâ iurisdictione in locis iisdem Vicariis commissis. Et demum non solum praefatis omnibus constitutionibus et in eis contentis decretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, sed etiam aliis quibuscumque, quae in futurum ad favorem etiam Vicariorum Apostolicorum emanabunt, constitutionibus et decretis fideliter et integre parebo. Praemissa omnia et singula inviolabiliter observabo, et absque ullâ tergiversatione adimplebo. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, me, toties quoties devenerit, poenis, tam per praedictas constitutiones, quam per novissimam sanctissimi domini nostri Innocentii divinâ providentiâ Papae XI. constitutionem, qua praesentis iuramenti formula praescripta est, respective impositis, sponte et libere subiicio. Ita, tactis sacrosanctis evangeliis, promitto, voveo et iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. *Locus subscriptionis*. Ego N. manu propriâ ».

§ 11. Ceterum volumus ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Fides transumptis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X. octobris MDCLXXVIII., pontificatus nostri anno III.

VI.

Approbat decreta S. Rituum Congregationis, de iis quae in causis beatificationum et canonizationum Sanctorum servanda sunt, approbantur (1).

Sanctissimus dominus noster Innocentius XI., provide considerans quod in totâ Ecclesiae gubernatione nihil maius aut gravius sit quam homines declarari pro Sanctis, eosque uti tales colendos et venerandos decernere, et perpendens quod (licet felicis recordationis Urbanus VIII. de consilio Congregationis SS. Inquisitionis nonnulla super hoc ediderit decreta, subindeque sacra Rituum Congregatio alias ordinationes fecerit secundum casuum contingentias a Summis Pontificibus approbatas) nihilominus experientia docuit quod adhuc nonnulla desiderantur pro meliori causarum huiusmodi directione; idcirco iussit materiam diligenter discuti, primum in congregationibus particularibus, deinde vero in generalibus, prout factum fuit, et sub diebus IX. iulii et VI. augusti MDCLXXVIII. emanarunt resolutiones sequentes, si eidem Sanctissimo placuerit publicandae: Causae horum decretorum.

§ 1. *Resolutiones S. Congregationis.*

I. Animadvertens eadem sacra Congregatio quod necessarium sit ut processus, De actis auctoritate ordinariâ faciendis.

(1) Ex Bull. ed. taurin. vol. XIX., p. 123, coll. etc. Etsi haec constitutio non proprie pertineat ad ius liturgicum de Prop. Fide, tamen ipsam refero, cum sit saltem utilis in locis missionum eius cognitio.

auctoritate ordinariâ fabricandi, conficiantur cum maximâ diligentiâ, censuit mandari Ordinariis locorum, ut, ultra testes inductos a postulatoribus, teneantur ipsi quoque inquirere ac examinare alios testes bene instructos super vitâ et moribus servi Dei, et si aliquid repererint in contrarium, quod ipsis videatur relevans, supersedeant ab ulteriori inquisitione, donec sacra Congregatio, ab eis certiorata per litteras, mandet quid agendum sit.

Item de aliis auctoritate apostolicâ.

II. Huiusmodi diligentias servari vult etiam in processibus auctoritate apostolicâ faciendis a iudicibus delegatis, quibus per litteras particulares sacrae Congregationis enixe commendari debeat; et idem faciat promotor fidei in litteris scribendis subpromotoribus.

De actorum custodiâ et secreto servando sub excommunicationis poenâ.

III. Et pro maiori cautelâ praescribi debeat in litteris remissorialibus, quod non solum interrogatoria retineantur semper clausa et sigillata cum sigillis eorumdem iudicum, non aperienda nisi in actu examinis et claudenda in fine, sed ulterius depositiones ipsae, antequam processus sit absolutus, in fine cuiuslibet sessionis claudi et signari debeant cum sigillis iudicum, nec possint aperiri nisi in praesentiâ ipsorum in principio cuiuslibet examinis et sessionis, ac huiusmodi diligentiae fieri debeant etiam in processibus fabricandis in Curiâ. Iidemque iudices, prout etiam subpromotores et notarii, tam in partibus quam in Curiâ, ac testes, et in Curiâ etiam protonotarius, debeant ante inchoationem processuum praestare iuramentum de servando secretum religiose, sub poenâ excommunicationis ipso facto in casum contraventionis incurrendae, iuxta formulam eiusdem iuramenti imprimendam in fine decretorum et pro omnimodâ observantiâ transmittendam iudicibus delegatis in ipsis litteris remissiorialibus et subpromotoribus in litteris promotoris.

De interprete actorum extero sermone descriptorum horumque versionum examinatore.

IV. Considerans quoque sacra Congregatio quod principale fundamentum in causis beatificationum et canonizationum constitui debeat in fideli interpretatione processuum extero idiomate confectorum, et quod, licet ex laudabili observantiâ interpres semper fuerit electus ab eminentissimo ponente, citato et audito reverendo patre fidei promotore, nihilominus super hoc decreta generalia nihil disponunt; idcirco decrevit quod in posterum in qualibet causâ interpres eligatur ab eminentissimo Cardinali ponente, citato et audito reverendo patre fidei promotore, et pro maiori cautelâ, postquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo viro probo et perito, qui secrete ad hoc officium assumatur ab eodem eminentissimo ponente, et, si reperiatur aliquis error substantialis, interpres severe puniatur arbitrio sacrae Congregationis; per quem eminentissimum deferri debeat tam interpreti quam revisori iuramentum de fideliter sibi munus commissum adimplendo; quibus etiam eadem sacra Congregatio assignavit mercedem pro suis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, ita ut facies sit linearum 24 et linea syllabarum 26 (1).

De hisce omnibus diligenter servandis in archivio sacrae Congregationis.

V. Advertens etiam quam necessaria sit diligens custodia processuum originalium, decrevit quod ii, sicuti etiam interpretationes originales illorum qui sunt extero idiomate confecti, retineri debeant in archivio Sacrae Congregationis in Vaticano in loco clauso et separato ab aliis scripturis, nec possint amoveri nisi de ordine eminentissimi Cardinalis ponentis, vel ad instantiam reverendi patris promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus sit, et deinde reportandi; cuius archivii duae sint claves, una penes protonotarium apostolicum, qui pro tempore intervenerit sacrae Congregationi, et altera penes secretarium; et clavis loci, in quo custodiuntur dicti processus, stet penes eumdem protonotarium, alterius vero, in quo retinentur aliae scripturae S. Congregationis, penes secretarium.

De quatuor inventarii copiis actorum omnium faciendis.

VI. Idemque protonotarius etiam habeat facultatem revidendi inventarium dictorum processuum, et, quatenus non adesset, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una stet penes eumdem protonotarium, altera penes promotorem, altera penes secretarium, et quarta in eodem archivo; et in fine anni iidem protonotarius, promotor et secretarius revidere debeant dictum inventarium, et conferre cum processibus, ad effectum recognoscendi an aliquid deficiat, et curandi ut reportentur; et secretarius referat in primâ sequenti congregatione.

De tempore quo committenda sit causa sacrae Congregationi.

VII. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam decretorum pag. 28, quod non prius Sedes Apostolica moveri soleat, quam reges, principes et aliae personae authenticae et honestae instanter suppli-

(1) Forsan *16*, ut infr.

caverint Summo Pontifici, et tunc etiam non statim, sed expectare quod diu pulsetur; nam, si perdurabunt miracula et supplicantium instantiae, tum Summus Pontifex, si ei videbitur, committit causam sacrae Congregationi: ideo, si ita Sanctissimo visum fuerit, censuit eadem sacra Congregatio commissionem non esse signandam nisi post elapsum tempus decem annorum a die praesentationis processus auctoritate ordinariâ fabricati, et cum praecedenti rigorosâ discussione eiusdem processus cum scripturâ et summario et insuper habitis post decennium a die fabricationis illius novis litteris Episcoporum circa percrebescentiam famae sanctitatis et miraculorum ac devotionis populi enixe pro beatificatione et canonizatione instantis, nisi tamen in aliquâ causâ ex peculiaribus circumstantiis sacra Congregatio existimaverit anticipari posse tempus in discussione processuum auctoritate ordinariâ confectorum, et Sanctissimus hoc approbaverit.

De causis ante decreta *Urbani VIII.* introductis.

VIII. In causis servorum Dei, ante decreta felicis recordationis Urbani VIII. introductis, non signentur commissiones reassumptionis, nisi prius per sacram Congregationem examinatis processibus, tam auctoritate ordinariâ confectis, quam auctoritate apostolicâ, quatenus adsint.

De extraiudicialibus testificationibus a nemine exquirendis.

IX. Cum in decreto approbato a felicis recordationis Urbano VIII. die XII martii MDCXXXI., impresso in libello pag. 57, sacra Congregatio (cognoscens quod in hac re, utpote gravissimâ, rite sancteque procedendum est) prohibuerit omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus, quantumvis speciali notâ dignis, ne audeant per se vel per alios capere informationes super sanctitate aut miraculis alicuius, nec ullo modo exquirere aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes aut subscriptiones, sub poenis arbitrio ipsius sacrae Congregationis infligendis; illud confirmando iussit quod huiusmodi extraiudiciales attestationes non solum exquiri aut obtineri non valeant, sed rursus quod hactenus obtentae, sive in futurum obtinendae, non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in processibus tam ordinariâ quam apostolicâ auctoritate fabricandis.

De oneribus et stipendio subpromotoris fidei.

X. Subpromotor fidei a reverendo patre promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco spoliandi et examinandi processus (ex quibus pendet beatificationum et canonizationum substantia) ad effectum referendi eidem promotori, debeat huiusmodi munus diligentissime ac cum omni rigore adimplere, ac summaria, quae solent a procuratoribus fieri, antequam typis mandentur, conferat cum processibus, subsecutâ attestatione quod fuerint per ipsum revisa, et in quolibet folio se subscribat, eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuscripto iterum faciat postquam fuerint impressa, cum iteratâ subscriptione in fine, quam subsequatur subscriptio et sigillum secretarii; nec ante praedictas subscriptiones possint tam summaria quam informationes publicari, sub gravissimis poenis, tam quoad postulatores, quam etiam quoad impressorem, arbitrio sacrae Congregationis seu eminentissimi Cardinalis praefecti infligendis. Idemque subpromotor (quatenus ipse dominus promotor, ex diligenti et accuratâ revisione processuum quam facere solet, necessarium vel opportunum duxerit) teneatur aliud summarium obiectionale ad comprobationem oppositionum conficere, quod sacra Congregatio plurimum expedire cognoscit ad hoc ut veritas magis elucescat. Et pro quolibet processu ab eodem subpromotore examinando, in quolibet dubio, persolvatur ei stipendium decem ducatorum auri praescriptum in decretis generalibus pag. 62, cum declaratione tamen quod, respectu processuum auctoritate apostolicâ in specie qui pluries ad diversum effectum examinari debent, dictum stipendium debeatur pro tribus dubiis tantum, nempe primâ vice quando disputatur validitas, secundâ vice quando disputatur de virtutibus seu de martyrio et causâ martyrii, et tertiâ vice quando disputatur de miraculis, quamvis disputationes alicuius ex dictis dubiis pluries reiterari contingat, seu eadem dubia in diversas inspectiones pro faciliori resolutione dividantur.

De procuratoribus dumtaxat eligendis ex collegio sacri palatii apostolici.

XI. Et quia materiae gravitas exposcit ut pertractetur et dirigatur a viris notae probitatis, experientiae et peritiae, censuit sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam informationes in facto quam summaria, in quibus potissime consistit causarum pondus, assumantur solum procuratores collegii sacri palatii apostolici, tribuendo postulatoribus libertatem eligendi ex dicto coetu quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non possit eodem tempore patrocinari plures causas quam quatuor, ad hoc ut eis facilius operam dare possint, sub poenâ inhabilitatis amplius scribendi in casum contraventionis, et liceat partibus in quocum-

que statu causae, rationabiliter tamen et praeviâ licentiâ eminentissimi ponentis, mutare procuratorem, dummodo aliàs (1) in eius locum subrogandus sit de eodem collegio, et non habeat in totum plures causas quam quatuor.

De advocatis seligendis ex iis collegii consistorialis aulae, vel ex duodecim approbatis a sacra Congregatione.

XII. Advocati vero ad scribendum in iure assumi debeant ad libitum postulatorum, dummodo sint ex collegiis sacrae consistorialis aulae, vel ex duodecim aliis approbatis a sacrâ Congregatione, ita tamen ut quilibet eorum sex tantum causas patrocinari possit.

De mercede procuratorum, advocatorum et notarii.

XIII. Pro mercede autem praedictorum, ac etiam notarii, sacra Congregatio iussit servari taxas ab eâ diligenter revisas, quae, ut omnibus innotescant, typis mandari debeant, et in fine decretorum inseri.

De scripturis medicorum vel chirurgorum.

XIV. Cum etiam observatum fuerit saepe postulatores dare scripturas medicorum vel chirurgorum pro confirmatione miraculorum, et ex aliâ parte non fuerit solitum responderi per peritos eiusdem professionis; ideo videtur necessarium, ad hoc ut respondeatur secundum artem, quod eminentissimus ponens deputet ex officio, secreto, et praevio iuramento, alium medicum vel chirurgum celebriorem, qui respondeat pro veritate, ad effectum videndi an asserta miracula excedant vires naturae.

Praedicta decreta confirmantur a Pontifice.

Die XV. *octobris* MDCLXXVIII. *factâ per me infrascriptum relatione Sanctissimo praefatorum decretorum cum eorum integrâ lecturâ, Sanctitas Sua laudavit et approbavit, atque servari mandavit et publicari.*

Io. BAPTISTA DE LUCA, auditor et secret. memorialium.

Loco † sigilli.

BERNARDINUS CASALIUS S. Rit. Congregat. secret.

§ 2. *Formula iuramenti iudicum ante inchoationem processuum.*

Iuramentum iudicum.

« Ego infrascriptus, tactis sacrosanctis Evangeliis coram me positis, iuro et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem processus in causâ beatificationis et canonizationis servi Dei N. iuxta formam decretorum sacrae Congregationis Rituum, et praecipue novissimorum quae confirmata fuerunt a sanctissimo domino nostro Innocentio XI.; necnon iuro et promitto religiose servare secretum, tam de contentis in interrogatoriis, quam de testium depositionibus super iisdem et super articulis, nec de iis loqui cum aliquâ personâ, exceptis aliis iudicibus et subpromotore ac notario pro eodem processu deputatis, et in Curiâ excepto etiam protonotario, sub poenâ periurii et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam maiori poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim. Et ita promitto et iuro: sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

Idem iuramentum praestabitur a subpromotore et notario, et in Curiâ etiam a protonotario, mutatis mutandis.

§ 3. *Formula iuramenti testium.*

Iuramentum testium.

« Ego infrascriptus, tactis sacrosanctis Evangeliis coram me positis, iuro dicere veritatem, tam super interrogatoriis, quam super articulis super quibus examinabor, necnon servare secretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iisdem interrogatoriis quam responsiones et depositiones a me factas, sub poenâ periurii et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam maiori poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim. Et ita promitto et iuro: sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

§ 4. *Tassa per gli avvocati e procuratori che patrocinano le cause di beatificazione e canonizzazione nella sacra Congregazione dei Riti, rinnovata e stabilita dalla medesima s. Congregazione.*

1.° Per lo spoglio universale che si fa *pro unâ vice tantum,* si osservi la tassa del 1658 al § 3, ove si dice, che non si possa dare più di scudi quattro per ogni centenaro di fogli di esso processo ridotto, cioè che il foglio sia di due facciate, e ciascheduna facciata sia di linee ventiquattro, e la linea di sillabe sedici.

2.° Per le scritture nei due soliti dubbi principali, cioè *super virtutibus et miraculis,* si possino dare scudi venti per ciascheduna, e non più.

3.° Per le risposte nei medesimi dubbi si possano dare scudi dieci, e per tutte l'al-

(1) Forsan *alias* pro *aliàs* legendum.

tre scritture che risguardano fatica considerabile; in tutti gli altri dubbî si possono dare scudi venticinque per ciascheduna scrittura, e non più.

4.° Per le scritture d'introduzione delle cause nuove e di reassunzione di quelle introdotte avanti li decreti del 1642, ad effetto di segnarsi nell'une e nell'altre la commissione, si possono dare scudi quindici, e non più.

5.° Per le copie originali di tutte le scritture, si paghino baiocchi quindici il foglio ridotto come sopra.

6.° Per il sommario che si farà sopra ciascun dubbio si diano cinque baiocchi per carta dell'istesso sommario che sarà fatto, ridotte le carte come sopra.

7.° Per li memoriali di qualsivoglia sorte, o grandi o piccoli che sieno, non si diano più di giulî dodici per ciascheduno, eccettuate le scritture di reassunzione o introduzione delle cause, quali sogliono andare sotto nome di memoriali, per li quali si osservi ciò che s'è disposto di sopra al n. 4°.

8.° Per la prima copia originale, tanto dei sopraddetti sommarii quanto dei memoriali, si dia solo baiocchi sei, la carta ridotta come sopra.

9.° Per l'informazione in voce, quando s'informa tutta la Congregazione con l'intervento de' consultori, non si diano più di scudi trenta tra il procuratore e gli avvocati; quando s'informa la sola Congregazione ordinaria, si dia la metà.

10.° L'emolumento degli avvocati sia di scudi dieci per la scrittura, e per la informazione in voce sia il medesimo che si dà a' procuratori.

11.° Per la minuta di qualsivoglia commissione non si paghi più di giulî quindici, e per le due copie da darsi al signor Cardinal ponente, al segretario, si paghi in ragione di baiocchi sei il foglio ridotto come sopra.

12.° Per l'accesso del procuratore al signor Cardinal ponente ed al promotore, e per la minuta o copia originale del fatto concordato, non si paghi più di giulî dodici.

13.° Per l'informazione in voce di Nostro Signore e dell'auditore di Sua Santità, si diano al procuratore scudi tre moneta, ed altrettanti all'avvocato, se informerà anch'esso.

14.° Per le citazioni e intimazioni non si paghi cosa alcuna, e per l'esecuzione di esse si paghi a ragione della tassa dei cursori.

15.° Le copie delle opposizioni del promotore, eccetto la prima originale si facciano fare dalle parti, le quali, fatte che saranno, dovranno portarle al promotore, che sigillate le darà alle medesime parti per distribuirle alli signori Cardinali, protonotario, e segretario, e consultori.

16.° Per qualsivoglia fatica o scrittura non espresse di sopra s'intenda l'arbitrio de' signori Cardinali prefetto della sacra Congregazione e ponente della causa, nè possano i curiali arbitrare da sè medesimi.

17.° E li suddetti ordini si debbano registrare ne' registri della sacra Congregazione, e si debbano fare stampare e pubblicare, e puntualmente osservare, sotto pena di perpetua privazione del patrocinio e sollecitazione delle cause vertenti nella detta Congregazione, e sotto altre pene ad arbitrio della medesima sacra Congregazione.

Approvazione del Sommo Pontefice.

Addì 15 ottobre 1678. Avendo io infrascritto fatto relazione della presente tassa a Nostro Signore Innocenzo XI., la Santità Sua l'ha lodata ed approvata, ed ha comandato che si osservi e si pubblichi.

Gio. Battista de Luca
auditore e segret. dei memoriali.

Luogo ✝ del sigillo.

Bernardino Casali
segret. della S. Congreg. dei Riti.

§ 5. *Ordini e tasse da osservarsi dal notaro della S. Congregazioue dei Riti, rinnovati e stabiliti dalla medesima S. Congregazione.*

1.° S'ordina che il notaro non faccia registri se non degli atti giudiziarî, e non dell'esame de' testimonî o altro, e quelli siano senza estensione di termini o repetizioni de' titoli, eccetto che nel primo atto, quali registri debbano onninamente farsi in tutte le cause.

2.° Che per ogni centinaio di fogli di registro ben fatto e secondo la riforma della felice memoria di Paolo V. sotto il titolo *de' registri,* non pigli più di quattro scudi nè per la collazionatura, nè per rubricatura, nè per qualsivoglia altro pretesto.

3.° Le istanze de' principi, religioni, università ed altri, nelle cause di beatificazioni o canonizzazioni, dal segretario si consegnino al notaro, il quale le registri negli atti, non altrimente *per extensum,* ma in-

dicando solamente il nome del principe o altri che fa l'istanza, e la data della lettera, cioè *pro introductione causae instant talis rex, suis litteris datis die tali, etc., et talis rex, etc.*, e in altra separata o susseguente carta, dopo gli atti fatti per l'introduzione della causa, scriva: *pro causae prosequutione ad effectum obtinendi litteras remissoriales in genere instant N. rex, etc.;* e gli originali si conservino nell'archivio, nè si dia l'estratto *de verbo ad verbum,* ma, ogni volta che sarà richiesto, il notaro ne dovrà dare un ristretto da cavarsi dal detto registro o manuale come sopra, e per esser copie si paghi a ragione di copia, come si dirà al seguente num. 4°. E per la fede di esse si diano due giulì per ciascuna copia, delle quali una si darà all'eminentissimo signor Cardinal ponente, e l'altra a monsignor segretario, e l'altra a monsignor promotore della fede.

4.° Per la copia degli atti fatti in Curia o fuori di essa in forma di buon originale non si paghi più di baiocchi sette e mezzo per foglio da tutte due le bande, e la facciata sia di linee ventiquattro, e la linea di sillabe sedici, ed essendo scritta in forma di registro, si paghi a ragione di registro, come sopra.

5.° Per la copia pubblica di qualsivoglia processo, tanto fatto *auctoritate ordinariâ* quanto *apostolicâ,* si paghino al notaio baiocchi sette e mezzo per foglio solamente, senza alcun altro emolumento o mercede per detta copia o scrittura, ed il foglio sia di facciate, linee e sillabe, come al detto num. 4°.

6.° Tutti li registri, copia e scritture, si debbano fare in carta buona, e lettera intelligibile, e secondo la riforma ed ordini sopradetti, altrimente il notaro sia tenuto farle copiare di nuovo senz' altra spesa.

7.° Che li processi, che vengono *de partibus,* tanto fatti *auctoritate ordinariâ,* quanto *auctoritate apostolicâ,* non si registirno per conto alcuno secondo la detta riforma, ancorchè non passassero venti fogli, ma solo si possano rubricare, se non saranno rubricati, e non intieramente, nel qual caso si possa solo rubricare quella che manca, e non altro.

8.° Per la rubricazione di qualsivoglia cosa che n'abbia bisogno, ridotto il processo a carte buone, conforme alla detta riforma, oltre detti baiocchi sette e mezzo per foglio per la scrittura, si paghino giulì dieci per cento, e tale rubricazione debba in sostanza contenere tutto quello, che contiene il corpo della scrittura, e venendo processo o altra scrittura rubricata *de partibus,* non essendo intieramente rubricata, si paghi solamente quello che manca, come si è detto.

9.° Per l'ascoltazione e collazione dei processi, ogni volta che sia continuata, a ragione di sei ore al giorno, non si paghi al notaro più di uno scudo al giorno, oltre gli emolumenti suddetti, e gli aiutanti sieno deputati dalle parti, dalle quali se gli paghi quel tanto che sarà convenuto; e per la fede dell'ascoltazione di tutto il processo si paghino giulì cinque per la prima copia solamente, e quando le parti volessero altre copie autentiche di detti processi, oltre la prima, non possa il notaro pretendere più di baiocchi cinque per foglio ridotto come sopra, compresovi la rubricatura; ma, oltre detti baiocchi cinque per foglio, se gli debba la mercede della collazionatura e ascoltatura come sopra, e per la fede di detta ascoltazione baiocchi venticinque per ciascuna di dette copie duplicate.

10.° Per le compulsorie si paghino giulì dodici, conforme prescrive la riforma suddetta di Paolo V. al tribunale dell'A. C.

11.° Per le remissorie in genere, anche *super non cultu, super casu excepto,* o altre, in osservanza ed esecuzione dei decreti della santissima Inquisizione, non si paghi più di scudi sei, per quelle in specie di (1) scudi dieci, in tutto compresavi la scrittura, e ogni altra cosa spettante alle medesime spedizioni. Nè per la scrittura delli interrogatorî, che si mandano chiusi, prenda il notaro mercede alcuna; ma per gli articoli l'eccessività della scrittura sopra a quindici fogli se gli paghi a ragione di baiocchi sette e mezzo il foglio, come al num. 5.°; ed occorrendo di dette lettere darne duplicati, non debba il notaro per essi esigere che la metà della mercede stabilita per la prima spedizione, ed essendovi eccessività di scrittura degli articoli, come sopra, debba la detta eccessività pagarsi a ragione di baiocchi cinque il foglio.

12.° Per compulsa di quasivoglia scrittura fuori di ofizio, per l'accesso e sessione di tre ore non possa pigliar più di

(1) Praeposit. *di* redundat.

otto giulì; per la fede in fine del processo compulsato, cinque giulì; e per la scrittura, a ragione di baiocchi sette e mezzo per foglio, come al numero 4°; dentro l'offizio, per ciascuna sessione di tre ore, giulì cinque; per la fede e scrittura, come sopra.

13.° Dovendosi compulsare libri stampati, dandosi dalle parti un sunto, sia tenuto il notaro inserirlo in fine del processo, senza farne copia o registro di sorte veruna.

14.° Per ogni esame nell'offizio, se finisce in una sessione, si paghino giulì tre, se ci vogliono più sessioni, finchè si finisce l'esame di detto testimonio, non possa il notaro pretendere più di giulì due per sessione, e fuori dell'offizio il doppio.

15.° Per le surrogazioni dei giudici, o nuovi termini nelle cause di beatificazioni e canonizzazioni, non se li paghi più di quindici giulì in tutto per ciascuna spedizione di lettere remissoriali e compulsoriali, proroghe di termini, e surrogazione di giudice da farsi solamente per comandamento delli eminentissimi signori Cardinali prefetto della sacra Congregazione, o ponente; nelle cause controverse non si paghi più di quello che prescrive la riforma sudetta al tribunale dell'A. C.

16.° Per qualsivoglia citazione semplice da spedirsi solamente, come sopra, e da eseguirsi fuori di Roma, non si paghi più di giulì tre; e per quelle che si spediscono con le inibizioni in virtù delle commissioni, giulì dieci.

17.° Per duplicato di qualsivoglia scrittura pubblica o privata, con sottoscrizione, sigillo, ecc., o senza, non si debba pagar più di cinque baiocchi per foglio.

18.° Occorrendo dar altra scrittura o per altre fatiche nen espresse nella presente tassa, l'emolumento si stabilisca dall'eminentissimo signor Cardinal prefetto, nè possa il notaro prendere (1) alcun altro emolumento, ancorchè concorra la medesima o maggior ragione delle mercedi espresse.

19.° Che nelli processi delle beatificazioni e canonizzazioni si osservi puntualmente per le commissioni, remissorie, compulsorie, articoli, interrogatorì, e altro, la forma prescritta nelli decreti e norma di fare detti processi pubblicati d'ordine della santa memoria d'Urbano VIII. l'anno 1642, ed ora confermati da Nostro Signore coll'aggiunte che si sono fatte.

20.° Che il notaro debba ritenere il libro *receptorum*, e fedelmente in esso notare quanto gli entra in mano dei suoi emolumenti, sotto pena della privazione dell'offizio.

21.° Che si facciano due manuali, cioè uno degli atti delle cause di beatificazioni e canonizzazioni, e l'altro degli atti delle cause controverse, nelli quali si registrino tutte le comparse, proteste, citazioni e intimazioni con le sue intitolazioni, quali restino sempre nell'offizio, nè per questi si paghi cosa alcuna, e possano sempre da tutti gl'interessati esser veduti e letti *gratis*, e il notaro sia sempre obbligato mostrarli.

22.° Non possa il notaro estrarre fuori d'offizio li processi originali, o qualsivoglia altra scrittura prodotta, ma debba darne copia pubblica o semplice secondo che le parti chiederanno.

23.° Per la restituzione di qualsivoglia scrittura prodotta, *dimissâ copiâ* (2), si diano tre giulì, e debba il notaro far buoni due fogli, e dalli due in su se li paghi a ragione di sette baiocchi e mezzo, come sopra al num. 4°; ma se si restituiscono in una volta più scritture prodotte in un solo atto, si debbano solamente tre giulì e di più l'eccessività della copia, come sopra.

24.° Che, volendo le parti veder processi o qualsivoglia altra scrittura originale dentro l'offizio, sia il notaro tenuto lasciarli vedere senza mercede alcuna.

25.° Sappiano le parti, che nella segretaria della sacra Congregazione tutto si spedisce *gratis*, nè perciò debbano al notaro, per sigillo, scrittura, sottoscrizione, o qualunque altra cosa che si faccia in segretaria, emolumento o mercode alcuna.

26.° Che non possa pretendere il notaro per il viatico cosa alcuna nell'andare a leggere citazioni.

27.° Che il notaro debba dare il giuramento in sacra Congregazione d'osservare la presente tassa ed ordini, nella forma seguente:

Iuramentum notarii.

« Ego N. notarius a sacrâ Congregatione specialiter deputatus in causis eiusdem sacrae Congregationis tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, iuro et promitto fideliter exercere officium mihi concessum, et ad unguem observare supradictam taxam, sub

(1) Forsan legendum *pretendere*.

(2) Vide num. praeced.

poenâ periurii, privationis officii ipso facto incurrendae, et restitutionis contra et ultra dictam taxam habitorum et acceptorum, aliisque poenis arbitrio ipsius sacrae Congregationis ».

28.° Che si facciano stampare li presenti ordini e tassa, e il notaro debba tenerli pubblicamente affissi nell'officio, affinchè a ciascuno possano apparire, e il tutto sia obbligato ad osservare, tanto nelle cause di beatificazioni e canonizzazioni, quanto respettivamente in quelle dei sacri riti, sotto le pene contenute nel detto giuramento, dandosi facoltà di ricorrere ad ognuno che si sentisse gravato, e vèdesse non osservarsi quanto è espresso di sopra, perchè vi si prenderà la debita provvisione. Dato in Roma li VI. agosto MDCLXXVIII.

Approbatio Pontificis.

A 15 ottobre 1678, avendo io infrascritto fatto relazione della suddetta tassa a Nostro Signore Innocenzio XI., con la sua intiera lettura, la Santità Sua l'ha lodata e approvata, ed ha comandato che si osservi e si pubblichi.

GIO. BATTISTA DE LUCA,
auditore e segretario dei memoriali.

Loco ✝ del sigillo.

BERNARDINO CASALI, segretario
della sacra Congregazione dei Riti.

VII.

Confirmat decreta omnia a magistro generali fratrum eremitarum Ordinis sancti Augustini pro pace servandâ in provinciâ Quitensi edita (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio constituti, ea, quae a religiosorum Ordinum superioribus pro salubri eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati sunt, directione ac felici gubernio, paceque religiosâ ac fraternâ animorum concordiâ inter eos stabiliendâ et solidandâ, provide prudenterque constituta sunt, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici nostri muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

Causae decretorum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Montavo frater expresse professus ac procurator provinciae Quitensis in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini in sacra theologia magister, quod (cum venerabilis frater Nicolaus Oliva Episcopus Cortonensis aliàs, dum in minoribus constitutus, generalatus dicti Ordinis munere fungebatur, litibus et dissidiis, quibus provincia praedicta vexabatur, finem imponere, illisque ansam in futurum praecidere cupiens, causis et instrumentis, quae eadem provincia ad ipsum remiserat, sedulo examinatis, necnon dicto Francisco provinciae procuratore ac dilectis pariter filiis Augustino de Montes Doca et Iosepho de la Concha eiusdem Ordinis professoribus, in sacrâ theologiâ etiam magistris, in iudicium contradictorium non semel vocatis, saepiusque etiam privatim auditis, de prudenti consilio assistentium Ordinis praedicti, pro antedictae provinciae Quitensis reformatione et bono regimine nonnulla decreta, statuta, ordinationes et declarationes die XX. octobris MDCLXXVII. condidisset, illaque sub interminatione divini iudicii et sub quibusdam poenis per transgressores incurrendis inviolabiliter observari praecepisset) dilectus etiam filius Dominicus Valvasorius Vicarius generalis dicti Ordinis, ut lites et contentiones, quae non infrequenter, tum in celebratione capitulorum provincialium, tum aliis in occasionibus religiosorum dictae provinciae pacem turbare poterant, longius eliminarentur, die XXX. iulii MDCLXXVIII., de consilio suae Congregagationis, alias nonnullas super praemissis provisiones fecit, ac decreta, statuta, ordinationes, declarationes et provisiones huiusmodi in unum corpus redigi, et in capitula seu articulos distingui mandavit, tenoris qui sequitur, videlicet:

De praesidente capituli provincialis.

« Et I., cum experientiâ didicerimus ex capitulorum provincialium celebratione lites ac discordias praecipue oriri, volumus quod pater praesidens capituli provincialis, durante officio sibi commisso, apostolicas et religionis constitutiones tum in spiritualibus tum in temporalibus diligenter ab omnibus et singulis observari faciat; omnia

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. De alternativâ officiorum in hac provinciâ, vide huius Pontificis Constitut. *Pro parte carissimi.*

conventicula (et praesertim de nocte, tempore silentii) penitus removeat; transgredientes, inobedientes, iuxta earumdem constitutionum praescriptum, corrigendo; non tamen possit aliquem ex electoribus per modum carceris vel custodiae in cellis claudere, nisi facto prius processu ob formalem inobedientiam, vel alium gravem excessum qui similem poenam mereatur; salvâ tamen semper electorum libertate, etiam circa tractatus licitos de electione faciendâ, necnon de meritis eligendorum.

De electione iudicum causarum.

II. Decernimus quod pater praesidens, antequam iudices causarum eligantur, neque per se solus, neque cum aliis, sub quibuslibet motivo vel praetextu etiam qualificandi aut legitimandi patres qui in imminenti iudicum causarum electione activam vel passivam vocem habere debent, ex iis aliquem unâ vel alterâ voce privare, vel a praedictâ electione excludere aut privatum vel exclusum declarare possit: inhaerentesque praeterea constitutioni apostolicae Pauli V. de die XIV. iulii MDCXIV. incipientem *Nuper a nobis,* et decreto sacrae Visitationis Apostolicae de die I. aprilis MDCI. sub Clemente VIII., etiam decernimus et mandamus ut praedictorum iudicum causarum electio canonice ac per schedulas secretas, nullâque factâ per patrem praesidentem propositione, imposterum fiat; et quod in huiusmodi electione pater provincialis, seu rector provinciae, primus et secundus definitorum, interventu patris praesidentis capituli, munere scrutatorum fungantur: item quod praedicti iudices causarum de cetero nullo modo eligantur nisi ex iis patribus qui sunt de corpore capituli, quos omnes et singulos habiles et idoneos ad eiusmodi officium indifferenter haberi volumus et declaramus; in eorum vero electione suffragium ferant omnes et singuli qui, vigore constitutionum, statutorum, declarationum vel privilegii, seu aliàs, vocem activam ad provincialis electionem proxime futuram pro illo tum habuerint, seu in qua possessione eligendi fuerint: irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

De electione definitorum.

III. Statuimus praeterea, ac iuxta praedicta decreta Pauli V. et sacrae Visitationis Apostolicae volumus et ordinamus, ut electio quatuor definitorum actualium, non solum per schedulas secretas, sed etiam canonice in posterum fiat, ac insuper ut tres definitores additi, seu in supplementum, ab omnibus electoribus, eâdem unicâ suffragatione, ac eisdemmet schedulis secretis, quibus praedicti quatuor definitores actuales eliguntur, de cetero eligantur. Si autem evenerit, quod tam praedicta electio quatuor definitorum actualium quam iudicum causarum, patris provincialis, visitatorum provinciae vel aliorum quorumcumque officialium, qui canonice ac per schedulas secretas sunt eligendi, primâ vice non deprehendatur legitime facta et subsequuta, tum declaramus et praecipimus ut inviolabiliter observetur praedicta constitutio Pauli V., *Nuper a nobis,* ita ut solum per scrutinium secretum schedularum, toties iterandum, intra tempus concessum electoribus, ad eligendum, quoties opus fuerit, huiusmodi electio vel electiones de cetero fiant: irritum ac inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

De auctoritate praesidentis et iudicum causarum.

IV. Ut lites et discordiae, quae circa auctoritatem et iurisdictionem patris praesidentis et iudicum causarum frequenter oriri solent, penitus removeantur, declaramus praedictos patres nullam habere auctoritatem seu iurisdictionem voce activâ vel passivâ aliquem privandi, aut ab electione excludendi, neque novos processus ad hos effectus vel ad aliquem eorum conficiendum, nisi solum propter casus notorios intra duos menses ante electionem patris provincialis emergentes, et quatenus reo nulla defensio etiam probabilis de iure competat, ac huiusmodi poena vel poenae ipso facto incurrantur vel incursae fuerint. Priores autem suspensos, et alios quoscumque reos, qui a patre provinciali et definitoribus ante praedictos duos menses iudicari definitive non potuerunt, servatis servandis, privare poterunt, dummodo tamen casus privationis sint in constitutionibus expressi, et causa vel causae contra eos iudicialiter et legitime, ad praescriptum decreti sub numero XXIV. infrapositi, per patrem provincialem, vel per aliam legitimam auctoritatem habentem, actitatae et conclusae ad sententiam sint: aliàs, si adversus aliquem ex patribus vocem activam vel passivam habentibus quaecumque aliae causae (1), informationes, denun-

(1) Potius *quascumque alias causas.*

ciationes, accusationes vel protestationes deduci contigerit (cum, tempore electionis, dolosae ac malitiosae praesumantur, et infra brevissimum horarum terminum novi processus prout de iure, et praecipue circa huiusmodi causas, utpote altiorem requirentes indaginem, iudicialiter substantiari, assertique rei sine eorum ac etiam electionis praeiudicio privari, vel ab electione excludi, aut privati vel exclusi declarari non possint), eas omnes et singulas, ad praescriptum nostrarum constitutionum, part. III., cap. VII., num. II., §. 2, *definitorio* scilicet noviter eligendo *referant;* et nihilominus ad electionem et electiones sub protestatione admittatur: irritum ac inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes quidquid secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit. Unde verba illa praedictarum constitutionum ibidem: *Ac de habentibus vocem tam activam quam passivam omnem controversiam dirimant:* et illa § 4 eiusdem capitis: *Si quis noverit causam, propter quam vocem quis activam vel passivam habere non debeat in praesenti capitulo, eam referat iudicibus causarum;* conformiter ad hanc declarationem intelligenda esse declaramus, consequenterque omnes et singulas electiones, quae sub huiusmodi declaratione ac ordinatione in posterum celebratae fuerint, iuxta verba eiusdem textus, sine vitio et nullitate quoad hanc partem pertransire etiam declaramus.

De actis electionis provincialis.

v. Ne canonica patris provincialis electio ob incertitudinem facti possit aliquando in dubium revocari, volumus et praecipimus patribus definitorii ut numerum vocalium, qui ad electionem active concurrerunt, et quot favorabilia suffragia quisque passive ad eam concurrens pro se habuerit, clare et fideliter exprimant in actis capituli, quae ad nos et successores nostros pro confirmatione obtinendâ mittuntur; in quibus etiam diligenter et expresse adnotari mandamus causas et motiva reelectionum priorum, si aliquando eorum aliquem in casibus per constitutiones permissis, p. III., cap. II., § 9, in priorem eiusdem conventus reeligi contigerit; secus reelectionem ex nunc prout ex tunc irritamus et annullamus, irritatamque et annullatam esse volumus et declaramus.

De tempore definiendi causas in definitorio capituli provincialis.

vi. Ut communia et particularia provinciae causae et negotia maturâ qua par est expediantur consideratione, et definitorii patres, ad praescriptum nostrarum constitutionum, part. III., cap. VII., num. XV., § 3, *Nihil indefinitum relinquant, omnibus rite ordinatis, provincia tota usque ad sequens capitulum provinciale quiescere valeat in sanctâ pace,* quindecim eisdem dies pro termino praefixo assignamus, quibus causae et negotia ad eos delata examinare, determinare et expedire possint et debeant, non tamen ultra praedictos quindecim dies definitorium capituli provincialis extendi volumus, non obstante quocumque decreto vel consuetudine in contrarium, sed, eo elapso tempore, idem conclusum et absolutum, ac patris praesidentis iurisdictionem ipso facto extinctam esse decernimus et declaramus. Quod si pater praesidens ultra praefinitum quindecim dierum terminum definitorium protrahere praesumpserit, poenam privationis utriusque vocis per decennium ipso facto incurrat; nullumque ac irritum sit quidquid gestum vel attentatum fuerit. Porro si aliqua causa sese offerat, quae, ob gravia motiva, tam cito nequeat expediri, definitorio privato deferatur, cui definitorio, praesentium statutorum atque declarationum vigore, omnis facultas desuper necessaria et opportuna perpetuo datur et data declaratur, quatenus eam prout de iure examinet et determinet, examinareque et determinare teneatur.

De formâ expediendi negotia vel causas per patrem provincialem.

vii. Statuimus item ac decernimus quod pater provincialis causas graves, vel gravia negotia communia vel particularia, quae extra tempus capituli vel congregationis provincialis fuerint determinanda vel expedienda, nisi cum quatuor definitoribus actualibus dumtaxat ac sub formâ capituli privati vel congregationis provincialis fuerint determinanda vel expedienda, nullatenus derminare vel expedire possit; nec aliquo vel aliquibus ex praedictis quatuor definitoribus actualibus exclusis vel non admissis capitulum privatum per se vel per alium celebrare valeat, sed ad illius celebrationem omnes et singulos praedictos quatuor definitores, sub poenâ nullitatis agendorum ipso facto et absque aliâ declaratione, convocare et admittere teneatur. Quod ut facilius exequi possit, non obstante supplicatione per provinciam nobis exhibitâ, confirmamus et innovamus ac omnino observari iubemus reverendissimi Valvasorii praedecessoris nostri decretum, quo statuitur ut in conventu Quitensi omnes definitores de familiâ degant; quo praedicto conventu decernimus ut nullum ex prae-

dictis quatuor definitoribus pater provincialis, etiam ad breve tempus, sub poenâ privationis vocis activae et passivae per quinquennium ipso facto incurrendâ, ullo modo removere vel exiliare possit. Si tamen quis eorum convalescentiae aut honestae recreationis causâ ad aliquem viciniorem locum ire postulaverit, eidem ad necessarium vel ad breve tempus respective huiusmodi licentiam concedere poterit. Et ut praedicti patres definitores suam auctoritatem et potestatem etiam in iudicando liberius exercere possint et valeant, prohibemus patri praesidenti capituli, patri provinciali, et aliis patribus cuiuscumque definitorii etiam capituli provincialis, necnon quibuscumque aliis superioribus etiam localibus, sub praedictâ poenâ privationis vocis activae et passivae, ne ad aliquod officium vel ministerium etiam non electivum, tum cum curâ animarum etiam Indorum, tum sine illâ, tum cum iurisdictione etiam delegatâ, tum sine illâ, etiam sub titulo vicarii, visitatoris vel administratoris, seu sub alio quocumque titulo vel nomine, aliquem vel aliquos ex praedictis quatuor definitoribus respective promoveant vel provideant, nec ipsi definitores, vel aliquis eorum, sub eâdem poenâ privationis, promotionem vel provisionem aliquam ullo modo acceptent vel exerceant: irritum insuper ac inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes quidquid in contrarium quovis modo fieri vel attentari contigerit.

De modo ferendae sententiae de provinciali, definitoribus, visitatoribus aliisque nonnullis.

VIII. Provincialem processari, officio privari, aut ab eodem suspendi vel aliâ puniri poenâ etiam per sententiam declaratoriam non posse declaramus, nisi in definitorio capituli provincialis vel congregationis intermediae; de iis enim dumtaxat, non vero de definitorio capituli privati, intelligendum esse declaramus definitorium provinciae, a quo nostrae sacrae constitutiones, part. III., cap. XI., § 9, provincialem puniendum decernunt. Hinc revocandum censemus, prout cum effectu revocamus decretum reverendissimi Valvasorii praedecesssoris nostri, quo pro punitione patris provincialis definitorium capituli privati octo patrum stabilivit. Insuper privationis, suspensionis, vel aliam respective poenam, ut supra, provincialis non subeat, nisi, iuris ordine servato, ob excessus vel casus pro ipsius privatione vel suspensione in constitutionibus expressos: propter quosmetipsos dumtaxat excessus vel casus respective, ac in definitorio capituli provincialis vel congregationis intermediae tantum (ut de patre provinciali dictum est), patres definitores, exprovincialem immediatum, expraesidentem immediatum, et visitatores provinciae processari, voceque, officiis aut gradibus, iuris tamen ordine servato, suspendi vel privari, aut suspensos vel privatos declarari posse, etiam declaramus: irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes quidquid propter alios excessus vel casus, aut alio tempore, seu iuris ordine non servato, contra patrem provincialem ceterosque et singulos nominatos patres fieri vel attentari contigerit: verba namque constitutionum, part. III., cap. XII., § 20, ibi: *Prior provincialis poterit eos* (scilicet visitatores) *corrigere et punire,* de correctione et punitione regulari ad poenitentiam extraiudicialiterque imponendis, et non aliter, neque alio modo, intelligenda esse declaramus. Verum, cum praedictis patribus in definitorio novi ac immediati capituli provincialis, utpote suorum officiorum tempore iam completo, praedictae poenae privationis, suspensionis vel depositionis ab officiis nullatenus imponi possint, praedictum definitorium capituli provincialis recensitas poenas, iuxta excessus tamen qualitatem, commutare debebit in privationem privilegiorum, vocis, vel in alias respective poenas indispensabiliter subeundas.

De casu quo deficiat aliquis definitorum.

IX. Si quis definitorum ex hac vitâ migraverit, vel inevitabili aliquo praepeditus impedimento munus suum exercere non potuerit, aut illi iustis ex causis renunciaverit, tunc sine morâ primus definitor ex tribus additis, ille scilicet qui ceteris plura suffragia in eorum electione habuit, etiamsi omnes tres maiorem partem omnium suffragiorum habuerint, et, in parte seu aequalitate suffragiorum, antiquior gradu, et, si graduati non fuerint, professione antiquior, conformiter ad nostras sacras constitutiones, part. III., cap. VII., num. V., § 1, et eâdem part. III., cap. VIII., § 3, eius loco subrogetur, illoque deficiente, secundus, et postea tertius eodem ordine servato; quod etiam in similibus et in aliis quibuscumque casibus subrogandi seu supplendi emergentibus omnino observetur ac fiat. Quod si nullus eorum inveniatur, recursus habeatur ad antiquiorem ex quatuor definitoribus quadriennii immediati praeteriti, illoque deficiente, ad illi immediatum, etc., et omnibus praedictis quatuor

deficientibus, ad unum ex definitoribus additis eiusdem quadriennii, supradicto ordine omnino servato; sicque retrocedatur ad alia capitula praeterita, donec integretur numerus quatuor definitorum, non obstante supplicatione provinciae in contrarium nobis factâ. Qui vero non ad causam vel causas particulares, ut in casu discordiae vel recusationis contingere potest, sed ad universitatem causarum pro huiusmodi subrogatione definitorium ingreditur, numerumque quatuor definitorum actu exercentium constituit (confirmantes, et, quatenus opus sit, innovantes declarationes reverendissimorum patrum) voce, loco, ceterisque, subrogatione durante, gaudeat exemptionibus et privilegiis, absque ullâ prorsus differentiâ, quibus definitores actuales in capitulo provinciali electi gaudent; et si omnibus istis antiquior sit, et usus emerserit quod nullus in praesidentem capituli provincialis per litteras patris generalis deputetur, ipse tamquam primus definitor (licet subrogatus) praesidentiâ potiri debebit, conformiter ad nostras sacras constitutiones, part. III., cap. VII., num. I., § 4: et si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione.

De libera suffragatione definitorum.

X. Omnes et singulos patres definitorii in omnibus et singulis causis vel negotiis in definitorio etiam privato sententiandis seu quomodocumque pertractandis vel determinandis semper habere vota decisiva declarantes, decernimus quod si aliquis eorum pro suffragatione secretâ instantiam fecerit, per ballottulas secretas omnino fiat, sub poenâ nullitatis agendorum ipso facto et absque aliâ declaratione: inhibentes praeterea patribus praesidenti capituli provincialis et alteri cuicumque, sub poenâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrendâ, ne in definitoriis etiam privatis, quorum praesidentia ad eos respective pertineat, per se vel per alium liberam et independentem patrum definitorii suffragationem publicam vel secretam quovis modo impediant, neque ad suum sensum eorumdem vota extorquere attentent; et si in puncto iuris praedicti patres, vel aliquis eorum, difficultatem aliquam habuerint, consultum cum advocatis seu iurisperitis etiam saecularibus habere possint et valeant.

De suffragiis in causis definiendis.

XI. Ut quodcumque definitorium vel tribunal etiam capituli provincialis vel privati in suis iudiciis vel congressibus sententiam vel determinationem faciat, facereque intelligatur, maiorem partem omnium votorum respective consentire et concurrere debere, necnon praedictae maiori parti minorem cedere, ac sententiae vel determinationi factae subscribere teneri, etiamsi praesidens capituli vel pater provincialis pro dictâ minori parte steterit, volumus, decernimus et declaramus. In casu vero discordiae, ut vocant, si in quocumque definitorio oriri contigerit, pro eâ tollendâ vocetur et admittatur ille definitor additus qui in casu supplementi pro integrando definitorio primo vocari et admitti deberet: et si huiusmodi vocatio quacumque ex causâ effectum non sortiatur, vel discordia adhuc ablata non fuerit, recursus tunc habeatur ad alium, et alium definitorem additum, etc., conformiter ad decretum sub num. IX. suprapositum, donec praedicta discordia cesset, sententiaque vel determinatio a maiori parte fiat. Si autem in tribunali praesidentis capituli et iudicum causarum praedicta discordia oriatur, pro eâ tollendâ vocetur et admittatur pater provincialis seu rector provinciae; et si huiusmodi vocatio quacumque ex causâ effectum similiter non sortiatur, vel discordia adhuc ablata non fuerit, recursus tunc habeatur primo ad definitores actuales suo ordine, postea ad additos, donec praedicta discordia cesset, sententiaque vel determinatio a maiori parte, ut supra, fiat. Et si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum ac inane ipso facto et absque aliâ declaratione.

De tempore quo quis privari nequit officio, vel voce activâ aut passivâ.

XII. Cum per nostras sacras constitutiones, part. III., cap. X., § 3, cautum sit, ne capitulum privatum priorem aliquem intra duos menses ante capitulum provinciale et intra duos alios ante congregationem intermediam prioratus officio privare possit; prohibitionem huiusmodi etiam respectu omnium et singulorum patrum vocem activam vel passivam habentium, et non solum per sententiam condemnatoriam, sed etiam declaratoriam, intelligendam esse declaramus; itaut praedictum definitorium privatum nullum patrem, cui ratione gradus, officii, vel aliàs vox activa vel passiva competat, praedictâ voce activâ vel passivâ, gradu vel officio intra duos menses ante capitulum provinciale et infra duos alios ante congregationem intermediam privare, nec privatum declarare ullo modo possit: neque, cum aliquis semel electus et confirmatus a patribus cuiuscumque de-

finitorii respective fuerit, electionem confirmatam tamquam nullam declarare intra praedictos duos menses valeat: et si secus super his fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione, et tam pater provincialis quam definitores poenam privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrant.

De iis quibus provincialis se ingerere nequit.

xiii. Volumus insuper et decernimus quod pater provincialis in attinentibus ad primam instantiam et gubernium immediatum et ordinarium superiorum localium nullo modo se intromittere possit, praeterquam in casibus a iure permissis; cui insuper praecipimus, sub poenâ privationis vocis activae et passivae per quinquennium ipso facto incurrendâ, ne administrationem praediorum, fructuum et reddituum conventuum undequaque provenientium, per se vel per alios, directe vel indirecte, sub nullo praetextu, motivo vel titulo, sibi arrogare seu adiudicare audeat: quod si, inter visitandum, regularem vel saecularem administratorem praedii vel praediorum removendum iustis ex causis invenerit, et cum effectu removeat, tunc, sub eâdem poenâ privationis vocis, eidem patri provinciali inhibemus, ne in provisione novi administratoris ullo modo se ingerat, sed certiorem faciat superiorem localem conventus ad quem tale praedium seu praedia spectant, ut ipse superior localis de consensu patrum consilii de alio seu aliis administratoribus provideat. In casu praeterea quo a gravamine prioris localis ad patrem provincialem appellatio interponatur, volumus et declaramus huiusmodi causam a patre provinciali et definitoribus saltem in capitulo privato etiam intra bimestre, non tamen post recognitionem patris praesidentis, prout de iure cognoscendam et determinandam esse: et si secus super his fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione.

De visitatione provinciae a provinciali faciendâ.

xiv. Generalem aliquam vel particularem visitationem pater provincialis sub quovis praetextu vel motivo facere non possit praeter duas visitationes generales totius provinciae, quas intra quadriennium, unam scilicet singulo biennio sui provincialatus, facere debet: istas vero in conventu Quitensi intra quindecim dierum, et singulis aliis conventibus, doctrinis, ac praediis intra decem dierum terminum concludere omnino teneatur; intra quem terminum si aliquem superiorem localem propter casus in constitutionibus expressos dignum suspensione invenerit, eumdem etiam extraiudicialiter procedens et ad praescriptum praedictarum constitutionum, part. iii., cap. xii., § 15, et cap. xiii., § 17, ab officio suspendere poterit: quod si in praedictis visitationibus summarie vel aliàs inveniat aliquem superiorem vel inferiorem in quacumque causâ civili vel criminali iudicialiter et compilato processu audiendum esse, tunc, tamquam iudex et extra formalitatem visitationis, causam vel causas, tum intra tum extra praedictum terminum visitationis, prout de iure, cognoscat, ad praescriptum decreti sub num. xxiv. infrapositi: de causis vero, iudiciis vel negotiis tum civilibus tum criminalibus aliàs iudicatis, conclusis vel determinatis, necnon de quibuscumque sententiis in iudicatum transactis, praecipue absolutoriis, inquirere, eave movere, suscitare vel recognoscere, etiam ad instantiam partis, nullatenus possit. Item per se solus tam intra quam extra terminum praedictae visitationis patrem aliquem, cui ex gradu vel officio seu aliàs vox activa in capitulis provincialibus seu in aliis quibuscumque electionibus competat, praedictâ voce, gradu vel officio etiam per sententiam declaratoriam privare, aut titulo suspensionis, vel sub quocumque motivo vel praetextu, etiam quod reus vel processatus existat, ab eâdem voce, gradu, officio vel electione, directe vel indirecte, mediate vel immediate excludere nullo modo possit: sed si praedictâ voce, gradu vel officio propter quodcumque motivum vel causam carere debeat, tunc, servatis servandis, per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, a definitorio saltem capituli prout de iure ferendam, respective privetur vel privatus declaretur, aut ab electione excludatur, et non aliter, neque alio modo: quod si pater provincialis contrarium super his quovis modo facere vel attentare praesumpserit, totum sit irritum ac inane ipso facto et absque aliâ declaratione, privationemque utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrat.

De remotione religiosorum a coenobiis.

xv. Provincialis vel quicumque alius superior sententialiter vel provisionaliter religiosum aliquem a conventu, curatu Indorum vel praedio removerit, vel in exilium miserit, teneatur, sub poenâ privationis utriusque vocis per quinquennium, eumdem religiosum de eius discessu per tres dies ad minus ante remotionis vel exilii

exequutionem praemonere, ut ad conventum seu locum sibi destinatum possit honeste accedere. Volumus praeterea ac decernimus quod si aliquis vel aliqui ex patribus vocalibus, vel definitorii, a conventu, in quo capitulum provinciale, congregatio intermedia, vel aliud quodcumque definitorium fuerint celebranda, etiam per sententiam declaratoriam in exilium mittatur vel missus fuerit, non obstantibus praedicto exilio et quibuscumque aliis ad eumdem conventum tempore celebrationis capituli provincialis, congregationis intermediae vel definitorii, pro suffragio ferendo vel in definitorio iurisdictionem exercendo, libere et licite accedere possit et valeat, nec pater provincialis aut quicumque alius eumdem in tali accessu ullo modo impedire possit, sub poenâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrendâ: capitulo autem provinciali vel congregatione intermediâ, vel definitorio seu definitoriis finito et finitis, statim recedat, et exilium servet.

De convocatione vocalium.

xvi. Per convocatoriam, quae a patre provinciali vel a quolibet alio superiori in capitulo provinciali, congregatione intermediâ vel aliâ quacumque electione fieri solet, convocatos intelligi volumus et declaramus omnes et singulos in habitu vel actu, vigore constitutionum vel privilegii aut quasi possessionis ad praescriptum decreti sub numero ii. supra positi, in iisdem ius eligendi habentes, respectu quorum nulla fieri possit prohibitio, quae, si fiat, pro nullâ habeatur, eâque non obstante ad electionem vel definitorium accedere possint et debeant. Congregationem insuper intermediam pater provincialis aut rector provinciae nullo motivo vel praetextu prorogare valeat, sed statuto tempore in medio quadriennii, die scilicet xxiv. mensis iulii, praedictae congregationis primam sessionem per se vel per alium celebrare teneatur, sub poenis privationis utriusque vocis per quinquennium nullitatisque agendorum ipso facto incurrendis.

De syndicatu provincialis.

xvii. Provincialis seu rector provinciae, elapso sui officii tempore, coram definitorio capituli provincialis stare teneatur iudicio syndicatus seu (ut vocant) residentiae; praedictum autem definitorium, privative quoad aliam quamcumque auctoritatem vel iurisdictionem etiam patris provincialis et congregationis intermediae, tum ad instantiam partium, tum ex officio, de excessibus administrationis officii, necnon personalibus durante officio commissis, prout de iure, inquirere, iudicare et determinare teneatur. Verum, si aliqua vel aliquae contra patrem extraprovincialem aut rectorem provinciae deferantur causae quae a definitorio capituli provincialis intra quindecim dies suae durationis definiri nequeant, definitorio capituli privati, cui praesentium statutorum atque declarationum vigore omnis facultas desuper necessaria et opportuna perpetuo conceditur et concessa declaratur, deferantur, quatenus intra terminum praecisum duorum mensium causam vel causas sibi delatas, prout iuris fuerit, finiat et determinet, finireque et determinare omnino teneatur; exprovincialis autem vel rector provinciae, quousque iudicium syndicatus sententialiter absolutum non fuerit, ad quaecumque officia etiam minima inhabilis omnino remaneat.

De adscriptione religiosorum aliarum provinciarum huic Quitensi.

xviii. Quandocumque contigerit religiosos alterius provinciae alumnos huic provinciae Quitensi affiliari, tum confirmantes et partim moderantes decreta reverendissimorum patrum in praedictâ provinciâ admissa, necnon iuxta decreta capituli generalis celebrati anno mdclxi., tam licentiam a patre reverendissimo generali in scriptis habendam, quam consensum authenticum utriusque definitorii saltem privati unius et alterius provinciae, *a qua* scilicet et *ad quam*, pro validitate affiliationis omnino intervenire debere decernimus et declaramus; secus affiliatio irrita et nulla sit ipso facto et absque aliâ declaratione. Nullus item alterius provinciae, nisi prius eidem legitime affiliatus sit, neque aliquis ex non iterum affiliatis, nisi triennio transacto a die legitimae affiliationis, in definitorem vel visitatorem, regentem, secretarium, doctrinarum priorem, seu vicarium cuiuscumque conventus vel domus, etiam Indorum, vel praedii eligi aut deputari possit; secus electio vel deputatio irrita et nulla sit ipso facto et absque aliâ declaratione.

De renunciationibus.

xix. Si pastor provincialis aut quilibet alius ex novem definitorii patribus legitimâ ex causâ officio suo semel acceptato renunciare voluerit, coram definitorio capituli provincialis vel congregationis intermediae id facere licite possit et valeat; praedictum autem definitorium, causâ renunciationis approbatâ renunciationeque acceptatâ, ut defectus renunciantis suppleatur, prout de iure, omnino procedere te-

neatur. Patres item priores, vicarii priores, studiorum regentes, provinciaeque secretarius, si causam legitimam renunciandi suis officiis semel acceptatis similiter habuerint, et eisdem renunciare licite possint et valeant, non tamen per sex menses ante tempus capituli provincialis, neque per duos alios ante tempus congregationis intermediae. Quocirca, textum nostrarum constitutionum, part. II., cap. VII., n. XVII., § 3, ibid: *Si vero prioratus officium acceptare renuerit sine causâ praedictâ quam iudicare tenentur pater provincialis et definitores, etc.,* intelligendum esse declarantes etiam respectu eorum qui praedictis officiis semel acceptatis renunciare voluerint, decernimus et declaramus huiusmodi patres suas renunciationes coram patre provinciali et definitoribus actualibus in definitorio saltem capituli privati congregatis facere teneri, ad quod definitorium causae vel causarum renunciationis approbationem, praedictaeque renunciationis acceptationem, necnon, si post congregationem intermediam renunciatio acceptari contigerit, electionem seu provisionem alterius officialis in locum renunciantis sufficiendi, ad praescriptum earumdem constitutionum, part. III., cap. IX., duraturam, pleno iure pertinere similiter declaramus: et, si secus super his fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione. Verba autem constitutionum, p. III., cap. II., § 5, ibid.: *Nullus item possit voci suae renunciare sub poenâ privationis vocis activae per biennium,* de renunciatione solius vocis, ut praedicta verba sonant, non autem de renunciatione officiorum intelligenda esse declaramus, et non aliter, neque alio modo.

De appellationibus.

XX. Si quis autem in quibuscumque causis civilibus vel criminalibus a definitorio capituli provincialis vel congregationis intermediae nulliter aut cum iniustitiâ notoriâ iudicatus vel spoliatus fuerit, ad remediaque iuris (absolutis praedictis definitoriis) recurrere voluerit, tunc per se vel per eius procuratorem, etiamsi absens fuerit, coram definitorio capituli privati de praedictâ nullitate, vel iniustitiâ notoriâ processus vel sententiae, necnon restitutionem in integrum, dicere, conqueri et postulare legitime possit et valeat; verba namque nostrarum constitutionum, p. III., cap. X., § 3, ibi: *Non tamen poterunt sententias vel determinationes capituli vel congregationis provincialis mutare vel alterare,* in casibus spolii vel nullitatis aut iniustitiae notoriae locum non habent, neque eos comprehendunt, et ita intelligendum esse declaramus. Capitulum vero privatum etiam cum facultate desuper necessariâ et opportunâ, quae vigore praesentium statutorum atque declarationum ei perpetuo conceditur et concessa declaratur, quoad praedictam nullitatem vel iniustitiam notoriam, ac etiam quoad spoliati restitutionem, usque ad sententiam definitivam, prout iuris fuerit, procedere omnino teneatur; quod etiam in simili eventu per patrem praesidentem et iudices causarum facere posse declaramus. Magistri praeterea et praesentati, semel a provinciâ acceptati, gradibus magisterii vel praesentaturae, seu aliquo ex eorum privilegiis, nullo modo possint suspendi vel privati declarari, nisi propter casus dumtaxat pro eorum privatione vel suspensione in constitutionibus expressos, et per sententiam a definitorio capituli saltem privati, iuris ordine servato, proferendam; et, si contrarium super his fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione. Praefati insuper magistri a provinciâ acceptati (quoad habilitatem ad officium provincialatus absque eo quod conventuum priores aliquando extiterint, confirmantes et innovantes declarationes reverendissimi Valvasorii praedecessoris nostri), eo quod omnes actu legerint et docuerint, privilegio regentium gaudeant et potiantur.

De amotione et residentiâ vicariorum priorum.

XXI. Vicarii priores, qui loco priorum vel vicariorum titularium cum voto, vel ante vel post congregationem intermediam, quomodolibet eliguntur vel providentur, nullo modo ad libitum removeri possint; sed, si motiva adsint privationis vel declarationis, contra eos procedendum esse declaramus eodem modo et formâ praescriptis in constitutionibus, part. III., cap. XIII., § 17, et in decreto sub num. XXIV. infrapasito; irritum ac inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes, quidquid secus fieri vel attentari contigerit.

Innovantes propterea et ampliantes decretum reverendissimi Lanfranconii pro eâdem provinciâ Quitensi emanatum, praecipimus omnibus et singulis prioribus et vicariis prioribus in capitulo provinciali seu aliàs electis vel provisis, sub poenis privationis praedictorum officiorum ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum per quinquennium obtinenda, ut in conventibus, doctrinis vel praediis, pro quibus sunt electi

vel provisi, ad praescriptum constitutionum, part. III., cap. XIII., § 9, omnino residere teneantur; paterque provincialis seu rector provinciae vel alius quicumque superior, sub poenâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrendâ, eisdem vel alicui eorum nullo modo residentiam impediant, sed eos ad ita residendum cum effectu respective compellant; et, cum priores seu vicarii priores ad capitulum provinciale ire debent, praedictus provincialis seu rector provinciae, sub eâdem poenâ privationis, de vicariis qui conventibus interim praesint, excepto unico casu in constitutionibus expresso, part. III., c. XX., § 1, nullo modo provideant; sed, conformiter ad dispositionem eiusdem c. XX., si praedicti conventus superiorem non habuerint, vicarii eligantur, nec, sub eâdem poenâ privationis, auctoritatem et gubernium interinarium superioris vel in eius deficientiâ praedictas electiones valeant impedire, vel secus super his quovis modo audeant attentare.

De patribus convocandis ad negotia coenobii pertractanda.

XXII. Quotiescumque iuxta praescriptum nostrarum constitutionum superior localis ad aliquam causam vel negotium pertractandum patribus consilii uti debet (inter quos semper connumerari debere declaramus et praecipimus studiorum regentes et lectores sacrae theologiae et artium tam actuales quam iubilatos), tunc omnes et singulos patres consiliarios vota decisiva habere declarantes, decernimus quod si aliquis eorum pro suffragatione secretâ instantiam facerit, per ballotulas secretas omnino fiat, et in omni eventu, nisi eorum maior pars concurrat et consentiat, sententia vel resolutio nullo modo sit neque intelligatur facta; superior vero, sub poenis privationis utriusque vocis per quinquennium et nullitatis agendorum ipso facto incurrendis, neque liberam patrum suffragationem publicam vel secretam valeat quovis modo impedire, neque eorumdem vota ad eius sensum extorquere.

De reclamantibus eorum professioni.

XXIII. Si quis in posterum contra suam professionem iudicialiter reclamaverit, vel de eius nullitate dixerit, a quocumque officio, quod pro tunc habuerit, ipso facto sit absolutus et privatus, liteque seu reclamatione durante nec vocem activam nec passivam ullo modo habeat; et, si, in quocumque statu causae, vel post sententiam definitivam, etiam in iudicatum translatam, ad matrem suam religionem redire velit, charitative quidem recipiatur, ita tamen ut, si, facto processu ad praescriptum decreti sub num. XXIV. infra positi, legitime constiterit indebite ac malitiose, et praesertim ad se subtrahendum a correctione superioris, contra professionem reclamasse, vel de eius nullitate dixisse, si graduatus vel sacerdos tantum fuerit, locum novissimum inter graduatos vel sacerdotes per annum respective habeat, et utrâque voce careat per biennium; si vero non sacerdos sive chorista, ut vocant, fuerit, poenam gravioris culpae per unum mensem sustineat, et ad sacros ordines, etiamsi in eis initiatus fuerit, per triennium nullo modo promoveatur; et, si tandem laicus fuerit, eamdem poenam gravioris culpae per unum mensem subeat, et locum novissimum teneat per biennium.

De formâ quam provincialis servare debet in causis gravioribus.

XXIV. Cum pater provincialis, etiam tempore visitationis, in quibuscumque causis civilibus vel criminalibus procedit seu procedere intendit ad imponendum, etiam per sententiam declaratoriam, poenam vel poenas graviores ordinarias, scilicet privationis vocis activae vel passivae, dignitatis, prioratus, magisterii, praesentaturae officii vocem activam vel curam animarum habentis, gravissimae culpae, triremium, exilii a provinciâ, torturae, infamiae, apostasiae, conspirantis, capitis factionum, incorrigibilitatis, et aliarum similium, vel formidabiliorum, aut infamiam personae, conventus, provinciae vel religionis inducentium, insuper in illis causis in quibus tractatur de exclusione vel admissione, validitate vel invaliditate alicuius magisterii vel praesentaturae, in aliis similibus vel gravioribus, tunc praedictus pater provincialis, non tamquam visitator, nec sub ratione et formalitate visitationis (etsi ea in actu fuerit), sed tamquam iudex (praesuppositis tamen de iure praesupponendis) iudicialiter et compilato processu, servatisque omnibus et singulis substantialibus iudiciis ordinariis, in earum substantiatione, cognitione et determinatione omnino procedere teneatur; itaut reum seu reos, prout de iure, etiam ad sententiam citet; eos in omnibus et singulis suis legitimis defensionibus, excusationibus et exceptionibus, etiam contra iudicem vel iudices, testem vel testes, prout de iure, audiat; eis integram copiam processus, nomina testium et consultum habere cum advocatis seu iurisperitis, etiam saecularibus, si petierint, terminosque sufficientes pro suis defensionibus concedat; coniudices verbo

vel scripto informare nullatenus impediat; ceteraque huiusmodi, etiam circa habilitatem, iuramentum, examen et repetitionem testium pro integritate iudicii et legitimâ efformatione probationum de iure necessariâ (quae probationes, ut ad poenam vel poenas praecipue ordinarias reus condemnari, vel in eas aut in aliquam earum incursus declarari possit, plenae, clarae et concludentes debent esse), omnino observet, et ad sententiam sine plenâ cognitione causae (prout ex parte suâ fuerit) nullo modo procedat, neque procedere possit; appellationes insuper legitimas, etiam ex causâ probabili, debito tempore interpositas (exceptis tamen quibusdam casibus particularibus de iure, et prout de iure excipiendis), quoad utrumque effectum, scilicet suspensivum et devolutivum, in quantum ad se attinet, admittat, easque sic admittere teneatur. Quam formam, modum et ordinem iudicialiter procedendi et iudicandi, etiam circa appellationis admissionem, alium quemcumque superiorem ordinarium vel delegatum, necnon quodcumque tribunal vel definitorium etiam capituli provincialis respective observare teneri decernimus et declaramus. Unde verba nostrarum constitutionum, part. III., cap. XII., § 22, ibi: ***Appellationes a correctione regulari vel a praecepto sui superioris penitus inhibemus, et a nostro Ordine legamus,*** etc., et illa, part. VI., cap. XXIII., § 2, ibi: ***Impositae tamen poenae, quocumque modo imponantur, a subditis humiliter acceptentur, postpositâ omni appellatione; nam a correctionibus non licet fratribus nostris appellare,*** de correctionibus vel praeceptis extraiudicialiter et ad poenitentiam impositis, modumque legitime corrigendi et praecipiendi non excedentibus, intelligenda esse declaramus, et non aliter, neque alio modo: et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum et inane, nulliusque roboris et momenti, ipso facto et absque aliâ declaratione.

De iudicibus recusantibus.

XXV. Recusationes malitiosae, calumniosae, frivolae, frustratoriae nullo modo admittantur, sed potius ita recusantes graviter et prout de iure respective corrigantur et puniantur. Si tamen quicumque superior, tam intra quam extra terminum visitationis iudicialiter procedens seu procedere intendens, legitime recusari etiam ex causâ probabili contingat, tunc, huiusmodi recusatione admissâ, circa probationem causae vel causarum praedictae recusationis, necnon circa alia ad ipsam recusationem eiusque iudicium concernentia vel attinentia, ac insuper in omnibus et singulis illis casibus in nostris sacris constitutionibus omissis, et in casibus dubiis, pro eorum doctrinali intelligentiâ seu interpretatione, in eo interim quod reverendissimi patris responsum legitime habeatur, prout de iure communi canonico procedi et ad illud respective recurri debere volumus et declaramus. Verum si pater praesidens intra definitorium capituli provincialis, vel pater provincialis intra definitoria congregationis intermediae vel capituli privati legitime coram eisdem definitoriis recusari contigerit, vicarios loco eorum nominare vel substituere etiam sub motivo praesidendi minime possint; sed in tali casu praesidentia definitorii, quodcumque sit, patri ex reliquis in ordine sedendi antiquiori pertineat: et tam in istis quam in casu recusationis aliorum coniudicum, dummodo tamen maior pars definitorii libera et expedita maneat, nullus alius ad definitorium loco recusati vel recusantis vocetur vel admittatur; sed plena iurisdictio, etiam quoad causam principalem, in maiori parte coniudicum remanentium sit et permaneat, prout ita esse et permanere volumus et declaramus: quod si maior pars definitorii, ut supra, non manserit, itaut in definitorio capituli provincialis vel congregationis intermediae quinque, et in definitorio capituli privati tres ad minus patres liberi et expediti existant, tunc pro dictâ maiori parte integrandâ, ad praescriptum decreti sub num. IX. suprapositi inviolabiliter procedatur.

De promovendis ad gradus vel ordines, nec non de apostatis.

XXVI. Nullus religiosorum, qui a decem annis professionem in eâdem Quiti provinciâ emiserit vel emittet in posterum, in definitorem, regentem, secretarium, doctrinarium, concionatorem, priorem etiam Indorum vel praedii eligi possit, nisi per biennium integrum artium, et per triennium sacrae theologiae cursus compleverit; in confessores vero eligi poterunt, dummodo in casibus conscientiae sint sufficienter instructi. Ii autem, qui ex aliis provinciis a decem annis Quitensi provinciae sunt filiati, vel affiliabuntur in posterum, definitorio per instrumenta authentica constare faciant, qualiter praedictos artium et sacrae theologiae cursus in provinciis a quibus sunt exsiliati perfecerint, aliàs, sub

poenâ inhabilitatis ad recensita officia, praedictos cursus in provinciâ Quiti complere teneantur. Et ad vitandam omnem irregularitatis suspicionem in sacris ordinibus suscipiendis, praecipimus et mandamus reverendo provinciali seu rectori provinciali, necnon cuicumque definitorio etiam capituli provincialis eiusdem provinciae Quitensis nunc et pro tempore existentibus, sub poenis privationis utriusque vocis per decennium, ut, ad canones sacrosancti Concilii Tridentini, religiosis alterius provinciae, etiam cum licentiâ suorum provincialium ad istam Quitensem divertentibus, nullo modo dimissorias ad ordines sacros suscipiendos, etiamsi in eis initiati fuerint, de cetero concedant; cum huiusmodi dimissoriae a propriis et non ab alienis provincialibus concedendae sunt. Animarumque praeterea saluti consulentes, ob immanem terrae marisque distantiam ab hac Romanâ Curiâ, benigne concedimus patri provinciali seu rectori provinciali et definitoribus etiam capituli privati praedictae provinciae Quitensis, nunc et pro tempore existentibus, ut religiosos suos apostatas, etiamsi a multo tempore et ultra annum a conventu, vel etiam a provinciâ, immo et a religione, non tamen a fide, apostataverint, recipere possint, servatis tamen quoad cetera dispositionibus nostrarum constitutionum, part. vi., cap. xiv., de apostatis recipiendis.

De lectoribus.

xxvii. Ut debitum studiorum praemium benemeritis retribuatur, praecipimus quod in lectorem artium nullus de cetero assumatur, nisi prius, per integrum biennium artium ad minus, et per quadriennium theologiae scholasticae cursibus peractis, praevium rigorosum examen per oppositionem lectionis vigintiquatuor horarum coram patre provinciali, superiore ordinario conventus, magistris a provinciâ acceptatis, studiorum regente, lectoribus tam actualibus quam iubilatis, et studiorum magistro subeat, ac, argumentis satisfactis, a maiori parte praedictorum patrum per suffragia secreta approbatus fuerit: inter approbatos vero ceteris praestantior, pro primo artium cursu legendo deputetur; quod si aequales in doctrinâ censeantur, antiquior in studiis scholasticis; et datâ in iis aequalitate, antiquior in professione aliis praeferatur: ad lectoratus itidem theologicos inter artium lectores ille primo assumatur qui antiquior est in lectione scholasticâ; in qua si pares sint, qui prius lector fuerit institutus; et si aequales in institutione inveniantur, ordo servetur professionis: ei vero, qui inverso ordine a nobis praescripto ad lectoris munus assumptus fuerit, annus vel anni, quibus artes vel theologiam aut utramque facultatem legerit seu docuerit, nullo modo computentur, neque computari possint, pro magisterio obtinendo.

De magistris et praesentatis.

xxviii. Patres definitorii, etiam capituli provincialis, sub poenâ privationis vocis activae et passivae per quinquennium ipso facto incurrendâ, nullo modo ad magisterium etiam pro primo loco vacaturo postulent vel exponant eum, qui per octo annos artium et theologiae cursus docendo et legendo prius non compleverit; neque eumdem vel alium quemcumque pro magistro etiam primum locum vacaturum acceptent seu recipiant, nisi, praedicto tempore lectoriae completo, litteras originales magisterii coram definitorio exhibuerit: ad praesentaturae vero gradum, sub eâdem poenâ privationis, neminem postulent, aut pro praesentato acceptent seu recipiant, nisi, cursibus philosophicis et theologicis, ut supra in decreto sub num. xxvi., expletis, sex ferias quadragesimales, ut vocant, et alios particulares sermones praedicaverit, litterasque praesentaturae ante acceptationem seu receptionem coram definitorio exhibuerit originales: irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

De praecedentiis.

xxix. Ad extirpanda radicitus litium germina quae circa praecedentias oriri solent, declaramus quod exprovincialis et expraesidens toto illo quadriennio, quo immediate absoluti sunt suis ab officiis respective, cum adhuc de corpore definitorii sint, eumdem locum ubique et praecedentiam habent, quam habent intra definitorium congregationis intermediae ex declaratione reverendissimi Lanfranconii pro eâdem provinciâ emanatâ, in eâque usu receptâ, declarantes tamen, quod, transacto quadriennio, in quo sunt immediate absoluti, ad praecedentiam et locum ex constitutionum part. iii., cap. xxi. eisdem aliàs debitum reduci teneantur, prout, sub poenis privationis vocis et loci per quinquennium ipso facto incurrendis, praecipimus omnibus et singulis huiusmodi patribus, etiam eis qui ante huius decreti emanationem ita absoluti extiterunt, ut cum effectu reducantur; non obstantibus quibuscumque

in contrarium; cum, iuxta constitutionem Urbani VIII. de die xv. ianuarii MDCXXX. incipientem *In Sede Principis Apostolorum*, praedictum capitulum XXI., partis III. earumdem constitutionum de ordine praecedentiarum inviolabiliter observari debeat. Quoad magistros insuper a provinciâ acceptatos, in choro, refectorio, capitulo, processionibus, etc., ille, qui per tres menses ad minus prius graduatus fuerit, insigniaque magistralia susceperit, ad praescriptum praedictarum constitutionum praedictâ parte III., cap. XXI., et parte V., cap. VI., ceteros, etiamsi exprovinciales sint, praecedat praecedereque debeat, nullo habito respectu ad qualitatem exprovincialatus, utpote, ex praedicto cap. XXI., partis III. constitutionum, magisterio inferiorem. Inter praesentatos autem ille alios in eisdem locis praecedat, praecedereque debeat, qui per duos menses ad minus gradu praesentaturae, etiam ante huiusmodi decreti emanationem, prius graduatus fuerit, sive sint cum voto, sive non sint, cum, iuxta praedictas constitutiones, eâdem parte III., eodemque cap. XXI., praedicti praesentati et superior conventus, vota non habentes, ante socium patris provincialis, qui habet votum, locum et praecedentiam teneant. Qui vero, ab aliis provinciis exsiliati, provinciae Quitensi affiliantur, eumdem in hac locum et praecedentiam retineant, quem in provinciâ a qua exsiliantur habebant, itaut magister inter magistros, praesentatusque inter praesentatos, etc., praecedentiam retineant sibi debitam, dummodo tamen de suâ legitimâ promotione ad gradum magisterii vel praesentaturae, sive de antiquitate suae professionis, si graduati non fuerint, definitorio saltem privato provinciae Quitensis, cui affiliantur, legitime constare faciant. Ut haec quae circa praecedentiam decreta sunt, exactiùs in istâ provinciâ serventur, declaramus quod patres provinciales actuales seu rectores provinciales, sive per se ipsos, sive unâ cum definitorio etiam capituli provincialis, nullo modo possunt neque poterunt alicui religioso concedere praecedentiam, sicut nec etiam privilegia personalia, quibus vel a choro, vel a mensâ communi, vel a communibus observantiis eximantur; sed observandam esse omnino constitutionem apostolicam Urbani VIII. die XXX. iulii MDCXXVI. incipientem *Pastoralis*, qua huiusmodi privilegia et exemptiones prohibita et interdicta sunt, de ceteroque absque licentiâ Sedis Apostolicae concedi non possunt: irritum insuper et inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes et declarantes, si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

De executione decretorum quorum duo de electione provincialis declarantur.

XXX. Volumus et declaramus a reverendissimorum patrum decretis, statutis, ordinationibus et declarationibus semel ab istâ nostrâ Quitensi provinciâ receptis, necnon ad eius postulationem provisis, seu pro ipsius reformatione et bono regimine cum cognitione causae emanatis, supplicationem vel appellationem, ex legitimâ causâ interpositam, eorum exequutionem nullo modo retardare vel impedire posse; sed, in eo interim quod responsum vel determinatio superioris legitime habeatur, omnia et singula inviolabiliter observari ac omnino exequi debere: irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

Experientiâ insuper edocti quod multa irrepserint dubia et lites ex decretis reverendissimorum Vicecomitis et Lanfranconii praedecessorum nostrorum, quibus praecipitur ut electio patris provincialis, sub poenâ nullitatis, celebretur iuxta constitutiones, quodque, qui semel electus fuerit in provincialem, alterâ vice eligi non posset, sub poenâ eiusdem nullitatis: ideo praedicta duo decreta moderanda et ad terminos nostrarum constitutionum reducenda statuimus, prout tenore praesentium ea moderamur et reducimus, declarantes quod qui conformiter ad sacros canones et nostras constitutiones habilis et idoneus ad provincialatum repertus fuerit, valide et legitime eligi possit; electioque, quae iuxta praedictos sacros canones et constitutiones religionis valida et legitima fuerit, pro validâ et legitimâ habeatur, eodem prorsus modo ac si praedicta duo decreta emanata non fuissent.

De rectore provinciali qui per aliquod tempus gubernaverit, et de electione vicariorum, priorum aliorumque similium.

XXXI. Confirmantes et, quatenus opus sit, innovantes declarationes reverendissimorum patrum etiam pro eâdem nostrâ provinciâ Quitensi emanatas, declaramus rectorem provincialem legitime electum seu institutum, qui cum effectu provinciam per aliquod tempus gubernaverit, et locum et vocem activam et alia quaecumque iura, praerogativas et privilegia provincialis absoluti tum intra tum extra definitorium deinceps semper habere. Et tandem, cum nostrae constitutiones, part. III., cap. IX., disponant, ut in casu, quo defi-

nitorium privatum post congregationem intermediam priores officio privet, nova electio vel provisio vicarii prioris, quae tunc fieri debet, ad praedictum definitorium privatum pertineat; huiusmodi dispositionem etiam de declaratione privationis, necnon in casu quo alius quicumque officialis vocem activam habens officio privetur vel privatus declaretur, intelligendam esse declaramus: irritum ac inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

Sanctio.

XXXII. Ut autem praesentia haec nostra decreta, statuta, ordinationes et declarationes, quae cum plenâ cognitione causae pro reformatione et bono regimine istius nostrae provinciae Quitensis a nobis maturâ consideratione edita fuere, firmius consistant, stricte praecipimus reverendo patri provinciali seu rectori provinciae, omnibusque et singulis reverendis patribus definitorii praedictae provinciae, nunc et pro tempore existentibus, in meritum salutaris obedientiae, sub rebellionis nostrae, privationis vocis activae et passivae per decennium, graduum, officiorum necnon excommunicationis maioris latae sententiae, quam hac unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ in his scriptis, licet inviti, ferimus, ipso facto incurrendis poenis, quatenus, omni et quacumque supplicatione et appellatione remotâ, omnia et singula decreta, statuta, ordinationes et declarationes, in his litteris contenta, in capitulo etiam privato integre recipiant, ad litteram inviolabiliter observent, ab omnibus et singulis respective sic observari faciant, et ullâ sine morâ exequutioni mandent; non obstantibus quibuscumque provinciae definitionibus, actis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, necnon nostris vel praedecessorum nostrorum decretis, statutis, ordinationibus et declarationibus in contrarium praemissorum quomodolibet approbatis, confirmatis, innovatis, concessis et emanatis; quae omnia et singula, in quantum praesentibus adversantur, revocamus et annullamus, et revocata et annullata esse volumus et declaramus, sicuti etiam alia a nobis decreta, die XX. mensis novembris MDCLXXV. pro istâ provinciâ Quitensi edita, tenore praesentium revocamus et annullamus, revocataque et annullata esse volumus et declaramus, mandantes ut ad nos cum effectu transmittantur; praecipimus insuper eidem patri provinciali seu rectori provinciae, nunc et pro tempore existenti, sub eisdem poenis, ut perpetuis futuris temporibus, ante recognitionem patris praesidentis, in capitulis provincialibus et in congregationibus intermediis respective, coram omnibus patribus ac fratribus, horâ quae opportuna ei videatur, haec nostra decreta, ordinationes, statuta et declarationes perlegi faciat, ac in libro provinciae transcribi, et eorum authenticam copiam ad omnes conventus dictae provinciae transmitti curet; quorum prioribus seu superioribus localibus nunc et pro tempore existentibus etiam praecipimus, sub poenâ suspensionis ab officio per sex menses ipso facto incurrendâ, ut eadem singulis annis infra quadragesimale tempus publice coram omnibus legi faciat. Haec autem nostra decreta, ordinationes, statuta et declarationes, quae semper firma, valida et efficacia esse decernimus et declaramus, de subreptionis vel obreptionis, vel alio quovis defectu, etiam intentionis nostrae, nemo nobis inferior, sub iisdem poenis et excommunicatione, notare audeat; sicque in praemissis per quoscumque praedictae provinciae et Ordinis nostri iudices et superiores ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, ac irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes et declarantes, si secus super his a quoquam nobis inferiori, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, fieri vel attentari contigerit. »

Preces procuratoris provinciae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decreta, statuta, ordinationes et declarationes, aliaque praemissa, bono regimini ac reformationi et tranquillitati praedictae provinciae valde utilia sint, firmiora vero existant ea quibus Apostolicae Sedis accedit auctoritas: nobis propterea dictus Franciscus procurator, etiam nomine dictae provinciae, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Omnia relata decreta confirmantur.

§ 3. Nos igitur, ipsum Franciscum procuratorem specialis favore gratiae prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes ac absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E.

Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, omnia et singula decreta, statuta, ordinationes et declarationes ac articulos et capitula praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XVII. martii MDCLXXIX., pontificatus nostri anno III.

VIII.

Confirmat quasdam ordinationes generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini circa electiones superiorum et officialium in Quitensi, aliisque Indiarum provinciis (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Causae sequentium ordinationum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, quod, ad tollendas omnes controversias quae in Quitensi aliisque Indiarum provinciis dicti Ordinis circa electionum confirmationes a praesidentibus seu a confirmatoribus faciendas oriri possent, dilectus etiam filius Dominicus Valvasorius prior generalis dicti Ordinis nonnullas ordinationes fecit per quasdam suas patentes litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

Statutum fuerat a Pontifice, ut valide conserentur electiones omnes confirmatae a præsidentibus, donec innotesceret definitio prioris generalis.

« Magister frater Dominicus Valvasorius Mediolanensis, totius Ordinis Eremitarum sancti patris nostri Augustini prior generalis. Etsi ad tollendam a subditis occasionem insurgendi contra patrem provincialem seu rectorem provinciae et alios superiores in capitulis provincialibus vel aliàs in Quitensi et aliis Indiarum provinciis respective electos et confirmatos, eisque debitam obedientiam sub motivo nullitatis electionis denegandi, per Constitutionem sanctissimi domini nostri Innocentii Papae XI. feliciter regnantis sub XXIV. mensis martii MDCLXXVIII. incipientem *Exponi nobis*, etc., ad nostram instantiam emanatam, satis opportune inter alia perpetuo statutum sit, quod, si in praedictis Quitensi et aliis Indiarum provinciis electiones patris provincialis et aliorum per scrutinium secretum a maiori parte electorum factae et a patre praesidente confirmatae fuerint, omnes et singuli alii defectus, etiam substantiales, iuris et facti, si forte in praedictis electionibus intervenerint, suppleri intelligantur, et pro suppletis habeantur interim et quousque super praedictarum electionum validitate vel nullitate ad praedictas Quitensem seu alias Indiarum provincias respective nostra vel successorum nostrorum determinatio perveniat, prout in praedictâ Constitutione Innocentianâ latius continetur, ad quam, etc.; quia

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Hac de re Const. *Exponi nobis*, et Const. *In supremo militantis*.

tamen patribus praesidentibus seu confirmatoribus, post praelaudatae constitutionis emanationem, nondum praescriptum est quomodo et qualiter auctoritatem confirmandi electiones exercere debeant, ex quo in partibus tam remotis faciliter contingi potest ut praedicti praesidentes seu confirmatores, sive ex officio, sive ad instantiam partis vel partium, sub variis motivis, causis vel praetextibus, in gravissimum tranquillitatis et pacis, immo et observantiae regularis, necnon tam eligentium et electorum earumdem provinciarum, quam nostrae auctoritatis praeiudicium, confirmationem vel confirmationes electo vel electis denegare, vel retardare, et consequenter salubrem effectum et efficaciam antedictae Constitutionis frustrare vel impedire possint:

Nunc declaratur debere praesidentes immediate confirmare electiones, semel ac factae fuerint a maiori parte electorum.

Nos propterea, eidem constitutioni Innocentianae inhaerentes, atque in hac parte huiusmodi provinciarum religiosae tranquillitati et paci consulere ac tot malis imminentibus de remedio opportuno providere volentes, tenore praesentium, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio admodum reverendorum patrum, qui nobis assistunt, perpetuo declaramus, statuimus et ordinamus, quod, si in praedictis Quitensi et aliis Indiarum provinciis in personam vel personas, quae tempore electionis, seu electionum, in quasi possessione saltem probabili vocis passivae respective, sive electio vel electiones patris provincialis, seu rectoris provinciae, definitorum, etiam additorum, visitatorum, priorum localium, vicariorum, priorum, iudicum causarum et scrutatorum definitorii, item ac discreti capituli generalis, necnon aliorum quorumcumque officialium, quocumque nomine nuncupatorum, vocem activam in capitulis provincialibus habentium, per scrutinium secretum, prout de iure faciendum, a maiori parte omnium electorum in capitulo provinciali aut in quocumque definitorio vel aliàs quomodolibet respective factae fuerint, patres praesidentes capituli, patres provinciales et alii quicumque superiores, in quibus auctoritas ordinaria vel delegata confirmandi pro tempore quomodocumque resideat, praedictos omnes et singulos electos, ut supra, eorumque singulares electiones sine retardatione confirmare omnino teneantur, non obstante quocumque defectu etiam substantiali, vel quacumque protestatione vel appellatione, sive ante sive post huiusmodi electionem vel electiones factâ vel interpositâ, etiam de iure. Quod si nihilominus huiusmodi confirmationem denegaverint vel aliquo modo retardaverint, tunc huiusmodi electus vel electi, eorumque singulares electiones, praesentium vigore, toties quoties perpetuis futuris temporibus opus fuerit, confirmati respective sint, ac pro confirmatis habeantur, eodem prorsus modo, ac si a praedictis patribus auctoritatem confirmandi habentibus confirmati fuissent, quatenus sine obice suam respective auctoritatem, officia et dignitates libere et licite exercere possint et valeant in eo interim quod ad praescriptum praelaudatae constitutionis Innocentianae super praedictarum electionum validitate vel nullitate ad praedictas Quitensem et alias Indiarum provincias nostra vel successorum nostrorum determinatio respective perveniat, legitimeque intimata fuerit. Declarantes praeterea, prout tenore praesentium declaramus, privative quoad aliam quamcumque auctoritatem seu iurisdictionem praedictarum respective provinciarum, etiam patris praesidentis et iudicum causarum, atque cuiuscumque definitoris, etiam capituli provincialis, ad nos et successores nostros, pro tempore existentes, tam congregationem quam determinationem super nullitate cuiuscumque electionis ut supra factae, etiam ipso iure, contra, tam ante quam post confirmationem, deductâ vel quomodocumque cognitâ dumtaxat pertinere. Praecipimus omnibus et singulis reverendissimis patribus ac venerabilibus fratribus cuiuscumque qualitatis, conditionis et dignitatis, etiam provincialatus et praesidentis capituli in praedictis Quitensi et aliis Indiarum provinciis nunc et pro tempore existentibus, in meritum salutaris obedientiae, sub privationis vocis activae et passivae per decennium, ac excommunicationis maioris latae sententiae, quam hac unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ in his scriptis, licet inviti, ferimus, ipso facto incurrendis poenis, ne, sub quovis motivo, causâ vel praetextu, impedimento sint quominus praesentes literae, quas semper firmas, validas et efficaces existere et perpetuo fore decernimus et declaramus, suum integrum ac plenarium in omnibus et per omnia sortiantur effectum, nec eas de obreptionis vel subreptionis vitio aut de alio quocumque defectu etiam auctoritatis vel intentionis nostrae notare seu impugnare audeant vel attentent; sed potius, statim ac huiusmodi

litterae ad praedictas Quitensem et alias Indiarum provincias respective pervenerint, sub eiusdem privationis et excommunicationis poenis, omni et quacumque appellatione et supplicatione remotâ, eas in quocumque definitorio etiam privato integre respective recipiant, in omnibus et singulis casibus emergentibus ad litteram observent, exequutioni mandent; sicque in praemissis per quoscumque praedictarum provinciarum et Ordinis nostri iudices et superiores ordinarios et delegatos, necnon per quaecumque tribunalia et definitoria iudicari et definiri debere, ac irritum et inane ipso facto et absque aliâ declaratione decernentes, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, fieri vel attentari contigerit. Non obstantibus quibuscumque praedictarum provinciarum definitionibus, actis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, necnon nostris vel praedecessorum nostrorum declarationibus, statutis, decretis et ordinationibus in contrarium praemissorum quomodolibet approbatis, confirmatis, concessis, innovatis et emanatis; quae omnia et singula, in quantum praesentibus litteris adversantur, seu contrariantur, expresse revocamus, derogamus et annullamus, ac revocata, annullata, derogata et nulla, nulliusque roboris et momenti esse volumus et declaramus; ceterisque contrariis quibuscumque, etc.

Datum Romae, in conventu nostri sancti patris Augustini, die ultimâ mensis iunii MDCLXXX.

F. DOMINICUS VALVASORIUS Mediolanensis, generalis licet indignus Ordinis eremitarum sancti patris Augustini;

Magister F. CAROLUS MARIA PERUSIA Mediolanensis, secretarius Ordinis. Loco ✝ sigilli. Registratum lib. II. »

Additur confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut litterae praeinsertae firmius subsistant, et in partibus adeo remotis executioni mandentur ac serventur exactius, praefatus procurator generalis illas apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui memoratum procuratorem generalem audiverunt, consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Palutii S. R. E. presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, eisdem Cardinalibus super praemissis factâ, praeinsertas patentes litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exem-

plis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die VIII. augusti MDCLXXX., pontificatus nostri anno IV.

IX.

Extendit decretum prioris generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini de consanguineis et affinibus religiosis ad Discalceatos Congregationis Hispaniae et Indiarum eiusdem Ordinis (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum Innocentii X. refertur.

§ 1. Dudum felicis recordationis Innocentius Papa X. praedecessor noster quoddam decretum a quondam Andrea Fivizano dum vixit priore generali Ordinis Eremitarum Sancti Augustini pro felici eiusdem Ordinis regimine inter alia editum auctoritate apostolicâ confirmavit per suas in simili formâ Brevis die XXIII. februarii MDCXLVII. desuper expeditas litteras, tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis a Domino pastoralis officii ratio postulat, ut his, quae pro felici statu et regimine Ordinum regularium in militante Ecclesiâ pie institutorum statuta fuerunt, quo exactius serventur, apostolici muniminis adiiciamus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Salvator Severinus de Fabiano, Camerinensis dioecesis, procurator generalis fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini, quod quondam Andreas Fivizanus, Ordinis praedicti, dum viveret, prior generalis, pro felici eiusdem Ordinis gubernio inter cetera edidit decretum tenoris sequentis, videlicet:

Statutum.

§ 1. « Postremo, religiosam eligentium libertatem foventes, simulantes, humanasque relationes dissecantes, religionis beneficium prosequentes et ad nostras electiones transferentes, decernimus, ut deinceps in capitulis nostris pontificialibus aut congregationibus, duos vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei vel affines nullatenus simul conveniant et votare possint, et multo minus definitorium simul ingredi et concurrere, etiam ad tertium gradum, eodem biennio et triennio valeant, nec tales in praedictis gradibus primo et secundo coniuncti, si fuerint sacerdotes vocem habentes, in eodem monasterio conventualiter degere possint, nisi communi patrum definitorii consensu per vota secreta accedente, scilicet in evidentibus casibus inevitabilis necessitatis; tum vero ille, cum quo fuerit dispensandum, toto dicto tempore intercedente, in eo conventu voce passivâ omnino careat, et activam in illis tantum electionibus aut propositionibus habeat, in quibus talis eius consanguineus non votaverit: quando autem duo vel plures huiusmodi consanguinei vel affines casu aliquo votum haberent, ille tantum, qui ratione officii digniorem locum habuerit, ad capitulum accedat, ceteri vero non accedant, nec accedere permittantur; ac, si contingat, quod multi non ratione officii, sed legis et privilegii concurrant, tunc professione antiquior, si voluerit, votare poterit. » Et infra: « Quare omnes electiones, deinceps contra hasce nostras ordinationes factas, nullas, irritas ac invalidas esse decernimus et declaramus, quibuscumque in contrarium non obstantibus. »

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet decretum praedictum aliàs a felicis recordationis Clemente Papa VIII. praedecessore nostro per suas in simili formâ Brevis litteras confirmatum, exequutionique demandatum fuerit, nihilominus, quia successu temporis observantia eiusdem decreti in aliquibus ex provinciis dicti Ordinis, variis sub praetextibus, etiam non usus, omissa, seu neglecta fuit, experientia vero doceat, ex desuetudine decreti huiusmodi perturbationes praesertim in electionibus superiorum et regimine domorum regularium eiusdem Ordinis maxime vigere: nobis propterea dictus Salvator procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos, eiusdem Salvatoris procuratoris generalis votis huiusmodi annuere vo- A censuris absolvit.

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

lentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, praeinsertum dicti quondam Andreae Fivizani prioris generalis decretum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, dictumque decretum in toto Ordine praedicto et ubique terrarum servari, sub poenis in eodem decreto contentis, mandamus, salvâ semper auctoritate congregationis dictorum Cardinalium; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Confirmat decretum prout in rubricâ.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac illis eiusdem Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptis credi iubet.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. februarii MDCXLVII., pontif. nostri anno III.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes a Praesentatione Vicarius generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae et Indiarum dicti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini nobis nuper exponi fecit, eadem Congregatio ad observantiam constitutionum fratrum Calceatorum Ordinis praefati non teneatur, ac proinde dubitari possit illam nec decretum praedictum servare teneri; ipse vero Ioannes Vicarius generalis pro felici et prospero suae Congregationis praefatae regimine et gubernio decretum huiusmodi, sublato quocumque usu vel consuetudine qui vel quae in contrarium allegari posset, in eâdem Congregatione observari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Preces vicarii generalis dictorum fratrum Discalceatorum, et causa extensionis decreti.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Ioannis Vicarii generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum a memorato Andrea Fivizano procuratore generali editum, et a praefato Innocentio praedecessore confirmatum, ut praefertur, in universâ Congregatione praedictâ fratrum Discalceatorum Hispaniae et Indiarum, ac ab omnibus et singulis ipsius Congregationis superioribus et fratribus, ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, sublato quocumque usu vel consuetudine qui vel quae in contrarium quovis modo allegari valeret, de cetero inviolabiliter observari debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Extensio decreti ad praefatam Congregationem Hispaniae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis eiusque provinciarum et conventuum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et con-

Derogatio contrariorum.

suetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. septembris MDCLXXX., pontificatus nostri anno IV.

X.

Ordinario Chiensi committit ut sub excommunicationis poenâ prohibeat, ne quis bona Monasterii Ordinis S. Basilii in Insulâ Pathmos surripiat vel occupet, et ut occupantibus restitutionem praecipiat: iubet etiam ut quotannis praesentium literarum promulgatio innovetur (1).

Venerabili fratri Episcopo Chiensi, seu dilecto filio eius Vicario in spiritualibus generali,

INNOCENTIUS PP. XI.

Venerabilis frater seu dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Pro pastoralis officii nobis ex alto commissi debito monasteriorum, et aliorum locorum regularium quorumlibet personarumque in illis Altissimo sub suavi Religionis iugo famulantium indemnitati libenter intendimus, ipsarumque personarum vota ad id tendentia favoribus prosequimur opportunis.

§ 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii S. Ioannis Evangelistae Insulae Pathmos, Ordinis S. Basilii nullius dioecesis provinciae Constantinopolitanae, nobis expositum fuit, quod nonnulli iniquitatis filii animarum suarum salutis immemores, Deique timore postposito, bona ad dictum monasterium illiusque monachorum, qui sub regulari observantiâ Ordinis praefati in dicto monasterio vitam ducunt, usus, pertinentia saepius furtive et violenter subtrahere, et occupare, ipsosque abbatem, et conventum in grave eorum et dicti monasterii praeiudicium illis spoliare praesumunt: quare pro parte abbatis et conventus eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum et praefati monasterii indemnitati illiusque bonorum conservationi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac fel. rec. Pii II. et Urbani VIII. RR. Pontificum praedecessorum nostrorum, qui monasterii supradicti indemnitati similiter consuluerunt, vestigiis inhaerentes, fraternitati tuae, frater Episcope, qui (ut asseritur) Ordinarius vicinior sive unus ex vicinioribus Ordinariis gratiam et communionem huius S. Sedis Apostolicae habentibus existis, seu, discretioni tuae, fili Vicarie, per praesentes committimus et mandamus, quatenus omnibus et singulis christifidelibus, tam earumdem partium incolis, quam aliis quibuscumque cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existunt, ne de cetero, sub excommunicationis poenâ, res et bona cuiuscumque generis et qualitatis existentia, ad dictum monasterium illiusque monachorum usus pertinentia et spectantia, quovis quaesito colore vel ingenio, per se vel alium seu alios, furari, seu iniuste capere vel occupare, seu monasterium vel monachos ipsos eis spoliare, aut similia perpetrantibus consilium, auxilium vel favorem praestare audeant seu praesumant, auctoritate nostrâ apostolicâ inhibeas; et illa ad

---

(1) Ex Tab. S. C. de P. F. emend. ex Reg. in Arch. Brev.

praesens occupantibus, dummodo tenor praesentium servatis servandis illis prius notificetur et intimetur, ut illa eisdem abbati et conventui restituunt, eâdem auctoritate praecipias et mandes: non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, ut de cetero perpetuis futuris temporibus per insulam Pathmos praedictam saltem semel in anno tenor earumdem praesentium publicetur, et illarum copia seu exemplar authenticum, ad hoc ut illae ad omnium notitiam pervenire possint, in locis solitis et consuetis insulae huiusmodi affigatur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXVIII. martii MDCLXXXI., pontificatus nostri anno V.

XI.

Concedit rectori collegii fratrum Praedicatorum in Quitensi provinciâ facultatem conferendi publice gradus scholasticos in nonnullis disciplinis, donec ibidem erigatur Universitas studiorum (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, cura animum nostrum sollicitat ut pia religiosorum virorum propriae alienaeque saluti operam dantium studia, ad christifidelium, praesertim in longinquis religionibus degentium, in doctrinâ sanâ institutionem atque eruditionem laudabiliter tendentia, peculiaribus favoribus et gratiis, quantum nobis ex alto conceditur, adiuvemus.

Causae erectionis collegii. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius de Quassada definitor et procurator provinciae S. Catharinae virginis et martyris de Quito in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum Praedicatorum in sacrâ theologiâ magister, quod (cum in illis partibus plurimi sint infideles, ex quibus multi operâ fratrum dicti Ordinis illic in vineâ Domini strenue laborantium ad christianae religionis veritatem in dies convertuntur, et longe plures, Domino benedicente, conversuri sperantur; verum messis quidem cum multa sit, operarii autem pauci, qui eos in doctrinâ sanâ instruere et confirmare valeant) dilecti pariter filii fratres provinciae praedictae (provide considerantes nullam in eâdem provinciâ studii generalis universitatem reperiri, ipsamque provinciam nongentis a Limanâ et ter mille milliaribus a Mexicanâ civitatibus, in quibus eiusmodi universitates studiorum generalium erectae sunt, distare, ac proinde studiosos partium illarum iuvenes sacrarum aliarumque bonarum litterarum studiis operam dandi, seque ad fidei catholicae propagationem habiles atque idoneos reddendi, peractisque studiosis laboribus, praemium graduum litterariorum consequendi gratiâ, longas periculosasque peregrinationes subire debere), praevio regio consensu, collegium sub titulo B. Bernardi regis catholici Sancti nuncupati intra vel extra septa conventus S. Petri martyris civitatis Quitensis dicti Ordinis suâ impensâ aedificare, in eoque grammaticam et philosophiam publice docere, ac etiam quatuor cathedras, duas quidem theologiae scholasticae, aliam theologiae moralis, et quartam Sacrae Scripturae, quas pro tempore obtinentes S. Thomae Aquinatis doctrinam sanctorum Patrum traditionibus et universalis Ecclesiae decretis conformem docere, erroneasque et noxias, praesertim in materiâ morali opiniones, quae in illis partibus serpere dicuntur, eorumdem sanctorum Patrum doctrinâ refellere debeant, de proprio fundare decreverunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ignatius collegio huiusmodi, eiusque rectori et cathedraticis pro tempore existentibus, facultatem conferendi publice gradus scholasticos in illis scientiis, quae in ipso collegio docebuntur, concedi plurimum desideret, similisque facultas aliis collegiis dicti Ordinis, in quibusdam civitatibus Indiarum Occidentalium, quae quadringentorum milliarium intervallo ab universitatibus publicis remotae sunt, existentibus, dudum ultimo anno MDCXIX. a felicis recordationis Paulo V., ad instantiam tunc existentis regis Hispaniarum catholici, concessa, et subinde ab Urbano VIII., Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, confirmata fuerit, ac eiusmodi praerogativâ tam clerici regulares Societatis Iesu, vigore quorumdam privile- Preces procuratoris provinciae S. Catherinae de Quito et causae constitutionis.

(1) Ex Regest. in Arch. Brevium.

giorum, quam fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, in vim quarumdam apostolicarum in simili formâ Brevis litterarum, in partibus Indiarum huiusmodi de praesenti fruantur: nobis propterea idem Ignatius humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedictae facultatis ad instar illius Eremitarum S. Augustini et clericorum Societatis Iesu.

§ 3. Nos, ipsum Ignatium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum, qui zelum pietatemque dictorum fratrum provinciae de Quito Ordinis Praedicatorum commendarunt, consilio, rectori pro tempore existenti dicti collegii intra vel extra septa supradicti conventus S. Petri martyris civitatis Quitensis, iam forsan erecti sive in posterum erigendi, gradus scholasticos in omnibus scientiis cathedrarum in eodem collegio iam forsan erectarum vel in posterum erigendarum quibuscumque studiosis, qui studiorum cursus ibidem peregerint, dummodo tamen praevio rigoroso examine ad id reperiantur idonei, ad formam litterarum in simili formâ Brevis aliàs concessarum praefatis fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini et clericis regularibus Societatis Iesu, auctoritate nostrâ apostolicâ conferendi facultatem, donec et quousque publica universitas regalis, sicut Limana et Mexicana, in dictâ provinciâ de Quito constituatur sive erigatur, dumtaxat duraturam, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, aliis religionibus in ipsâ civitate Quitensi existentibus, etiam Societatis Iesu, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCLXXXI., pontificatus nostri anno v.

XII.

Erigit academiam S. Thomae Ordinis Praedicatorum civitatis Monilan in insulis Philippinis in publicam studii generalis Universitatem (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Inscrutabili divinae sapientiae atque bonitatis arcano ad Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimen, meritis licet imparibus, evecti, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studia, per quae, depulsâ ignorantiae caligine, mentes veritatis luce illustrantur, et non minus catholicae fidei, divinique cultus propagationi et incremento, quam iustitiae administrationi, aliisque reipublicae commodis et ornamentis, privatorumque utilitatibus consulitur, ubique locorum, et praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus, quantum nobis ex alto conceditur, promovere ac incitare et confovere studemus, sicut omnibus maturâ consideratione perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiaeque decus et praesi-

---

(1) Haec academia instituta fuit ab Innocentio X. per constit. editam anno MDCXLV., novembris die XX.

dium, ac spiritualem temporalemque christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Qua de causâ et formâ erecta fuerit dicta academia.

§ 1. Dudum siquidem, felicis recordationis Innocentio PP. X. praedecessori nostro pro parte clarae memoriae Philippi IV. dum vixit Hispaniarum regis catholici exposito, quod in civitate Monilan in insulis Philippinis unum sub denominatione S. Thomae collegium Ordinis fratrum Praedicatorum existebat, in quo triginta alumni saeculares educabantur, et grammatica, rhetorica, logica, philosophia, ac theologia scholastica et moralis docebantur seu legebantur, magnâ cum incolarum illarum partium utilitate; civitas vero Manilan plusquam tribus leucarum millibus a vicinioribus studiorum generalium universitatibus, nempe Limanâ et Mexicanâ, distabat; et propterea idem Philippus rex in collegio praefato academiam erigi et institui summopere desiderabat: praefatus Innocentius praedecessor, supplicationibus memorati Philippi regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, in praefatâ civitate Monilan in aedibus dicti collegii, ubi tunc scholae erant, seu forsan in ampliorem formam construerentur, academiam, in qua religiosi dicti Ordinis grammaticam, rhetoricam, logicam, philosophiam et theologiam scholasticam et moralem publice profiterentur, ac iuvenes quoscumque docerent (1), duraturam dumtaxat donec et quousque aliqua publica studii generalis universitas in dictâ civitate Monilan, seu illius provinciâ, apostolicâ auctoritate erecta fuisset, eâdem auctoritate, sine tamen cuiusquam praeiudicio, erexit et instituit; ipsamque academiam, sic erectam et institutam, curae, regimini et administrationi dicti Ordinis et illius magistri generalis pro tempore existentis, seu ab eo deputandi, qui totius academiae rector existeret, praefatâ auctoritate supposuit, ac rectori ipsius academiae et collegii pro tempore existenti, ut, donec huiusmodi academia, ut praemittitur, duraret, illos quos in ipsâ academiâ sic erectâ per debitum tempus studuisse, ac scientiâ et moribus idoneos esse reperisset, in praefatis facultatibus, quae in dicto collegio ut praefertur docerentur seu legerentur, ad baccalaureatus, etiam formati, ac licentiaturae et doctoratus, necnon magisterii gradus, servatâ in omnibus et per omnia formâ decretorum Viennensis et Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendebat, et aliâs iuxta laudabiles aliarum academiarum consuetudines promovere et ipsorum graduum insignia eis exhibere valeret, dictâ auctoritate concessit et indulsit, cum diversis facultatibus, gratiis et indultis, et aliâs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XX. novembris MDCXLV. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae erectionis huius academiae in publicam universitatem.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Alphonsus Sandin procurator et definitor generalis provinciae SS. Rosarii dictarum insularum Philippinarum praefati Ordinis fratrum Praedicatorum nobis nuper exponi fecit, ex erectione academiae huiusmodi maxima in illis partibus ad animarum salutem assidue proveniat utilitas, propositisque studiorum praemiis erexerit (2) ad ipsa amplectenda et peragenda praemiaque huiusmodi promerenda studiorum alacritas, itaut multiplicatae reperiantur personae habiles et idoneae ad continuandas sacras missiones, quarum fructus sancta mater Ecclesia, Domino benedicente, in dies locupletantur (3); verum, propter ingentem dictae civitatis Monilan a praefatis studiorum generalium universitatibus distantiam supradictam, moraliter impossibile sit ut incolae civitatis et insularum Philippinarum huiusmodi ad easdem universitates, ut ibidem sacrorum canonum et legum civilium et medicinae studiis incumbant, se conferant; ac proinde plurimum expedire videatur, ut academia praefata in publicam studii generalis universitatem, ad hoc, ut in eâ sacri canones et leges civiles, ac medicina huiusmodi, quorum scientia ad bene ornatam rempublicam etiam necessaria est, publice doceri, harumque facultatum cathedrae a personis saecularibus peritis regendae benefactorum impensâ ibidem erigi et gradus scholastici earumdem facultatum studiosis post peracta studiorum curricula conferri valeant, ad instar Limanae et Mexicanae universitatum praefatarum, erigatur: nobis propterea dictus Alphonsus humiliter supplicari fecit ut in praemissis op-

---

(1) Male edit. Main. legit *docerentur*.

(2) Potius lege *creverit*, vel *evexerit*..... *studiorum* vel *studiosorum alacritatem*.

(3) Potius lege *quarum fructu*..... *locupletatur*.

portune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Accedit commendatio regis catholici.

§ 3. Nos igitur, incolarum civitatis et insularum praefatarum commodis, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Alphonsum specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, et attento quod praefati Alphonsi instantia huiusmodi a dilecto filio nobili viro Gaspare de Haro y Gusman, marchione de Carpio, carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici apud nos et Sedem Apostolicam oratore, eiusdem Caroli regis nomine commendata fuit, academiam in supradicto collegio S. Thomae civitatis Monilan Ordinis Praedicatorum, a memorato Innocentio praedecessore ad supplicationem praefati Philippi regis erectam, ut praefertur, in publicam studii generalis universitatem, in qua etiam sacri canones ac leges civiles et medicina publice praelegi et doceri, harumque scientiarum sive facultatum cathedrae, a personis saecularibus habilibus et idoneis regendae et obtinendae, fundari et institui valeant, ad instar praefatarum universitatum Limanae et Mexicanae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, sine cuiuscumque alterius universitatis studii generalis praeiudicio, erigimus et instituimus: ita tamen ut universitas huiusmodi sic erecta et instituta, donec et quousque alia publica universitas apostolica et regalis ad formam modo dictarum universitatum, et non aliter, aut in eâdem civitate Monilan, aut in aliis regnis vicinioribus construatur seu erigatur, dumtaxat durare debeat; ac eidem universitati studii generalis, sic per praesentes erectae et institutae, illiusque rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, procuratoribus, bidellis, nunciis, ceterisque officialibus, ministris et personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, quibus praefatae universitates studiorum generalium Limanae et Mexicanae, illarum rectores, magistri, doctores, lectores, praeceptores, scholares, procuratores, bidelli, nuncii, ceterique officiales, ministri et personae quaecumque respective, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia uti, frui, potiri et gaudere; rectori autem ipsius universitatis per praesentes erectae, ut, quamdiu universitas huiusmodi sicut praemittitur duraverit, illos, quos in eâdem universitate per debitum tempus studuisse ac scientiâ et moribus idoneos esse repererit, in praefatis facultatibus, sive scientiis, quae in ipsâ universitate docebuntur seu legentur, ad baccalaureatus, etiam formati, licentiaturae, ac doctoratus et magisterii gradus, servatâ tamen in omnibus et per omnia formâ decretorum Viennensis et Tridentini Conciliorum praefatorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, et aliàs, iuxta laudabiles supradictarum Limanae et Mexicanae universitatum ritus et consuetudines, promovere, solitaque graduum huiusmodi insignia eis conferre et exhibere; ipsis vero ad eosdem gradus per illum sic promotis, ut postea publice privatimque etiam in omnibus aliis universitatibus studiorum generalium facultates sive scientias praedictas respective alios docere et interpretari, de eis disponere, aliosque actus quoscumque eorum gradibus convenientes exercere libere et licite possint et valeant respective, auctoritate et tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Concessio Pontificis.

Clausulae.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis,

necnon, quatenus opus sit, collegii, provinciae et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. augusti MDCLXXXI., pontificatus nostri anno V.

XIII.

Indulgentiam concedit visitantibus Sanctum Iesu Christi D. N. Sepulchrum (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ caritate intenti, ac supplicationibus dilecti filii Petri Marini Sormani Mediolanensis, guardiani conventus sacri Montis Sion, et custodis Terrae Sanctae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus ad sepulchrum Iesu Christi Domini Nostri peregrinantibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti sanctum sepulchrum huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro principum christianorum concordiâ, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium defunctorum, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumpto seu transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. septembris MDCLXXXI., pontificatus nostri anno V.

XIV.

Confirmat decretum Cardinalis protectoris circa abrogationem commissariorum generalium pro provinciis Indiarum Orientalium Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia (2).

INNCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex debito pastoralis officii, quod inscrutabilis divinae sapientiae altitudo humilitati nostrae, viribus licet et meritis longe imparibus, imponere dignata est, paternam christifidelium qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt curam peculiari charitate assidue gerentes, ea, quae pro felici prosperoque illorum regimine et gubernio provide constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma et illibata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus.

Species facti. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ambrosius ab Assumptione frater expresse professus ac procurator provinciarum S. Thomae Apostoli et Matris Dei in Indiis Orientalibus Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod venerabilis frater noster Alderanus Episcopus Tusculanus S.R.E. Cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, inhaerendo quibusdam patentibus litteris a dilecto filio Petro Marino Sormano generali eiusdem Ordinis die XXI. maii proxime praeteriti emanatis, easque opportune declarando, et quae deerant supplendo, decrevit et mandavit, ne de cetero commissarii gene-

(1) Ex Bull. Terrae S., edit. Romae an. 1727, p. 110.
(2) Ex Reg. in Arch. Brev. De commissariis generalibus Indiarum vide Urbani VIII. const. edit. MDCXXV., die XX. novembris, pont. III.

rales ad dictas provincias amplius deputentur, variasque ordinationes fecit, tam circa deputationem praesidum et coniudicum, qui causas appellationum in eisdem provinciis congnoscant, et fine debito prout iuris fuerit terminent, quam circa commissarios ad visitandas provincias huiusmodi, celebrandaque illorum capitula provincialia deputari solitos, necnon circa praecedentiam dictis praesidibus decernendam, et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Alderani Episcopi Cardinalis et protêctoris litteris patentibus desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Cardinalis protectoris cum altero ministri generalis.

« Alderanus Episcopus Tusculanus S.R.E. Cardinalis Cybo seraphici Ordinis sancti Francisci apud Sanctam Sedem protector, dilectis nobis in Christo patribus provincialibus, provinciae patribus, custodi, definitoribus, ceterisque aliis patribus et fratribus provinciarum nuncupatarum S. Thomae Apostoli et Matris Dei in Indiis Orientalibus, salutem et divinorum charismatum incrementum. Frater Ambrosius ab Assumptione provinciae Matris Dei pater et commissarius generalis Terrae Sanctae, quem procuratorio nomine ad capitulum generale et ad Romanam Curiam pro utriusque vestrae provinciae negotiis ablegastis, exhibuit nobis quasdam litteras patentes patris Petri Marini Sormani moderni ministri generalis totius Ordinis sancti Francisci datas in conventu S. Ioannis Regum Toleti, sub die XXI. maii MDCLXXXII., quarum tenor est, quod, attentâ petitione per dictum procuratorem nomine vestro ei oblatâ, visis, et, praeviâ consultatione nonnullorum patrum graviorum, mature perpensis rationibus per vos procuratoremque vestrum praefatum exhibitis, ne imposterum ob maximam paupertatem et angustiam, qua vestrae provinciae premuntur, commissarii generales ad easdem provincias deputentur, praefatus minister generalis, tum ad evitandos maximos sumptus in deputatione et missione dictorum commissariorum fieri consuetos, tum etiam ut electiones vestrae maiori cum pace ac sine alicuius praepotentiâ perfici possent, statuit atque decrevit dictas provincias vestras ab huiusmodi onere et dispendiis eximere, ac proinde tales commissarios generales non amplius deputare, nec ab aliis imposterum deputandos fore, prout in dictis litteris patentibus expresse et latius continetur. Cumque idem frater Ambrosius ab Assumptione easdem litteras patentes auctoritatis protectionisque nostrae robore muniri et confirmari humiliter postulaverit: nos, firmo permanente ipsarum litterarum tenore, quem hîc pro inserto habere volumus, aliquibus tantummodo pro maiori claritate et faciliori executione immutatis atque ordinatis, decernimus pariter et mandamus praefatos commissarios generales ad dictas vestras provincias non amplius deputari debere, et praesentem determinationem a moderno et pro tempore existente magistro generali inviolabiliter observandam fore. Ne autem earumdem provinciarum religiosi, quoties a proprio provinciali vel definitorio per sententiam se iniuste gravari sentirent, appellationis beneficio careant, inhaerentes dispositioni dictarum litterarum patentium, volumus, et praesentium tenore praecipimus, ut in capitulis utriusque provinciae per definitorium noviter electum deputetur unus ex maturioribus et doctioribus provinciae patribus, qui tamquam praeses appellationum, insimul cum aliis duobus patribus graduatis eiusdem suae provinciae, qui religioso appellanti non sint legitime suspecti, ab ipso praesidente quoties opus fuerit eligendis et deputandis tamquam coniudicibus, possit et debeat definitive iudicare et sententiare in causis appellationum, cui ad hunc effectum plenam concedimus auctoritatem, servatis omnibus quae fuerint de iure servanda; eiusque praesidentis et dictorum coniudicum conscientiam in administratione recti iudicii gravissime oneramus. Hoc autem ita volumus executioni demandari, ut praeses cum suis coniudicibus audiat et iudicet causas, non illius provinciae ex qua ille est, sed alterius, ita ut qui est ex provinciâ S. Thomae inserviat pro provinciâ Matris Dei, et e contra. Quod si contigerit dictum praesidentem vel per mortem, vel per discessum, vel per aliam quamcumque causam deficere, provincialis et definitores illius provinciae, qui eum elegerunt, ad alterius praesidentis electionem etiam extra capitulum et congregationem devenire possint et debeant. Quo autem ad commissarios, qui ad visitandas provincias ac celebranda capitula deputari debent, cum hoc hucusque varie practicatum fuerit, volentes rem hanc ad certam, stabilem ac magis congruam methodum redigere, decernimus ut imposterum debeant assumi non ex illâ provinciâ, ubi capitulum est celebrandum, sed ex alterâ, nè rebus propriis et amicorum solummodo incumbentes, leges con-

fundant, ac munus tanti momenti vel iniuste vel violenter exerceant. De cetero leges et consuetudines antiquae observentur, ut scilicet provincialis cum definitorio, et patres provinciae, magistro generali seu commissario generali familiae, ad quos pro tempore spectabit, proponant seu nominent tres religiosos alterius praefatae provinciae huic muneri idoneos, ex quibus unum eligere possint. Hanc tamen propositionem seu nominationem volumus ad generalem mitti per primam post capitulum opportunitatem alicuius navis, quae Europam versus dirigetur. In quo si provincialis vel alii negligentes reperti fuerint, eiusdem generalis arbitrio graviter puniantur. Quod si ob naufragium, nimiam distantiam, vel aliud inevitabile impedimentum, non habeatur a magistro generali responsum quatuor mensibus ante tempus praefixum et consuetum capituli celebrandi, tunc possit provincialis cum definitorio et patribus provinciae unum ex tribus iam propositis tamquam commissarium visitatorem advocare, qui omnia et singula praestare possit et valeat, quae missi et deputati a generali magistro praestare solent, ita et taliter, quod, etiam superveniente postea deputatione factâ a praefatis magistro generali vel commissario, talis deputatio nullum sortiatur effectum, ac si facta non fuisset. Ut autem contentiones, quae ex defectu declarationis praecedentiae quam habere debent dicti praesidentes tam in propriâ quam in alienâ provinciâ oriri possunt, dirimantur, facultatem concedimus definitoriis utriusque provinciae decernendi eam in propriâ respective provinciâ praecedentiam, quam rationi et aequitati consentaneam iudicaverint, futuris temporibus perpetuo valituram. Ac tandem praecipimus vobis in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis arbitrio nostro infligendis, ut haec omnia a vobis petita, et a nobis et magistro generali respective in utilitatem et quietem publicam concessa, deinceps accurate servetis et ab aliis omnino servari faciatis. Valete, nosque Deo assidue commendate. Romae XVII. decembris MDCLXXXII. — A. Cardin. CYBO protector. IOANNES BAPTISTA RUSCA ».

Confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Ambrosius praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ambrosium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas memorati Alderani Episcopi Cardinalis et protectoris patentes litteras, omniaque et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae

haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXIII. decemb. MDCLXXXII., pontificatus nostri anno VI.

XV.

Approbat Collegium missionum Ordin. Minor. Obser. S. F. instituendum in conventu S. Crucis de Queretaro provinciae de Mechoacan in America; Commissarii Novae Hispaniae illud committit custodiae; regulas pro eo a ministro generali Ordinis propositas confirmat (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam. (2)

Sacrosancti apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, imponere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, illa quae a superioribus regularibus, ad promovenda religiosae observantiae studia, procurandamque infidelium ad veritatem christianae religionis conversionem, ac ad salutarem fidelium in via Domini directionem, pie prudenterque constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici roboris praesidio, cum id a nobis petitur, libenter communimus, et alias desuper disponimus, sicut, personarum, locorum et temporum qualitatibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem ac religionis incrementum conspicimus in Domino salubriter expedire.

Petitionis expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Angelus de Zevallos, procucurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod dilectus etiam filius Iosephus Ximenes Samaniego, minister generalis dicti Ordinis, Collegium sive Seminarium fratrum missionariorum eiusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus ad fidei catholicae propagationem instituendum esse existimans, de nonnullorum fratrum doctrinâ et virtute praeditorum consilio, conventum S. Crucis de Queretaro provinciae de Mechoacan in novâ Hispaniâ Ordinis praedicti ei rei duxit destinandum, ac proinde dilecto filio Antonio Linaz eiusdem Ordinis professori suam benedictionem et facultatem concessit, ut eumdem conventum sibi suisque sociis ad effectum in eo instituendi Collegium missionariorum huiusmodi, ab hac S. Sede petere valeret, et ad id suum consensum tribuit, ac sui generalatus auctoritate praedictae provinciae de Mechoacan consensum, quantum poterat, supplevit, cum diversis conditionibus et ordinationibus, et aliis, prout plenius continetur in ipsius Iosephi ministri generalis litteris patentibus desuper emanatis tenoris, qui sequitur, videlicet:

Ministri generalis literae. « Fr. Iosephus Ximenes Samaniego totius Ordinis seraphici, Patris nostri Francisci minister generalis et servus dilecto nobis in Christo patri fratri Antonio Linaz eiusdem Ordinis sacrae theologiae lectori iubilato, et S. Officii qualificatori, provinciae nostrae SS. Petri et Pauli de Mechoacan custodi, provinciae vero nostrae Maioricensis alumno, salutem in Domino sempiternam.

« Cum per patres prominístros et custodes ex provinciis nostris Indiarum Occidentalium ad suffragandum in capitulo generali proxime celebrando accedentes, et praecipue per te nobis innotuerit, messem adhuc multam apud Indos extare, operarios autem paucos, atque idcirco Dominum messis deprecari oportere, ut mittat operarios in messem suam; nos considerantes religionem nostram fratresque minores, secundum gratiam seraphico Institutori ex alto concessam, ob id potissimum ad vineam Domini vocatos, ut Apostolorum vestigia sequentes, euntes in mundum universum praedicarent Evangelium omni creaturae; fidelibus scilicet ad morum reformationem, infidelibus vero per sacrum regenerationis lavacrum ad veritatis catholicae agnitionem et salutarem S. R. Ecclesiae, extra quam

(1) Ex App. vet. ed. p. 314, emend. ex Reg. Arch. Brev.

(2) Ex collegiis approbatis ab Innocentio XI. et a caeteris R. P. nonnulla instituta fuere ad conciones in forma missionum inter catholicos tantum promovendas ad fidei conservationem, et alia ad fidem propagandam inter haereticos et infideles, et alia ad utrumque finem obtinendum. Huiusmodi Collectionis fini adhaerentes referemus constitutiones quae attinent ad collegia mere apostolica et mixta, caeteras vero praetermisimus. Ideoque non retulimus const. *Ex iniuncto nobis divinitus* Inn. XI. relatam in App. vet. edit. p. 308, qua institutum fuit Coll. de Baradoxa in Lusitania pro missionibus lusitanis.

salus non est, obedientiam praestandam, sicut per multa saecula (Deo dante) in omni loco et tempore copioso per huius Ordinis fratres, profuso sanguine, optimo experimento didicimus; dolentesque nimium, quod ingens adeo Indorum multitudo, etsi pretioso Christi Sanguine redempta, ex penuriâ tamen ministrorum evangelicâ luce orbata ac infidelitatis tenebris obruta, beneficio tanto incassum accepto, per momenta singula miserabiliter pereat: facultatem tibi concessimus, quatenus ex nostris Hispaniae provinciis viginti quatuor religiosos seligeres morum integritate, literarum peritiâ et salutis animarum zelo pollentes, qui huiusmodi iter tecum aggredi, et in pio adeo atque proficuo ministerio exerceri optarent, legitimum te eorumdem praelatum et commissarium nostrum delegatum cum opportunâ et necessariâ facultate constituentes, sicut in literis per nos super hac re expeditis latius continetur. Idcirco, ut exercitium hoc, animarum saluti summe necessarium christianae caritati et instituto nostro conforme, in partibus Indiarum non solum inducatur sed etiam radicetur et promoveatur, nobis de aliquorum patrum doctrinâ et virtute praeditorum consilio, opportunum et congruentissimum medium visum est, vobis concedere aliquem operi ipsi commodum conventum, qui sit huius sancti exercitii schola et praedicatorum missionariorum seminarium, in quo spiritu et doctrinâ tyrones informentur, roborentur veterani: ad quem post missionum labores, temporibus ad ipsas non opportunis, pro viribus corporis et spiritus reficiendis revertantur, et ex quo obedientiae merito, viribus corporis utcumque reassumptis, et novo spiritus fervore concepto, armati iterum in diversas plagas ad verbum Dei disseminandum prodeant. Et quia ad haec omnia praestanda conventus noster S. Crucis de Queretaro provinciae nostrae de Mechoacan regularis observantiae in novâ Hispaniâ valde commodus visus est, tum ob situs solitudinem et a negotiis saecularibus abstractionem, tum ob ipsius cum infidelibus, quorum intuitui praecipue erigitur, propinquitatem, ipsum praedicto effectui duximus consignandum, quod, ut indubitatâ auctoritate perpetuâ firmate fiat, praesentium tenore tibi nostram paternam benedictionem et facultatem concedimus, ut tanquam Ordinis nostri honorabile negotium praedictum conventum S. Crucis de Queretaro a S. Sede Apostolicâ tibi et tuis sociis pro praedicto effectu petere valeas, ad quod nostrum tibi consensum tribuimus, et auctoritate ministri generalis, qua fungimur, bono communi Ordinis consulentes, praedictae provinciae nostrae de Mechoacan consensum, in quantum possumus, supplemus. Haec autem concedimus sub conditionibus et ordinationibus sequentibus, in praedicto Seminario omnino observandis, nisi aliter a praedictâ S. Sede fuerit ordinatum:

Ordinationes Ministri generalis in seminario.

I. Quod praedictus conventus in Seminarium erectus nullius provinciae sit quantum ad regimen, sed immediate subsit commissario generali novae Hispaniae pro tempore existenti, habeatque commercium fraternitatis cum eâdem nostrâ provinciâ de Mechoacan quantum ad suffragia pro defunctis fratribus, ita ut conventus ipse et fratres in eo commorantes celebrent officia et missas iuxta statuta generalia pro quolibet fratre eiusdem provinciae filio decedente, et vicissim a singulis conventibus et fratribus provinciae eadem celebrentur pro quolibet fratre praedicti Seminarii ubilibet moriente.

II. Ut in praedicto Seminario triginta tantum fratres de familia admitti possint, quin hic numerus valeat unquam augeri, ex quibus viginti sex sint sacerdotes missionarii, quatuor reliqui sint laici pro conventus servitio et eleemosynarum frequenti collectione.

III. Quod electio guardiani fiat a commissario generali novae Hispaniae ex tribus eiusdem Seminarii patribus per secreta suffragia omnium sacerdotum professorum communitatis canonice eligendis, et praedicto commissario praesentandis; guardianus autem per triennium tantum in officio durare poterit, et liberum erit commissario praefato in dimidio triennii ipsum ab officio absolvere, si ipsi constiterit officio non satisfacere, habitâ informatione pro suâ conscientiâ sine strepitu iudiciali, sicut fit in toto Ordine in congregationibus intermediis.

IV. Quod in Seminario sint quatuor discreti pro gravioribus eius negotiis tractandis, qui semper erunt quatuor missionarii in officio missionis antiquiores, et in absentiâ cuiuslibet, pro tempore absentiae, alius prioribus in antiquitate missionariis immediatus substituatur.

V. Quod a guardiano et discretis unus ex patribus missionariis eligatur in vicarium Seminarii seu praesidem in communitatibus et gubernio in absentiâ guardiani, qui

etiam in casu mortis guardiani conventum gubernabit usque ad novi guardiani electionem: tenebitur tamen, sub poenâ privationis ipso facto sui officii, die octavâ a morte guardiani, convocatis patribus absentibus qui intra illud tempus haberi poterunt, communitatem pro praesentatione, ut supra, commissario generali novae Hispaniae faciendâ, congregare; in absentiâ guardiani et vicarii antiquior discretus in communitatibus et Seminario praesideat.

VI. Quod guardianus cum consilio, assensu et approbatione discretorum possit recipere de familiâ in praedictum Seminarium, iuxta numerum praescriptum, religiosos ex quacumque Indiarum Occidentalium provinciâ, qui se sancto missionum exercitio tradere cupiant, dum tamen sint bonae famae et integrae vitae, sanae sufficientisque doctrinae et talis corporis valetudinis, ut peregrinationes et labores missionum valeant sustinere, quorum receptionem nullus inferior praefato commissario generali possit impedire. Ipsi autem sic recepti, non poterunt, nisi post expletum in Seminario annum, ad missiones admitti, nec suffragium in communitatibus habere; possit etiam guardianus de consilio discretorum recipere fratres laicos ex quacumque provinciâ, qui sint devoti, probatae vitae et omnino apti pro officiis in Seminario exercendis a laicis, quorum pariter receptio a nullo inferiori praefato commissario valeat impediri, sicut nec quod in Hispaniam mittat pro fratribus de novo aggregandis.

VII. Quod guardianus habeat facultatem recipiendi novitios, dum tamen recipiendus, praeter qualitates in constitutionibus apostolicis et Ordinis requisitas, dederit probata signa specialis vocationis, habeatque supra vigesimum quartum aetatis annum, et talem literaturam ut, accedentibus exercitiis Seminarii, in missionum ministerio proficere valeat. Quod constare debet per rigidum discretorum examen et eorum approbationem per suffragia secreta, sine qua guardianus nullum possit ad habitum recipere. Novitii autem intra numerum supra praefixum fratrum missionariorum debent contineri, ita ut, eo completo, guardianus nullum nec professum nec novitium possit in Seminarium admittere, quousque, aliquo deficiente, locus intra numerum vacet.

VIII. Quod in dicto Seminario observetur purissima regula fratrum Minorum, tum quantum ad paupertatem in communi, tum quantum ad praecepta particularia de qualitate et de numero vestium, excalceatione, ieiuniis etc., et praecipue de providendo necessitatibus fratrum, tam in aegrâ quam in sanâ valetudine, iuxta nostrum statum; ita ut omnes in communi vivant, et nullo casu alicui fratri permittatur habere, nec apud syndicum apostolicum, nec apud amicum spiritualem, cuiuscumque sit dominii, elleemosynam pecuniariam pro suis particularibus necessitatibus.

IX. Quod indispensabiliter singulis diebus per duas integras horas vacent orationi mentali, alteram post primam, alteram post completorium. Officium autem divinum dicant statutis horis in choro (sine cantu tamen propter studium ordinandum) cum pausâ conducente ad devotionem sine affectatione divertente, cui et conventuali missae, ceterisque communitatibus omnes, nullo excepto, assistere et interesse teneantur, ac omnes, a guardiano inclusive, successive sint hebdomadarii.

X. Quod singulis diebus habeant per duas horas lectiones et conferentias: per unam post conventualem missam de idiomate Indorum, ad quos debent fieri missiones, per alteram post vesperas de modo convertendi, catechizandi et instruendi conversos. A lectionibus autem ipsis nullus possit excusari, nec a reddendâ ratione de materiâ lectionis, si interrogetur.

XI. Quod missionarii tempore, quo in Seminario commorantur, poenitentiam publicam in refectorio faciant, si inventi fuerint per conventum vagantes aut otiose colloquentes, cum debeat hoc recessus tempore unusquisque in cellâ suâ studiis suo exercitio convenientibus vacare, dum communitatibus non adstiterit. Proptereaque nulli egrediendi e conventu licentia concedatur, nisi ad aliquod urgens pietatis opus superiori notum, quousque ad missiones iterum amandetur.

XII. Quod nulli saeculari permittatur ingressus ad interiora conventus, sed in claustro inferiori disponatur aliqua camera honesta et devota cum humilibus sedibus, ubi viri saeculares, quaerentes aliquem ex patribus pro suâ spirituali consolatione, excipiantur et consolentur.

XIII. Quod omnes praedicti Seminarii patres, sine aliquâ inter ipsos notabili differentiâ induant habitum exteriorem Observantium, iuxta eius reformationem in ultima congregatione Toletanâ factam ad literam observandam, et in disciplinis, ie-

iuniis extra regulam, capitulis culparum et aliis austeritatibus, ceterisque ad regulae vitae monasticae et regularis disciplinae observationem conducentibus, constitutionibus generalibus Ordinis se conforment.

xiv. Quod guardianus vel in absentiâ praeses, temporibus opportunis aut quando necessarium iudicaverit, mittat missionarios binos et binos, aut in maiori numero prout conversionum necessitati viderint expedire, consignando eis oppida, tractus et terras, in quibus singuli suas missiones facere debent. Relinquant tamen aliquos in Seminario, qui communitatis exercitia expleant, et hi, aliis revertentibus, mittantur.

xv. Quod si aliquis missionariorum sine legitimâ causâ, a discretis approbandâ, se a missionibus, iuxta praescriptum guardiani faciendis, excusaverit, vel in eis aliquid ultra victum moderatum acceperit, vel malum aliquod exemplum dederit, aut in Seminario pacem communitatis turbaverit, aut in assistendo communitatibus et aliis exercitiis supra positis explendis notabiliter defectuosus fuerit, et semel ac iterum a guardiano reprehensus non se emendaverit; guardianus ipse cum consilio et consensu discretorum possit, si alicuius provinciae filius fuerit, eum a Seminario expellere et ad suam provinciam mittere, quae ipsum recipere tenebitur sub poena privationis officii provincialis renuentis; si vero in Seminario professus sit, teneatur monere commissarium generalem Novae Hispaniae cum voto discretorum in scriptis, ut illi de provinciâ, in qua moretur, provideat.

xvi. Quod praedictus commissarius generalis teneatur per se, vel per suum commissarium ad hoc specialiter institutum, visitare praedictum Seminarium bis in singulis trienniis, et in singulis visitationibus inquiratur singillatim de observatione praemissarum omnium conditionum, ut defectus, si qui fuerint, corrigantur, et iuxta eorum qualitates possit commissarius ipse generalis procedere ad expulsionem missionariorum et guardiani privationem. Delegatus autem ipsius possit tantum ipsum guardianum suspendere et, adhibitis necessariis correctionibus, commissarium generalem de maiori remedio apponendo monere. Et quia speramus quod, Dei aspirante gratiâ, per hos sui verbi ministros plures gentilium populi ad fidem sint convertendi, quos neophytos in acceptâ fide conservare, eisque sacramenta ministrare necessarium est, ordinatur, ut in conversis populis, aliqui ex praefatis missionariis, ad praedicta obeunda necessarii, remaneant, monito guardiano Seminarii et ab eo licentiâ obtentâ, qui semper eiusdem guardiani subditi remanebunt et eius correctioni, ut supra, subiecti. Manentes autem in oppidis conversis non computabuntur in numero assignato missionariorum Seminarii, sed eorum loco alii in Seminario possint recipi. In curâ autem animarum sic conversarum ad fidem tamdiu solummodo poterunt remanere, quoadusque Episcopo, ad quem terra pertinet vel in posterum pertinebit, placuerit presbyteros saeculares, quibus animarum curam committat, destinare. Quamdiu vero praedicti missionarii in praedictâ curâ remanserint, nihil ex titulo curatorum vel doctrinarum possint recipere, sed praecise ex emendicatis eleemosynis vel ultro oblatis vivere debent. Poterunt tamen, stabilitâ nostrâ fide et curatis saecularibus inibi manentibus, in oppidis magnis aut capacibus de licentiâ Episcopi et praefati commissarii generalis, regio etiam consensu accedente, conventus nostri Ordinis fundare, in quibus iuxta regulam et statuta ex eleemosynis sub regulari disciplinâ fratres convenientes vivere possint: et conventus illi guardiano praefati principalis Seminarii erunt subiecti, quousque ex illis custodiâ possit formari, vel aliter in capitulo generali de illis provideri.

xvii. Quod si aliquando Conventus relaxetur, et a perfectione, ad quam instituitur, defecerit, aut non fuerit, cum effectu et exercitio, missionum Seminarium, eidem provinciae de Mechoacan, a qua sumitur, iterum incorporetur, eiusdemque regimini, sicut ceteri eiusdem conventus, subiiciatur.

Sub his igitur conditionibus et ordinationibus praemissas tibi facultates et consensus tribuimus, monemusque te in Domino, ut ad opus Deo adeo placitum, fidelibus proficuum et nostro Instituto conforme te accingas, ad quod tibi et sociis tuis seraphici patris nostri Francisci benedictionem impartimur.

Datum in conventu nostro S. Francisci Matriti die xii. martii anno Domini MDCLXXXII. Fr. Ieseph Minister Generalis. Loco † sigilli. De mandato Rmae Paternitatis suae, Fr. Hieronymus de Sosa Secretarius generalis Ordinis. »

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Angelus procurator **Pontificis confirmatio.**

generalis literas patentes huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret; nobis propterea etiam memoratorum Iosephi ministri generalis et Antonii Linaz, eiusque sociorum missionariorum nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur; nos igitur illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas praefati Iosephi ministri generalis patentes literas cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Conventum concedit.

§ 3. Praeterea praefatis Antonio Linaz eiusque sociis missionariis supradictum conventum S. Crucis de Queretaro ad fines et effectus in eisdem literis patentibus expressos, ac cum conditionibus et ordinationibus in eis contentis, eâdem auctoritate harum serie assignamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non provinciae et conventus ac Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. maii MDCLXXXII., pontificatus nostri anno VI.

XVI.

Confirmat decretum ministri generalis Ordinis S. Francisci de Observantia circa abrogationem commissariorum europaeorum, et iudices appellationum pro provinciis S. Antonii et Conceptionis B. M. V. in Brasilia (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Admonet nos suscepti cura regiminis Catholicae Ecclesiae per universum terrarum orbem diffusae, ut, paternam christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum curam gerentes, ea, quae pro felici prosperoque illorum regimine et gubernio ac religiosâ quiete ab eorum superioribus regularibus provide prudenterque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio corroboremus.

Causae insequentis decreti.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciarum S. Antonii in Brasilia et Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae ad flumen Ianuarium Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod dilectus etiam filius Petrus Marinus Sormanus minister generalis dicti Ordinis, ut incommodis gravissimisque molestiis, quae ex deputatione commissariorum europaeorum ad visitandas provincias praefatas illarumque

(1) Ex Reg. Arch. Brev. De quibusdam controversiis in provinciâ S. Antonii vide Clementis X. const. ed. MDCLXXII., die 18 maii, pont. III., a quo Pontifice erecta fuit provincia Immaculatae Conceptionis const. ed. MDCLXXV., die 15 iulii, pont. VI.: abrogati fuerunt commissarii generales pro provinciis Indiarum Orientalium in const. ed. MDCLXXXII., die 23 decembris, pont. VII., et in const. MDCLXXXIII., die 3 decembris, pont. VIII., recensentur nonnullae ordinationes pro provinciâ S. Antonii.

capitulis praesidendum mitti solitorum, simulque vagationibus fratrum qui propter causas appellationum longissimis itineribus se committere cogebantur, opportunis rationibus occurreret, nonnullas ordinationes in dictis provinciis servandas fecit per quasdam suas patentes litteras desuper expeditas tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum ministri generalis.

« Frater Petrus Marinus Sormanus a Mediolano totius Ordinis seraphici patris nostri sancti Francisci minister generalis et servus, etc. Muneris nostri debitum indesinenter exposcit, ut commissorum sollicitudini nostrae religiosorum quieti, consolationi et commodo, quantum in Domino possumus, sedulo consulamus. Quapropter, cum certam habuerimus notitiam ex deputatione commissariorum visitatorum europaeorum ad visitationes et capitulorum celebrationes provinciarum nostrarum S. Antonii in Brasilia et SS. Conceptionis ad flumen Ianuarium (vulgo *de Rio de Ianeiro*) multa incommoda, molestias, gravissimasque expensas provenire: nos, tot tantisque malis pro viribus obviare volentes, praesentium virtute censemus atque decernimus huiusmodi commissarios visitatores in posterum ex Europâ non mittere neque mittendos esse, sed ex iisdem provinciis assumi debere sequenti modo. In quolibet capitulo provinciali provinciae S. Antonii a definitorio noviter electo designentur tres patres ex provinciâ Conceptionis, qui habeant conditiones per statuta generalia requisita, ad hoc ut possint visitare praefatam S. Antonii provinciam; quorum quidem trium patrum nominatio mittatur ad ministrum generalem per primam navium in Europam venientium opportunitatem; in quo si vel provincialis vel alii negligentes reperti fuerint, puniantur suspensione a suis officiis per annum, aliisque poenis arbitrio ministri generalis infligendis. In provinciâ quoque Conceptionis similis designatio et nominatio fiat trium patrum provinciae S. Antonii, ita ut visitator unius provinciae ex alterâ semper desumatur. Minister autem generalis, habitâ huiusmodi nominatione, unum ex tribus illis eligat quem maluerit, eiusque electionem quantocitius poterit provinciae visitandae significet. Quod si, vel ob locorum distantiam, vel naufragium, aliudve impedimentum, patentes ministri generalis non comparuerint uno anno ante tempus capituli celebrandi, tunc definitorium provinciae illius quae visitari debet, possit sibi eligere unum ex tribus iam nominatis, qui provinciam visitabit et capitulo praesidebit, cum voto et omnibus aliis, quae praestare soleret et deberet ille, qui a ministro generali deputaretur: quod etiam intelligendum est, si ille, quem minister generalis elegisset, iam esset defunctus, tunc enim definitorium poterit alterum ex duobus reliquis ad visitationem praefatam vocare: casu vero, quo, postquam definitorium visitatorem advocaverit, perveniant patentes ministri generalis, si iam ille, qui vocatus fuit a definitorio, provinciam fuerit ingressus, prosequatur munus suum et capitulum celebret, ut supra; si vero nondum in provinciam intraverit, omnino abstineat, et deputatus a ministro generali officium suum assumat, dummodo tempus suppetat ut possit ad provinciam visitandam accedere quinque integris mensibus ante capitulum. Et quia ad navigandum ex unâ in alteram provinciam quibusdam tantummodo mensibus venti spirant secundi, huic etiam tum provinciarum tum visitatorum commoditati consulere volentes, statuimus tempus praefigere pro capitulorum celebratione, quod quidem nullo modo prorogari debeat absque speciali et expressâ ministri generalis facultate. Capitulum igitur provinciae S. Antonii non differatur ultra diem sabbati praecedentis festum sancti patris nostri Francisci. Et capitulum provinciae Conceptionis non transgrediatur sabbatum immediatum post festum Ascensionis Domini. Denique visitatores non ingrediantur provincias visitandas, nisi quinque mensibus ante capituli celebrationem, et post illam statim ad propriam redire debeant; quod si facere non potuerint, post viginti a tali celebratione, ministro provinciali electo sigilla omnia renuncient, et provinciae gubernio nullatenus se immisceant, cum tali tempore, ex statutis Ordinis generalibus, eorum auctoritas omnino spiret. Aliud quoque eisdem provinciis provisione dignum nobis visum est, nempe ut evitentur incommoda et vagationes fratrum, qui vel causâ vel praetextu appellationis, maximis cum periculis ac expensis, longissimis se itineribus exponunt. Quapropter, praesentium nostrarum virtute, in unâquaque praedictarum provinciarum deputamus et deputatos esse volumus tres patres digniores extra definitorium, qui appellationum iudices sint, et ad quos appellantes a sententiâ sui definitorii licite ac libere recurrere possint, petitâ prius a proprio provinciali facultate; ita ta-

men, ut illi, qui sunt ex provinciâ S. Antonii, iudicent causas provinciae Conceptionis, et e contra. Ille autem, qui ceteros praecedit, erit illorum praeses ut illos convocet et congreget quando opus fuerit; uno vero ex istis per mortem vel aliam legitimam causam deficiente, alius pater secundum ordinem praecedentiae intelligatur ipso facto substitutus; durabuntque in eodem officio per triennium, id est de capitulo ad capitulum, et super appellationes praefatas definitive et terminative intra Ordinem nostrum auctoritate nostrâ secundum religionis praxim et leges iudicabunt et sententiabunt. Omnia vero supradicta, scilicet nominatio visitatorum, nominationis transmissio ad ministrum generalem, eiusque responsio, seu patentes, et iudicium appellationum, ingressus ad officium, secundum tempus quo contigerint, in libro actuum provinciae fideliter notentur. Praecipimus tandem in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis provinciarum praedictarum patribus et fratribus superioribus et subditis, quatenus praefatis nostris ordinationibus et decretis, pro bono, pace et quiete eorumdem factis, nullatenus se opponere audeant, sed eâ, qua par est, promptitudine pareant et obediant.

Datum in conventu nostro S. Francisci Matriti die XXIX. mensis iulii MDCLXXXII.

Frater PETRUS MARINUS Minorum generalis.

De mandato suae reverendissimae, fr. SEBASTIANUS DE ARROYO secretarius generalis Ordinis. *Registr. Fit. Provae, etc.* »

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas memorati Petri Marini ministri generalis patentes litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae, aliisque nostro, seu pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis poenis, omnibus et singulis dictorum Ordinis et provinciae superioribus, fratribus et personis, ceterisque ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque fideliter executioni demandent, seu demandari curent et faciant; ac decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCLXXXIII., pontificatus nostri anno VII.

XVII.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium approbans alternativam inter Hispanos et Criollos

Ordinis MM. S. F. de observantia in Indiis occidentalibus (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de observantiâ nuncupatorum, quod, cum causa alternativae inter fratres nativos Hispanos provinciarum Limanae et de las Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis ex unâ et fratres Criollos nuncupatos earumdem provinciarum ex alterâ partibus iamdudum vertens a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositâ acerrime discussa fuisset, emanavit desuper ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « In causâ Peruanâ alternativae, vertente inter patres nativos Hispanos professos provinciarum Ss. XII. Apostolorum Limae et S. Antonii Carcarar.* Ordinis Minorum Observantium sancti Francisci in Indiis Occidentalibus ex unâ et patres Criollos nuncupatos professos earumdem respective provinciarum partibus ex alterâ, de et super validitate et respective confirmatione ac executione decreti praedictae alternativae emanati in capitulo generali anni MDCLXIV., et per hanc sacram Congregationem et Breve sanctae memoriae Alexandri VII. ac per subsequens capitulum generale anni MDCLXX. confirmati, rebusque aliis, etc.: sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, partibus hinc inde in binis causae propositionibus pluries informantibus, reque mature discussâ, referente eminentissimo Columna, declaravit atque decrevit, praefatam alternativam esse confirmandam, prout praesentis decreti tenore confirmavit, omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui intervenerint, sanando. Contrariis quibuscumque minime obstantibus, etc. Romae, IX. iulii MDCLXXXIII.

G. Cardinalis CARPINEUS.

B. PANCIATICUS secretarius ».

Pontifex confirmat ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Petrus Marinus minister generalis decretum huiusmodi, quo promptius executioni mandetur, atque ita multis incommodis, inquietudinibus et relaxationibus, quibus duae provinciae praedictae, occasione diutinae ventilationis causae huiusmodi, quae multis annis tam in capitulis generalibus Ordinis praefati, quam in Romanâ Curiâ agitata fuit, multipliciter vexantur, finis tandem imponatur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Petri Marini ministri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in

(1) Ex Regest. in Arch. Seg. Brev.

suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. septembris MDCLXXXIII., pontificatus nostri anno VII.

XVIII.

Concedit Congregationi Svevicae Ordinis Sancti Benedicti privilegia omnia spiritualia ceterorum monachorum (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidentes, religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatorum, uberesque in Ecclesiâ Dei fructus, adspirante superni favoris auxilio, proficere iugiter satagentium, commodis et felicibus in viâ mandatorum Domini progressibus libenter consulimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, et animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Causa constitutionis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Alphonsus abbas monasterii Weingartensis de praesenti praesidens, ac ceteri abbates et monachi Congregationis Svevicae in Germaniâ Ordinis Sancti Benedicti, quod, cum in monasteriis dictae Congregationis studia continua litteraria, zelus animarum et labores in vineâ Domini, qui non tantum ad concionandum et fidelium confessiones assidue excipiendas, obeundaque passim onera parochialia, sed etiam ad haereticos, qui non raro se offerunt, ad fidem catholicam convertendos se extendunt, benedicente Domino, vigeant, ipsi exponentes, ut in huiusmodi piis et salutaribus operibus ferventiores et alacriores ad divini nominis laudem et gloriam, haeresum extirpationem, et sanctae matris Ecclesiae exaltationem de cetero persistant, plurimum cupiunt, pro maiori ipsorum monasteriorum splendore et decore, privilegia Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Padua, et aliarum Congregationum dicti Ordinis, eisdem monasteriis ex huius Sanctae Sedis apostolicae indulgentia communiri. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, quatenus monasteriis praefatis, ac aliis dictae Congregationi Svevicae in futurum aggregandis, illorumque praesidentibus, visitatoribus, abbatibus, monachis et personis, praesentibus et futuris, ut omnibus et singulis privilegiis et indultis spiritualibus praefatae Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Padua, et aliis Congregationibus eiusdem Ordinis, ac illarum praesidentibus, visitatoribus, abbatibus, superioribus et monachis, ac personis quibuscumque, illarumque ecclesiis et monasteriis, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos concessis et in futurum concedendis, ac quibus earumdem Congregationum abbates, superiores et monachi, necnon ecclesiae et monasteria huiusmodi de iure, usu et consuetudine, privilegio aut concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tàm coniunctim quam divisim, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt, dummodo tamen sint in usu, nec revocata aut sub ullis revocationibus comprehensa existant, neque sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis aut constitutionibus apostolicis repugnent, pari modo uti, frui, potiri et gaudere valeant, perpetuo, concedere et indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio privilegiorum. § 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui dilectum filium procuratorem generalem dictae Congregationis Cassinensis audiverunt, consilio, praefatae Congregationis Svevicae, eiusque praesidenti, abbatibus et monachis, cete-

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Similia privilegia concessa fuerunt monachis Congregationis Bravaricae ab Innocentio XII. Const. MDCXCI., die 11 augusti, pont. I.

risque personis dictae Congregationis, ut omnibus et singulis privilegiis et gratiis spiritualibus tantum, quibus potiuntur et gaudent Congregationes Cassinenses et aliae dicti Ordinis Sancti Benedicti, potiri et gaudere possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. septembris MDCLXXXIII., pontificatus nostri anno VII.

XIX.

Confirmat litteras patentes ministri generalis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, et decretum Cardinalis protectoris, circa exequutionem alternativae in provinciis Limana et de las Charcas (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, cum nos per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras decretum in causâ alternativae inter fratres nativos Hispanos et fratres Criollos nuncupatos provinciarum Limanae et de las Charcas in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis vertente a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositâ emanatum confirmassemus, ipse Petrus Marinus minister generalis executionem alternativae ac decreti et litterarum nostrarum huiusmodi dilectis etiam filiis commissariis suis generalibus tam Indiarum in curiâ carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici residentibus, quam provinciarum Peruntinarum Ordinis praedicti, cum nonnullis praeceptis et ordinationibus demandavit per quasdam suas patentes litteras desuper expeditas, tenoris qui sequitur, videlicet:

Patentes ministri generalis in quibus referuntur ortus et progressus controversiae dictae alternativae.

« Frater Petrus Marinus Sormanus a Mediolano, ex-guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis seraphici patris nostri Francisci minister generalis et servus, etc.

Exigit a nobis muneris nostri debitum, ut, quae pro felici concreditae nobis religionis seraphicae gubernio vel a praedecessoribus nostris vel a capitulis generalibus sive etiam ab Apostolicâ Sede sancita sunt, omnimodam sortiantur executionem et observantiam, eaque prae ceteris, quae pro eliminandis discordiis, et concordiâ ac pace inter religiosos tuendâ ac manutenendâ, ordinata sunt. Huius praecipue finis intuitu in capitulo generali hîc Romae celebrato mense iunii MDCLXIV., instantibus custodibus et prominīstris septem nostrarum Observantiae provinciarum regni Peruani in Indiis Occidentalibus, utroque annuente definitorio, partibusque auditis, fuit decretum sub die V. eiusdem mensis, ut in ipsis fieret alternativa inter religiosos Hispanos dictarum provinciarum filios et religiosos nationales vulgo Criollos nuncupatos, eo modo quo introducta fuerit in provinciis Mexicanis seu Novae Hispaniae. Huic decreto annuentibus ceteris, solum se opposuit Limanae provinciae prominister, qui cum, auditus ab eodem capitulo generali, nihil relevans deduxisset, prodiit se-

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. De hac alternativâ vide Constitutiones et decreta laudata in litteris patentibus. Constitutione vero ed. MDCXXXIV., die 20 aprilis, pont. VIII., habetur reformatio alternativae pro provinciâ S. Iacobi in Hispania.

cundum dicti capituli decretum, quo praecipiebatur dictam alternativam omnino stabiliri; ac successive iidem custodes et proministri non solum sub die VI. eiusdem mensis obtinuerunt a sacrâ Congregatione super Episcopos et Regulares praepositâ praefati capituli generalis decreti approbationem et confirmationem cum executionis mandato, sed etiam pro maiori sancitae legis firmitate a SS. D. N. Alexandro Papa VII. apostolicâ auctoritate muniri ac roborari supplicaverunt et obtinuerunt per Breve datum die XX. eiusdem mensis iunii MDCLXIV. Verum dicto decreto, unâ cum praefatis confirmationibus, necnon schedulâ maiestatis regis nostri catholici in Limanae provinciae definitorio exhibitis, parere renuentibus religiosis Criollis, iterum fuit habitus recursus ad capitulum generale anno MDCLXX. Vallisoleti celebratum, in quo iterum partibus auditis, perpensâque dictae alternativae necessitate, ipsam confirmavit novo decreto, cuius executionem et observantiam reverendissimo patri commissario generali Indiarum in curiâ catholicae maiestatis residenti serio inculcavit. Cum autem Criolli dictae provinciae Limanae, quibus tunc primum adhaesit Charcarum provincia, iterum opposuissent se hactenus opportune non potuisse contra praefatum decretum rationes pro ipsis facientes adducere, congregatio generalis Toletana de anno MDCLXXIII., ad quam dicti Criolli provocaverant, mandavit ut dictarum provinciarum definitoria in proximo capitulo generali desuper informarent, suspensâ interim alternativae executione. Capitulum igitur generale anno MDCLXXVI. Romae congregatum, ut omnem imposterum controversiarum praecideret occasionem, huiusmodi causam in reverendissimos patres tunc temporis ministrum generalem praedecessorem nostrum ac commissarium pariter generalem Indiarum in curiâ catholicae maiestatis residentem compromisit, ut Matriti, habitis eorum quae desiderabantur notitiis, providerent ac disponerent, prout in Domino magis censuissent expedire. Quo quidem compromisso a partibus acceptato, ne contingeret de illius validitate aliquando dubitari, quasi obstaret decretum suspensivum quod praefato anno MDCLXIV. ex recursu solius proministri provinciae Limanae ab hac sacrâ Congregatione prodierat, proinde Criolli utriusque provinciae Limanae scilicet et Charcarum unitim eidem sacrae Congregationi supplicaverunt, quatenus, hoc decreto de medio sublato, totius negotii alternativae decisionem praedictis patribus compromissariis remittere dignaretur; annuitque eorum votis sacra Congregatio per suum decretum expeditum die XII. iunii MDCLXXVI. Huius decreti vigore et praefati compromissi per capitulum generale facti, iidem reverendissimi patres compromissarii, auditis in Curiâ Matritensi partibus hinc inde informantibus per quasi unius anni spatium, ponderatisque utriusque allegatis, ordinaverunt et statuerunt, non sulum in utrâque provinciâ stabiliendam ac servandam esse alternativam inter religiosos natos in Indiis et natos in Hispaniis, sed etiam formam ipsam practicandi in Limanâ provinciâ decreverunt; ut scilicet provincialis uno triennio eligatur ex unâ parte, adeo ut, si obierit, vel aliâ de causâ, durante triennio, vacaverit, minister vicarius provincialis usque ad celebrationem capituli sit et eligatur ex eâdem parte; alio vero triennio eligatur et sit ex alterâ, servatâ eâdem formâ; custos vero si adfuerit, eligatur et sit ex illâ parte ex qua non est provincialis, in dictâ formâ; et ex quatuor definitoribus, duo semper ex unâ, et duo reliqui ex alterâ parte sint et eligantur; quo vero ad guardianos et alia officia de voto eligantur indifferenter et ex utrâque parte secundum qualitatem meritorum et idoneïtatem personarum, ita ut guardianus domus principalis semper alternetur ex utrâque parte de triennio in triennium; et omni tempore (praeter provincialem, aut custodem, et duos definitores) eligantur et adsint ex minori parte saltem decem ad guardianatus et officia de voto, ad hoc ut ex illis maiori libertate possint eligi duo definitores; quoad lecturas autem et alia officia tam honoris quam oneris eligantur indifferenter, servatâ iustitiâ distributivâ, et habito respectu maiorum meritorum et maioris idoneitatis iuxta constitutiones generales Ordinis, onerantes in hoc electorum conscientias. Idem pariter decreverunt pro provinciâ S. Antonii de las Charcas, cum hac solâ differentiâ, quod, attento minori numero officiorum de voto, ordinaverunt, quod decem officia de voto, quae pro provinciâ Limana mandarunt dari minori parti in provinciâ de las Charcas, dentur tantum sex, ut latius in decreto per dictos patres compromissarios dato et publicato in conventu S. Francisci Matriti XXVI. aprilis MDCLXXVII. Quod quidem decretum, ut firmius subsisteret, ac debitae manda-

retur executioni, religiosi Hispani duplex Breve a SS. D. N. Innocentio XI. impetrarunt, alterum sub die XXVI. iunii MDCLXXVII. praefati decreti confirmativum, alterum vero sub die VI. iulii eiusdem anni, in quo committitur Archiepiscopo Limano, ut ad proxime recensiti Brevis confirmativi executionem procederet procedique faceret, atque inobedientes et refractarios, non solum censuris, verum etiam invocato brachii saecularis auxilio, compesceret et ad parendum compelleret. His omnibus religionis, Summi Pontificis, imo etiam et regiis mandatis ac dispositionibus quomodo restiterint dictarum provinciarum religiosi Criolli, sicuti dolentes accepimus, ita modeste uti notorium reticemus. Obtinuerunt tandem mense ianuarii praeteriti anni MDCLXXXII. ab hac sacrâ Congregatione mandatum, ut huiusmodi negotium, toties discussum ac definitum, iterum proponeretur in capitulo generali, quod in mense maii eiusdem anni Toleti congregandum erat, pro voto consultivo tantum; ad cuius mandati executionem, partibus pluries auditis, emanavit votum quod dicta alternativa non solum conducat, imo sit omnino necessaria ex rationibus in eo productis. Comparuerunt demum in hac Romanâ Curiâ dilecti filii nostri pater frater Antonius Fernandez et pater frater Martinus Moreno cum procurationis mandato ex parte Criollorum utriusque provinciae Limanae et de las Charcas pro causae terminatione apud sacram Congregationem EE. RR. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, in qua, auditis in causâ propositionibus, partibus pluries informantibus, emanavit tandem decretum pro dictae alternativae confirmatione, quod SS. D. N. Innocentius Papa XI. confirmavit suis litteris in formâ Brevis expeditis tenoris sequentis, videlicet:

Innocentius Papa XI.,
ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis, etc. (1) Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. septembris MDCLXXXIII., pontificatus nostri anno VII.

Mandatum ministri generalis, ut omnino servetur dicta alternativa.

Nos igitur, ex praefatae apostolicae confirmationis decreti in pleno eminentissimorum S. R. E. Cardinalium congressu facti lecturâ, considerantes attente, nullum dilectis filiis nostris dictarum provinciarum Limae et de las Charcas religiosis Criollis relinqui subterfugium ad prompte non obediendum religionis determinationibus, eminentissimorum S. R. E. Cardinalium et apostolicis decretis, necnon maiestatis regis nostri catholici piae voluntati in dictâ alternativâ admittendâ et exequendâ, eo vel maxime, cum omnes iuris et facti defectus, si qui forte in praefatis sanctionibus irrepserint, fuerint per sacram Congregationem et apostolicam auctoritatem in praeinserto decreto et Brevi sanati, ac, contrariis quibuscumque non obstantibus, dicta alternativa confirmata, cupientes propterea utriusque antedictae provinciae quieti ac paci consulere, ac dissentiones et discordias ex huiusmodi causâ exortas de medio tollere, et praedictae alternativae executione ac stabilitate omnibus scandalorum occasionibus obviare: hinc plurimum nobis dilectis reverendissimo patri commissario generali Indiarum in curiâ maiestatis catholicae residenti ac commissario pariter generali in provinciis de el Perù (qui pro tempore fuerit) per praesentes committimus ac serio inculcamus, ut dictam alternativam modo quo supra expressam in praefatis provinciis Ss. XII. Apostolorum Limae et S. Antonii de las Charcas, in executionem religionis ac sacrae Congregationis imo et apostolicorum decretorum, omnibus iuris et facti remediis adhibitis, introduci, acceptari, practicari, ac imposterum formiter servari mandent et pro viribus satagant, prout nos praesentium vigore et officii nostri auctoritate introduci, acceptari, practicari ac imposterum formiter servari mandamus; ac districte praecipimus dilectos filios nostros utriusque provinciae religiosos Criollos, uti servus rogantes, uti frater hortantes, uti pater commonentes ac uti superior, et legitimus (licet indignus) sancti patris nostri Francisci successor, ipsis in virtute Spiritus Sancti ac sub districto praecipientes sanctae obedientiae merito, et sub poenis contra inobedientes sancitis, ut dictae alternativae tandem acquiescentes, necnon religionis, Sanctae Sedis, maiestatis Regis nostri catholici, ac nostris obtemperantes mandatis, se veros ac legitimos sancti patris nostri Francisci filios ostendant. Datum Romae, in conventu nostro S. Mariae apud Aramcaeli, die X. septembris, anno MDCLXXXIII. Fr. PETRUS MARINUS minister

(1) Reliqua vide supra, pag. 59.

generalis, etc. De mandato suae reverendissimae, Fr. SEBASTIANUS DE ARROYO secretarius generalis Ordinis ».

Decretum Cardinalis protectoris pro confirmatione et exequutione relati mandati.

Et subinde venerabilis frater noster Alderanus Episcopus Portuensis eiusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, memoratis commissariis generalibus commisit ut praeinsertas patentes litteras fideliter exequerentur et observari facerent, cum facultate procedendi, adversus inobedientes et rebelles, ad censuras ecclesiasticas, aliasque poenas in statutis Ordinis praescriptas, etiam appellatione remotâ, et aliàs, prout plenius continetur in ipsius Alderani Episcopi Cardinalis et protectoris decreto desuper edito tenoris sequentis, videlicet: « Alderanus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Cybo seraphici Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem protector. Attentâ narratorum veritate, quae ex documentis sacrae Congregationi exhibitis nobis constat, cupientes tam perniciosae liti finem et perpetuum imponere silentium, praefatis patribus commissario generali Indiarum in curiâ Matritensi et commissario generali Indiarum in provinciis Peruanis respective residentibus committimus et districte mandamus, ut supra scriptas litteras patentes patris ministri generalis, quarum tenorem praesenti nostro decreto approbamus et confirmamus, fideliter exequantur, et ab omnibus, ad quos spectat, in obsequium praedictae sacrae Congregationis exequi et inviolabiliter observari faciant, cum facultate procedendi adversus inobedientes et rebelles ad censuras ecclesiasticas aliasque poenas in statutis Ordinis praescriptas, nullâ eis suffragante appellatione, quam pariter in obsequium eiusdem sacrae Congregationis ab eius decreti executione iuxta formam in dictis litteris patentibus expressam ex nunc interdicimus, cassamus et annullamus. Non obstantibus in contrarium quibuscumque. Romae die XVIII. septembris MDCLXXXIII. — A. Cardinalis CYBO protector. IOANN. BAPTISTA RUSCA.

Preces ministri generalis, et confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Petrus Marinus minister generalis, praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae munimine corroborari, summopere desideret: nos, specialem ipsi Petro Marino ministro generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, patentes eiusdem Petri Marini ministri generalis litteras et memorati Alderani Episcopi Cardinalis et protectoris decretum praeinserta, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit in futurum inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die IV. octobris MDCLXXXIII., pontificatus nostri anno VIII.

XX.

Confirmat decretum Congregationis Concilii, quo iniungitur Ordinariis regni Peruani conservatio decreti Concilii

Tridentini de regularibus reclamantibus adversus eorum professionem elapso quinquennio (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Francisci de Rosellon procuratoris generalis fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in Indiis Occidentalibus degentium Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum exposito, quod, quamvis vigore decretorum dicti Concilii, sess. XXV., c. XIX., *De regularibus,* religiosi praetendentes se professionem emisisse per vim, aut ante debitam aetatem, aut demum ex aliâ causâ professionem irritante, non sint audiendi nisi intra quinquennium a die professionis computandum, nihilominus in regno Peruano invaluerat haec corruptela, seu abusus, ut etiam lapso quinquennio passim audirentur, signanter vero religiosi praefati Ordinis, inter quos, ab anno MDCLXIV. citra, obtinuerant declarari nullam eorum professionem fratres mox recensendi, nempe dilecti filii Petrus Merca, transacto iam quinquennio suae professionis, sub praetextu quod quadam infirmitate habituali laboraret, Nicolaus Rodriguez, decimoctavo suae professionis anno, cum allegasset sibi a matre incussum metum, Franciscus de Quiros suae professionis anno decimosexto, Alphonsus Quintana professionis anno vigesimo, et Didacus de Torres longe elapso quinquennio, cum deduxissent sibi illatam vim a parentibus; et in eâdem expositione subiuncto, quod de praesenti instabant pro simili declaratione dilecti etiam filii Marcellus Crespo actualis custos, Bartholomaeus Tibero anno trigesimosexto suae professionis, Isidorus de Zepedef anno trigesimo, Franciscus Magaburu anno vigesimosecundo, ac demum Antonius de Requena et Franciscus de la Rea, pluresque alii fratres expresse professi Ordinis praedicti; quoniam vero plurimum religionum interest omnium, ne illi, qui eis nomen dederunt, tam facilem exitum a religione inveniant, pro parte dicti Francisci procuratoris praefatae Congregationi Cardinalium supplicato, quatenus decerneret ut in posterum nullatenus audiantur seu admittantur transacto quinquennio, nisi obtentâ prius ab hac sanctâ Sede in integrum restitutione, ac retento religionis habitu: emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Die XXVIII. augusti MDCLXXXIII. sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit servandam esse dispositionem eiusdem sacri Concilii, cap. XIX., sess. XXV., *De regularibus,* et proinde iniungendum, prout decreti praesentis tenore districte iniungit, omnibus Ordinariis locorum regni Peruani, quatenus dispositionem praefatam omnino servent. — F. Cardinalis COLUMNA praefectus. A. ALMICTUS secretarius ».

Preces procuratoris generalis fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantiâ et confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut idem Franciscus procurator nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Francisci procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. octobris MDCLXXXIII., pontificatus nostri anno VII.

XXI.

Irritat electionem Metropolitae Kioviensis in Proto-archimandrita Ordinis S. Basilii rutheni ritus factam in capitulo generali a nonnullis monachis; invalidat quiquid ipse gessit; novum capitulum indicit; omnium autem executionem Nuntio apost. Poloniae committit (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Ad Apostolatus nostri notitiam non sine gravi nostri dolore pervenit, quod, licet in quodam congressu super multis rebus ad christifideles Ruthenos S. R. Ecclesiae unitos pertinentibus coram ven. fratre Opitio Archiepiscopo Ephesino nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Poloniae Regem illustrem Nuntio antehac habito, cui venn. fratres modernus Archiepiscopus Kioviensis Metropolita Ruthenorum aliique Episcopi ritus graeci una cum aliquibus monachis Ordinis S. Basilii M. interfuerunt, conventum atque stabilitum fuisset, ut synodus provincialis hyeme proximâ venturâ haberetur, eodemque tempore etiam congregatio seu capitulum generale monachorum dicti Ordinis in illis partibus degentium, quod ceteroqui iuxta consuetum morem sub finem mensis iulii proxime praeteriti celebrandum erat, celebrari deberet, idque ex eo quod cum tam ad synodum quam ad congregationem seu capitulum generale huiusmodi multi Episcopi convenire, ibique etiam praecipui ex monachis praefatis, qui pro sua pietate atque doctrinâ unionem Ruthenorum cum Apostolicâ Sede praedictâ eximie tuentur, interesse debeant; ven. tamen fratres Episcopi Chelmensis, et Uladimiriensis, ac forsan etiam Premisliensis, ecclesiarum suarum negotiis praepediti, celebrationi congregationis sive capituli generalis huiusmodi, si praefato mense iulio fieret, interesse non potuissent; nihilominus memoratus Archiepiscopus Kioviensis, non attentâ praefatâ conventione communi consensu stabilitâ sed mutato proposito, congregationem sive capitulum generale monachorum praefatorum mense iulio proxime praeterito una cum paucis monachis a se quidem dependentibus, dilecto autem filio superiori generali eorumdem monachorum, qui una cum suis consultoribus procul aberat, parum benevolis (tametsi illum ab eâ re praedictus Opitius Archiepiscopus et Nuncius per suas literas dehortatus fuisset) celebrare voluit, seque ibidem in superiorem generalem dictorum monachorum eligi curavit.

§ 2. Quamvis autem dictus Opitius Archiepiscopus et Nuncius de his edoctus eumdem Archiepiscopum Kioviensem per epistolam exhortatus fuerit, ut serio consideraret electionem de sui personâ in generalem superiorem sic factam, ex eo praesertim, quod ipse archiepiscopali dignitate insignitus reperiretur, subsistere non posse, utque proinde per seipsum incommodis inde provenientibus remedium adhibere studeret; ipse tamen Archiepiscopus Kioviensis tam aequis adhortationibus atque postulatis morem gerere noluit, sed Ordinem praefatum suo arbitrio gubernare, imo potius destruere coepit, illiusque facultates assumpto in se Proto-archimandritatu in suos usus convertere, ac consultores praedictos, qui perpetui esse solent, ab eorum muneribus amovere, et alia pleraque munera monachis inferioribus et minus idoneis committere non dubitavit.

§ 3. Quare nos, qui in supremo iustitiae throno a Domino constituti sumus, considerantes, ex praemissis perperam atque inconsulte gestis, magnam dicto Ordini, quin imo etiam unioni praedictae, labem inferri posse, multosque inde irrationabiliter laesos fuisse, ac proinde, pro datâ nobis divinitus potestate, his aliisque gravibus incommodis iam exortis opportunum remedium paternâ caritate adhibere, et imminentibus mature occurrere, utque eodem Ordine omnia ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum et felicem progressum ac spiritualem christifidelium aedificationem recte atque ordine fiant procurare cupientes, congregationem sive capitulum generale monachorum praefatorum mense iulio proxime praeterito celebratam seu celebratum, in illâque seu in illo factam de personâ praefati Archiepiscopi Kioviensis

---

(1) Ex App. vet. Bull. de P. F. pag. 322, emend. ex Reg. in Arch. Brev.

electionem in superiorem generalem monachorum huiusmodi, amotiones quoque dictorum consultorum et aliorum monachorum quorumcumque a suis respective muneribus, et aliorum quorumlibet officialium seu ministrorum deputationes, necnon assumptionem supradicti Proto-archimandritatus, et alia quaecumque in praemissis ab eodem Archiepiscopo Kioviensi in vim vel praetextu electionis huiusmodi quomodolibet facta, acta et gesta cum omnibus et singulis inde secutis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, cassamus, irritamus, invalidamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac cassa, irrita, invalida et nulla, viribusque et effectu vacua ac nullius omnino roboris et momenti esse et fore, decernimus et declaramus.

§ 4. Praeterea supradictum superiorem generalem ac praefatos consultores et alios monachos quoscumque, a suis respective muneribus seu officiis per memoratum Archiepiscopum Kioviensem amotos seu destitutos, ad eadem respectiva munera seu officia, ac alias in integrum et pristinum, ac eum, in quo ante celebrationem congregationis seu capituli generalis praedicti quomodolibet erant, statum, auctoritate et tenore praesentium, restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus.

§ 5. Porro congregationem sive capitulum generale dictorum monachorum, iuxta conventionem supradictam, hyeme proxime venturâ celebrari debere, dictâ auctoritate, harum serie, statuimus et ordinamus.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Quocirca memorato Opitio Archiepiscopo et Nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel alium seu alios, ubi vel quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium seu alicuius eorum desuper fuerit requisitus, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos omnes et singulos praesentium literarum et in eis contentorum eorumdem commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis processibus sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac felic. record. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. octobris MDCLXXXIII., pontificatus nostri anno VII.

XXII.

Confirmat privilegia a praedec. RR.PP. locis Terraesanctae concessa, et fratribus Minoribus S. F. de Observantia interpretibus indulgentias plenarias concedit (1).

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev.

INNOCENTIUS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Piis christifidelium votis, ex quibus sacrorum locorum venerationem et animarum salutem provenire conspicimus, libenter annuimus, et illa, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus apostolicis confovemus.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ioannes Maria de Canvinzarii, frater expresse professus provinciae Granatensis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac commissarius generalis in R. Curia totius familiae Terraesanctae, nobis nuper exponi fecit, ipse ad eiusdem Terraesanctae subsidium, eorumdemque fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium sacraque loca venerantium subventionem, necnon ad spiritualem catholicorum in illis partibus degentium eoque devotionis causâ peregrinantium consolationem et profectum, omnia et singula gratias, privilegia et indulgentias hucusque sacris eiusdem Terrae locis apostolica auctoritate concessa et confirmata, per nos eâdem auctoritate etiam confirmari et approbari plurimum desideret:

Confirmat ut in rubricâ.

§ 2. Nos, desiderio huiusmodi annuere, ipsumque Ioannem Mariam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, ceterasque gratias spirituales, eisdem locis et illa visitantibus, necnon dicti Ordinis guardiano et fratribus in dictis partibus degentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam in genere vel in specie aut aliàs quomodolibet concessa, quatenus sint in usu et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque canonibus, constitutionibus apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet in eis intervenerint, supplemus.

Fratribus interpretibus indulgentiam concedit.

§ 3. Necnon insuper omnibus et singulis eorumdem fratrum interpretibus nunc Hierosolimis, Bethlehem et Nazaret existentibus et viventibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, sive re poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus et elargimur.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII. iunii MDCLXXXIV., pontificatus nostri anno VIII.

XXIII.

Confirmat decretum Congregationis Rituum de primatu in functionibus et iure processionis peragendae pro fratribus Praedicatoribus contra fratres Minores de Observantiâ in Quitensi provinciâ (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Decretum praedictum, quo etiam declaratur, licere Franciscanis eamdem processionem intra claustra instituere.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad favorem dilectorum filiorum fratrum provinciae Quitensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Praedicatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « In causâ Quitensi *Praecedentiae* propositâ per eminentissimum et reverendissimum dominum Cardinalem Pamphilium pro patribus Dominicanis provinciae Quitensis contra Patres S. Francisci Minores Observantes eiusdem provinciae, sacrorum rituum Congregatio, auditis ac discussis iuribus hinc inde deductis atque allegatis ab utrâque parte

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. De huiusmodi primatu pro fratribus observantibus vide const. ed. MDCLXXXV., die 25 ianuarii, pontif. IX.

et informante, censuit decernendum esse, prout decrevit, ad favorem patrum Dominicanorum, tum quoad praecedentiam eisdem patribus Dominicanis debitam supra praefatos patres S. Francisci Minores Observantes in omnibus actibus publicis et processionibus, tum quoad ius peragendi processionem dominicâ infra octavam Corporis Christi privative quoad dictos patres Franciscanos, et signanter in civitate Quitensi; ac insuper declaravit licere praedictis patribus Franciscanis eâdem die dominicâ infra octavam Corporis Christi facere processionem intra claustra eorum conventus et ecclesiae: et ita sancivit et servari mandavit die x. februarii MDCLXXXV. — N. Cardinalis LUDOVICUS. BERNARDUS CASALIUS, sacrorum rituum Congregationis secretarius ».

Confirmatur. § 2. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Ignatius de Quasadi dicti Ordinis fratrum Praedicatorum professor in sacrâ theologiâ magister, ac dictae provinciae Quitensis procurator, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Ignatium procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantium remotio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. martii MDCLXXXV., pontif. nostri anno IX.

XXIV.

Communicat privilegia universitatis S. Thomae civitatis Monilae universitatibus S. Fidei et B. Ferdinandi civitatis Quitensis Ordinis Praedicatorum in Indiis Occidentalibus (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iacobus Rivius, procurator generalis Ordinis fratrum Praedicatorum, in sacrâ theologiâ magister, quod (licet in conventu SS. Rosarii et collegio S. Thomae civitatis Sanctae Fidei in novo regno Granatensi in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis sit et semper fuerit universitas studii ab initio fundationis dicti conventus per litteras felicis recordationis Gregorii PP. XIII. praedecessoris nostri erecta, et subinde a recolendae memoriae Paulo PP. V. praedecessore pariter nostro per suas litteras ad dictum collegium translata, ipsaque universitas fuerit in possessione conferendi gradus academicos omnibus professoribus et discipulis scholae S. Thomae Aquinatis ibidem litterarum studiis operam navantibus; ut autem dicta universitas in maiori auctoritate esset, et eiusdem S. Thomae doctrina magis ampliaretur, bonae memoriae Christophorus Porres, dum vixit, Archiepiscopus dicti novi regni Granatensis, qui in minoribus constitutus professionem regularem in Ordine praedicto emiserat, magnificum in dictâ civitate collegium maius, in quo saeculares nobiles et bonae conditionis edocerentur, suâ impensâ fundaverit, in eoque erexerit cathedras philosophiae, sacrae theologiae, Laudes universitatis S. Fidei.

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. De universitate S. Thomae vide constit. ed. MDCLXXXI., die 7 augusti, pontif. V.; de nonnullis vero studiis Praedicatorum, vide Innocentii XII. const. ed. MDCXCIII. die 20 octobris, pontif. II.

sacrorum canonum et legum, quibus pro instituto est sequi et docere doctrinam S. Thomae, prout ibidem fit cum magnâ utilitate studentium, qui, post peracta studia, susceptasque in dictâ universitate laureas, ad servitium ecclesiarum ac ad ministeria parochorum et praebendatorum admittuntur) nihilominus, huiusmodi pacificâ possessione gradus in eâdem universitate suscipiendi non obstante, nonnullae personae a modico tempore rumorem sparserunt, et aliis persuadere conati sunt, quod gradus, in praefatâ universitate recepti, non sint sufficientes et validi ad hoc ut graduati possint admitti ad oppositiones et concursus praebendarum magistralium, doctoralium, poenitentiariarum et theologalium, ac dignitates et officia, quae de iure requirunt ut illas et illa obtinentes huiusmodi gradibus insigniti sint; unde hoc praetextu thomistas a praefatis officiis et dignitatibus omnino excludunt, et, quatenus eos admittant, dicunt capitulares, se propter gradus defectum non posse eis locum in nominationibus dare: quod quidem in gravissimum redundat praeiudicium collegialium supradictorum ac in diminutionem existimationis doctrinae tanti doctoris. Cum enim non ex aliâ causâ excludantur, quam ex eo quod doctrinae eiusdem S. Thomae sequaces et in praefati Ordinis universitate graduati sint, nemo amplius erit, qui doctrinae S. Thomae studiis operam dare velit, et intra modicum tempus collegium supradictum, quod hodie litterarum seminarium est, destructum remanebit, peribit universitas, et doctrina S. Thomae in illis partibus extinguetur, quae tamen olim a multis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris commendata fuit, non sine mandato ut illius ampliationi in universitatibus opera daretur.

Praerogativae alterius universitatis beati Ferdinandi.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nos, per quasdam nostras in simili formâ Brevis anno MDCLXXXI. expeditas litteras, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis propagandae Fidei praepositorum consilio, facultatem conferendi gradus scholasticos in omnibus scientiis, quae in collegio B. Ferdinandi regis catholici Sancti nuncupati dicti Ordinis civitatis Quitensis in eisdem Indiis Occidentalibus docerentur, sub certis modo et formâ tunc expressis concesserimus; carissimus vero in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Rex catholicus non solum regium suum beneplacitum super institutione collegii huiusmodi impertitus fuerit, sed etiam, per schedulas suas regias anno MDCLXXXIII. emanatas, collegium ipsum sive illius universitatem omnibus privilegiis et praerogativis regalis collegii decoraverit, idque intuitu magnae utilitatis, quae in illis partibus adeo remotis ex doctrinâ memorati S. Thomae et copiâ operariorum evangelicorum, qui legem evangelicam tam christianis quam infidelibus praedicent, illosque doceant, proventura speratur; ac proinde dictus Iacobus procurator generalis plurimum cupiat a nobis declarari quod supradictae universitates conventus S. Fidei et collegii B. Ferdinandi civitatis Quitensis sint certae, verae et reales universitates, prout sunt Limana et Mexicana, absque ullâ differentiâ, ac cum omnibus gratiis, privilegiis, praerogativis, consuetudinibus et solemnitatibus, prout collegio S. Thomae civitatis Monilanensis in Indiis Philippinis anno MDCLXXXI. concessimus, et, quatenus opus sit, dictas universitates de novo erigi in universitates publicas ad instar Limanae et Mexicanae cum omnibus gratiis et privilegiis, ita ut graduati in praedictis universitatibus reputentur habiles et idonei, tamquam graduati in publicis universitatibus, ad hoc, ut, cum Dei honore et publico beneficio ac catholicae fidei propagatione, amplietur quoque praefati S. Thomae Aquinatis doctrina, illiusque studiosi et sequaces damna et praeiudicia, quae nunc sustinent, amplius non patiantur: nobis propterea idem Iacobus procurator generalis praefati Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praedictis fit communicatio privilegiorum, anno MDCLXXXI. universitati S. Thomae concessorum.

§ 3. Nos igitur, ipsum Iacobum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac nostrarum pariter in formâ Brevis ad favorem collegii et universitatis Sancti Thomae civitatis Monilae anne MDCLXXXI. emanatarum litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto habentes, de

venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. praefatae Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, omnia privilegia, praefato collegio et universitati S. Thomae civitatis Monilae dicto anno MDCLXXXI. a nobis concessa, praefatis universitatibus S. Fidei et B. Ferdinandi Regis catholici civitatis Quitensis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, communicavimus (1); salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis et universitatum, seu collegiorum praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. aprilis MDCLXXXV., pontificatus nostri anno IX.

XXV.

Confirmat litteras Clementis X. super erectione hospitii de Urbe pro iis, qui ad fidem veniunt, necnon tradit facultatem illud transferendi (2).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut ovibus, quae, Satanae versutiâ a caulis Domini seductae, per haeresum errorumque vepreta misere vagantur, ad boni pastoris ovile reducendis iugiter studeamus, et reductas spiritualibus temporalibusque favoribus, quantum nobis ex alto conceditur, confoveamus; ac proinde ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris consimili consilio pie prudenterque instituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper ac illibata persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus, aliaque pro rerum et temporum qualitate desuper ordinamus, prout in Domino salubriter expedire arbitramur.

Dictum hospitium erectum fuit a Clemente X. in domo eremitarum ad Portam Angelicam.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa X., praedecessor noster, hospitium pro illis, qui per Dei gratiam ab haeresi conversi ad fidem catholicam sponte veniunt, in domo eremitarum ecclesiae S. Mariae Gratiarum ad Portam Angelicam de Urbe positae annexâ perpetuo erexit et instituit, ipsumque hospitium palatii apostolici membrum esse, ac illius hospites et ministros privilegiis et praerogativis familiarium pontificiorum frui, necnon hospitium, eiusque bona, ac hospites et ministros huiusmodi per congregationem particularem clericorum et laicorum regi et administrari voluit, aliaque disposuit et ordinavit, prout plenius continetur in ipsius Clementis praedecessoris litteris, sub plumbo desuper expeditis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter alia *(reliqua vide suo loco).* Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae, MDCLXXV., III. idus martii, pontificatus nostri anno VI.

Preces congregationis dicti hospitii pro eius translatione ad palatium Cardinalis Gastaldi in Burgo S. Petri.

§ 2. Cum autem, sicut, pro parte dilectorum filiorum congregationis praefatae super regimine et administratione dicti hospitii sicut praemittitur institutae, nobis nuper expositum fuit, bonae memoriae Hieronymus, dum vixit, S. R. E. Cardinalis Gastaldus nuncupatus, qui unus ex

(1) Aptius lege *communicamus*.

(2) Ex Regest. in Arch. Brev.

dictâ congregatione erat, idem hospitium ex asse haeredem instituerit (1), et, quia propter angustias supradictae domus eremitarum, dicto hospitio eiusque hospitibus pro perpetuâ eorum habitatione ut praefertur assignatae, maioremque numerum eiusmodi haereticorum qui fidei catholicae veritatem amplexi ad hospitium ipsum in dies veniunt, ampliorem eis habitationem parari debere cognoverat, palatium suum, in civitate nostrâ Leoninâ, sive Burgo S. Petri, positum, illorum habitationi deservire desideraverit, ac proinde dicti exponentes, in executionem piae mentis eiusdem Hieronymi Cardinalis, captâ eiusdem palatii possessione actuali, partem illius ad formam hospitio convenientem redegerint et adaptaverint, cupiantque hospitium illiusque hospites et ministros praefatos illuc transferre et transportare posse: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio erectionis hospitii et litterarum Clementis X., necnon eiusdem translationis.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem et institutionem hospitii supradicti in praefatâ domo eremitarum a memorato Clemente praedecessore factas ut praefertur, expeditasque desuper illius litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, ac dispositionibus, concessionibus, facultatibus et ordinationibus, aliisque in eis contentis et expressis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac eisdem exponentibus, ut ipsi hospitium praefatum, illiusque hospites et ministros, a supradictâ domo eremitarum in palatium praedictum transferre et transportare; ipsi autem hospitio, postquam sic translatum et transportatum fuerit, illiusque hospitibus, ministris et personis quibuscumque in eodem palatio pro tempore degentibus, omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, aliisque gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, per praeinsertas Clementis praedecessoris litteras quomodolibet concessis, ut prius, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant respective, salvâ tamen in suo robore quoad reliqua omnia et singula remanente earumdem Clementis praedecessoris litterarum dispositione, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in litteris praeinsertis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXII. aprilis MDCLXXXVI., pontificatus nostri anno X.

XXVI.

Statuit, ut loca sancta Palaestinae, praesertim sepulcrum D. N. I., a fratribus Ordinis S. Francisci de Observantiâ, uti prius, custodiantur (2).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

A Rege et Reginâ Siciliae tradita fuere loca sancta Palaestinae custodiae praedictorum fratrum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus minister generalis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod (cum dudum clarae memoriae Robertus Rex et Sancia Regina Siciliae a tunc existente suldano Babiloniae, qui sepulchrum Domini et alia sacra loca ultramarina proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata detinebat occupata, obtinuissent

(1) Edit. Main. legit *instituit*.

(2) Ex Bull. Terrae S. ed. Rom. 1727, p. 111.

ut fratres dicti Ordinis intra ecclesiam eiusdem sepulchri possent continue commorari et ibidem missarum solemnia et alia divina officia solemniter celebrare, et iam certi fratres Ordinis praedicti actualiter essent ibidem, dictusque suldanus coenaculum Domini et capellam, in qua apostolis Spiritus Sanctus apparuit, et aliam capellam, in qua Christus, beato Thoma praesente, post resurrectionem suam apostolis se ostendit, regi et reginae concessisset eisdem; ipsa vero regina locum aedificasset in Monte Sion, intra quem coenaculum et dictae capellae sita erant, ubi videlicet fratres dicti Ordinis sumptibus propriis continue tenere intendebat ad divinum obsequium in sepulchro et aliis praedictis locis sacratissimis impendendum, ac tres personas saeculares etiam quae ipsis fratribus servirent et necessaria administrarent) felicis recordationis Clemens Papa V., praedecessor noster, volens eorumdem regis et reginae votis et desideriis annuere, generali et Terrae-laboris Ordinis praedicti ministris, et cuilibet eorum, vocandi tunc et in posterum ad eorum praesentiam auctoritate apostolicâ, ad requisitionem dictorum regis et reginae, vel alicuius eorum aut successorum suorum, de consilio seniorum dicti Ordinis, fratres idoneos et devotos de toto Ordine, usque ad certum numerum, de quibus, consideratâ qualitate negotii, vidissent expedire, et eos ad serviendum in divinis, tam in ecclesiâ dicti sepulchri dominici, quam in sacro coenaculo et capellis praedictis (habitâ prius informatione de conditione fratrum ipsorum, quos vocavissent, a ministris provincialibus dicti Ordinis unde fratres ipsi pro tempore assumerentur), deputandi, eosque ad partes illas destinandi, ac etiam alios ex ipso Ordine, cum aliqui ex eis defecissent, toties quoties expediret, subrogandi, ac eis dandi licentiam ibidem commorandi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendi, plenam et liberam, sub certis modo et formâ tunc expressis, concessit facultatem, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris, XI. kalendas decembris pontificatus sui anno I. desuper expeditis, uberius dicitur contineri.

Expulsio dictorum fratrum post quartum saeculum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, loca sancta praedicta subinde a dictis fratribus quatuor fere saeculorum decursu custodita fuerint; sed Turcae nuper illos inde eiecerint et schismaticos eorum loco introduxerint, qui illa de praesenti detinent occupata; ipse vero Petrus Marinus minister generalis (qui, antequam ad generalatum Ordinis praedicti assumeretur, quinquennii spatio eorumdem sanctorum locorum regimini et custodiae praefuit) in visitatione provinciarum Germaniae et Hungariae dicti Ordinis (quam nuper obivit, et in cuius decursu vexillum Sanctae Crucis intra limites conventus sui Ordinis in oppido Neuheuselae christianorum armis e manibus Turcarum fortiter recuperato, reconciliatâ eiusdem Ordinis ecclesiâ ibidem existente, cum singulari animi sui gaudio plantavit) cum principibus christianis, sacro foedere contra eosdem Turcas sociatis, de praefatis locis sanctis et praesertim sepulchro dominico ad custodiam fratrum dicti Ordinis restituendis omni studio egerit, ipsique principes ei declaraverint sibi in animo firmiter fixum esse super praesenti bello cum Turcis praedictis nullo modo pacisci, nisi inter praecipuos articulos reintegratio atque restitutio eorumdem fratrum ad pristinam custodiam sanctorum locorum Palaestinae et praecipue sepulchri dominici omnino stabiliatur: nobis propterea dictus Petrus Marinus minister generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum de custodiendis locis sanctis a dictis fratribus, uti ante expulsionem.

§ 3. Nos igitur, laudabilem eorumdem principum confoederatorum zelum atque pietatem plurimum in Domino commendantes, eorumque piis votis et armis paternâ charitate benedicentes, ac eumdem Petrum Marinum ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradicta sancta loca Palaestinae, sive Terrae Sanctae, ac praesertim sanctissimum domini nostri Iesu Christi sepulchrum, quemadmodum antehac, et usque ad nuperam praefatorum schismaticorum occupationem atque usurpationem, per fratres Ordinis praefati ex huius Sanctae Sedis Apostolicae concessione custodita, recta et gubernata fuerunt, ita in posterum quoque ab iisdem fratribus

custodiri, regi et gubernari debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXX. aprilis MDCLXXXVI., pontificatus nostri anno X.

XXVII.

Confirmat decreta ministri generalis Ordinis fratrum Sancti Francisci de Observantiâ a Cardinali protectore approbata circa missionum collegia in Hispaniâ et Indiis Occidentalibus (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ea, quae a superioribus regularibus ad christianae religionis fideique catholicae propagationem, rectamque fidelium in sacrâ doctrinâ et moribus christianis institutionem, ac etiam religiosorum ministrorum in seminariis ad eum finem institutis et instituendis pro tempore degentium felicem directionem, pie prudenterque decreta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus.

In sequentibus litteris praefecto missionum occidentalium directis continentur praedicta decreta.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura, carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici concionator et theologus, ac pro ultramontanâ familiâ fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in Romanâ Curiâ commissarius generalis, quod dilectus etiam filius Petrus Marinus Sormanus, minister generalis dicti Ordinis, per suas patentes litteras dilecto pariter filio Antonio Linaz missionum eiusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus praefecto directas, diversa decreta et ordinationes edidit, prout continentur in eiusdem patentibus litteris tenoris qui sequitur, videlicet:

« Fr. Petrus Marinus Sormanus a Mediolano, lector iubilatus, sanctae Inquisitionis qualificator, exguardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis fratrum Minorum minister generalis, etc., servus, etc., dilectissimo nobis in Christo P. F. Antonio Linaz, missionum nostri Ordinis in Indiis Occidentalibus auctoritate apostolicâ praefecto, salutem in Domino sempiternam.

Causae decretorum.

Cum memoriâ retineamus beatum Franciscum, inclytum nostri Ordinis fundatorem, divinâ revelatione cognovisse, et suos pro aliorum salute vocatos fuisse, iuxta illud, quod ei Ecclesia accinit, *Sanctus Franciscus, quid faciat instructus, non sibi soli vivere, sed aliis proficere vult Dei zelo ductus;* ac insuper cum attentâ mente cogitemus, quod ipse seraphicus pater anno

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Alia ministri generalis decreta pro Indiis Occidentalibus extant const. edit. MDCLXXXIII., die 4 octobris, pontif. VIII. De dictis vero seminariis vide constit. edit. MDCLXXXVI., die 16 octobris, pontif. XI.

a suâ conversione undecimo, multis cum periculis iter, ut Soldani praesentiam adiret, ferventer aggressus fuit, et quinque observantissimos fratres ad Miramolinum destinavit, ut, ipse Orientis, illi Occidentis populis salubre Christi praedicantes evangelium, mundum quasi totum ad sanctam fidem converterent, in qua sollicitudine Ordo noster, ut ex quamplurimis Summorum Pontificum diplomatibus apparet, per observantes missionarios, a suis primordiis ad usque praesens tempus mirabiliter effulsit: praedicti muneris in seraphicâ nostrâ religione conservationi ac praefati exercitii missionum laudabili incremento consulere desiderantes, consultationibus necessariis praehabitis, mature decrevimus tibi praecipere, prout tenore praesentium cum merito salutaris obedientiae praecipimus, ut, tamquam commissarius ad infrascripta delegatus, per provincias in ultramontanis regnorum ac insularum Hispaniae partibus nostrae obedientiae subiectas sedulo circumeas, sanctumque missionum ministerium in civitatibus, locis et castellis tibi benevisis de consensu Ordinariorum exerceas, ac religiosos, quos in praefatis provinciis ad sacrum missionum exercitium et conservationem idoneos repereris, ad illud amplectendum exhortari monereque cures, et eos, qui divinâ inspirante gratiâ sponte in partes Indiarum ire voluerint, charitative recipias, ac ad praefatum laudabile munus nostri nomine destinare sollicites, eisdemque per tuas litteras unum ex seminariis seu collegiis in Hispaniae atque Indiarum partibus erectis et erigendis, iuxta statuta a sanctissimo domino nostro Innocentio XI. die VII. maii MDCLXXXVI. approbata, assignare poteris, ipsique in illud ad morandum statim proficisci teneantur. Et, ne in tam sancto opere meritum obedientiae desit, omnibus, qui, ut praefertur, se sponte obtulerint, et sub formâ praefatâ ad aliquod ex seminariis praedictis fuerint destinati, ad meritum obedientiae praecipimus, ut praefatum iter et opus exemplo discipulorum Christi Domini, iuxta praedictorum statutorum praescriptum, devote exequantur, pro certo sperantes, quod, sicut in labore eos imitati fuerint, ita et in praemio eis sociabuntur, per eamdemque obedientiam, ac sub poenis in memoratis statutis a Sanctâ Sede approbatis contentis, omnibus nostri Ordinis fratribus, cuiuscumque gradus, conditionis et reformationis sint, praecipimus, ut, sub nullo praetextu, specie aut colore, ac sub nullâ formâ, dictos fratres, a te, ut praefertur, selectos et admissos, detineant, retrahant seu impediant, sed potius eos statim licentient, et in seminaria abire permittant, pro quo tam euntibus quam permittentibus, suadentibus, aut cooperantibus sancti Patris nostri benedictionem libentissime ex nunc et pro tunc impartimur. Tuam tamen conscientiam oneramus ad hoc, ut sollicitam curam adhibeas, ne religiosi incapaces, parum idonei, vel in moribus apud suas provincias male audientes, ad tam sanctum opus assumantur; sic enim animarum saluti consuletur, et fidelibus ac infidelibus scandalorum occasio non subministrabitur. Et, ne praefati fratres a te selecti, dum tecum in itinere, ac extra collegia missionariorum in exercitio missionum morati fuerint, absque pastore remaneant, tibi praecipimus, ut eis praesis, illisque per obedientiam iniungimus, ut tibi tamquam suo vero ac legitimo praelato delegato in omnibus et per omnia, ac eo modo, quo nobis obtemperarent, si praesentes essemus, pareant et obediant. Praeterea tibi facultatem transmittendi in proprias provincias religiosos illos iam receptos et in aliquo collegio nondum incorporatos, quos inhabiles vel minus idoneos ad missionum munus peragendum recognoveris, et recipiendi alios loco illorum, praememoratis statutis inhaerendo et eorum observantiam commendando, plenarie impartimur. Et si aliquis e sociis tuis, vel e missionariis missionum exercitio vacantibus, in infirmitatem extra collegium ceciderit, ac in aliquo ex conventibus nostrae obedientiae subiectis demorari contigerit, praedicti conventus superior ac ceteri religiosi illum usque ad perfectam valetudinem curare, et ei iuxta regulam inservire omnino sint adstricti.

De delegato subdelegatis et aliis.

Insuper tibi permittimus, quod, si propter magnam distantiam, aut aliquam aliam causam, ad aliquas ex praelibatis ultramontanis et Indianis provinciis personaliter ire non potueris, auctoritatem ad omnia illa peragenda, quae immediate faceres si praesentialiter adesses, alicui vel aliquibus e sociis tuis, aut alteri e nostri Ordinis missionariis, cum superioritate et facultatibus tibi in praesentibus litteris concessis, in omnibus et per omnia subdelegare ac communicare valeas: ille autem vel illi alteri subdelegare nullatenus poterunt. Quo vero ad facultates, volumus et tenore praesen-

tium concedimus, quod tu, et fratres praedicti, qui ad praefatam subdelegationem in praememoratis Hispaniae et Indiarum provinciis assumpti fuerint, eâdem absolvendi, dispensandi, commutandi, etc., auctoritate et facultate super fratres, moniales et saeculares in foro conscientiae gaudeant, qua minister generalis, si ibi esset, uti ac frui valeret. Utque praedictae auctoritates et facultates effectu non careant, omnibus et singulis utriusque sexus personis in praefatis provinciis obedientiae nostrae subiectis, cuiuscumque gradus, dignitatis ac superioritatis sint, per sanctam obedientiam, ac sub poenâ maioris excommunicationis ipso facto incurrendâ, necnon privationis vocis activae et passivae per triennium, praecipimus et mandamus, ut te et socios tuos sub formâ praedictâ subdelegatos tuis desideriis cooperantes, in suis locis, conventibus, capellis, oratoriis et ecclesiis, quoties pro privatâ, secretâ ac fraternali collatione, vel pro publicâ a vobis faciendâ praedicatione, confessionibusque de licentiâ Ordinariorum audiendis, a quolibet vestrum requisiti fuerint, benigne et charitative ac sine ullâ repugnantiâ recipiant. Et si pro alicuius monialis infirmae, seu in articulo mortis constitutae, sacramentali solatio, aut ad moriendum in Domino religiosâ assistentiâ in aliquod monasterium ingredi necessarium fuerit, supradicta iurisdictio spiritualis etiam pro his casibus concessa ac praestita intelligatur. Quando vero ad aliquod ex missionariorum seminariis seu collegiis in Indiarum et ultramontanae familiae partibus hucusque erectis et in posterum erigendis seu fundandis accesseris, ac dum in illo cum sociis praefatis moratus fueris, seu ipsi socii subdelegati inibi separatam moram trahant, solâ auctoritate et facultatibus ad sacramentale forum spectantibus vos frui posse decernimus, et omni aliâ iurisdictione, alterius praelaturae titulo non obtentâ, spoliatos declaramus; ex hoc tamen effectum litterarum patentium et commissionum, quas antea dederis, non suspendimus, imo illum sortiri peroptamus; et sub poenis praedictis stricte praecipimus, tibi ac sociis tuis ceterisque subdelegatis simul iniungentes, ut, licet de familiâ dicti collegii non sitis, illius guardiano, iuxta praescriptum praedictorum statutorum a Sanctâ Sede ut praefertur approbatorum, in omnibus, quae ad hospites et moratores respective spectare dignoscuntur, inviolabiliter pareatis et obediatis: idque ipsum in aliis Ordinis conventibus in signum reverentiae faciatis, quando in damnum exercitii missionum non vergat, seu cum illo incompatibile fuerit. Ceterum, quando e seminario seu collegio, in quo de familiâ seu hospes fueris, exire decreveris, socios ac missionarios, quos ad praefatum missionum munus in illis partibus infidelium, in quas eos necessarios iudicaveris et magis idoneos credideris, spontaneâ illorum voluntate ad id requisitâ praecedente, de consilio discretorii seminarii praedicti seligere ac tecum ferre licite valebis. Si autem guardianus cum maiori parte discretorii tibi, quoad hoc, contradixerint, superiorem generalem, sub cuius iurisdictione praefatum seminarium fuerit, certiorem facies, ac habito illius consensu, et non aliter, nisi prius ad id legitimam obtinuisses delegationem, guardianus et discreti tuis votis acquiescere teneantur; etenim nulla ratio suadet, quod ille, qui commissarius missionum fuerit, electionem operariorum, iuxta locorum et terrarum infidelium necessitatem, facere non possit. Post praefatum exitum vero, et quando per praedictas Hispaniae et Indiarum provincias de novo circumeas, vel quoties, ut supradictum est, alios fratres ad quaerendum alios missionarios, seu aliqua collegia missionum erigenda mittas, aut personaliter eas, te et dictos fratres memoratâ superioritate et facultatibus supradictis uti ac frui posse, aeque ac ut supra stabilitum manet, sancimus et declaramus. Eisdemque vos et omnes alios nostri Ordinis concionatores et confessarios, in praefatis missionum collegiis tam erectis quam erigendis incorporatos, gaudere debere decernimus, cum sancto missionum operi ac laudabili muneri ipsos in terris tam fidelium quam infidelium vacare, seu in praefatis collegiis applicatos esse contigerit. Nullusque memoratorum collegiorum guardianus sub aliquo praetextu tuum exitum e conventu seu collegio, aut egressum e loco, in quo collegium fuerit, impedire praesumat, nec socium gratum, a te, tenore praesentium, eligendum, et, quoties opportunum fuerit, mutandum, in aliis exercitiis occupare audeat; sed statim ac ab ipso benedictionem petas, te cum praedicto socio licentiare teneatur, ut sic tuum munus tam in terris fidelium quam infidelium, et in omni eventu ac necessitate facilius et convenientius exequi valeas. Si enim fratres, qui Terraesanctae, ac quae-

stuationi pro illâ applicati sunt, hac independentiâ a superioribus locorum fruuntur; illâ potiori iure commissarius missionum infidelium conversioni ac animarum lucro totis viribus deditus frui, potiri et gaudere debet.

De seminariis erigendis.

Praeterea, ut melius infidelium conversioni et omnium animarum saluti salubrius in praedictis ultramontanae familiae et Indiarum provinciis pro nunc et in posterum provideatur, volumus et tenore praesentium sancimus, ut in qualibet ex dictis provinciis, ubi aliquod seminarium seu collegium missionariorum nostri Ordinis auctoritate Sacrae Congregationis de Propagandâ Fide non fuerit erectum aut approbatum, nec erigi aut fundari permittatur in futurum, unus ex conventibus iam fundatis in collegium et seminarium pro missionariis nostri Ordinis educandis erigatur; ac eo modo, et sub illâ formâ, dicta collegia in dictis provinciis iam erecta et in posterum erigenda gubernari, quoad omnia quae dictae Sacrae Congregationis auctoritatem non respiciunt, semper teneantur, sub qua in statutis praedictis, a Sanctitate D. N., praefatâ die VII. maii, approbatis, regi ac gubernari praecipimus. Praedicti autem conventus ad tam laudabilem finem destinandi de numero recollectorum esse possint et debeant, si aliqua ineluctabilis ratio aliud non suadeat; quod iudicio et arbitrio superiorum generalium illarum partium, qui de praesenti sunt, et pro tempore fuerint, committere censuimus, eisdem, sub S. P. N. Francisci indignatione, et poenis ab eminentissimo protectore et eius successoribus pro suo arbitrio infligendis, simul praecipientes, ut, quando a te vel ab eo alio religioso a te destinato requisiti fuerint, conventum ad dictam missionariorum educationem in qualibet provinciâ assignent, et ultra quatuor menses, a die requisitionis numerandos, dictam assignationem protrahere seu suspendere non praesumant nec audeant; et si secus fecerint, illius S. P. N. Francisci sententiae memores sint, in qua suae et totius caelestis curiae maledictionis poenam illis imponit, qui confundunt ac destruunt, quod Altissimus per sanctos fratres huius Ordinis aedificavit et aedificare non cessat. Te autem in Domino exhortamur, ut per te ipsum, aliosque ad id idoneos missionarios, seu probos ac sanctitate morum pollentes religiosos, a te sobrie eligendos, praefatis erectionibus, tam in Hispaniae quam Indiarum omnium regi catholico subiectarum partibus ardenter invigiles, illarumque executioni, promotioni et stabilimento sedulo vaces, atque Deo et Ordini nostro in opere adeo sancto inservire nunquam cesses. Ad quod te et socios tuos, ac omnes alios religiosos a te destinandos, qui praelibatis erectionibus operam sponte dederint, superioribus generalibus et particularibus illarum provinciarum, in quibus memoratae erectiones faciendae sint, enixe commendamus, earumdemque provinciarum consensum, quatenus opus sit, vestigiis nostri praedecessoris inhaerentes, qui illam pro erectionibus tempore sui generalatus factis et dispositis supplevit, per praesentes pro nunc et in posterum, auctoritate ministri generalis qua fungimur, iuridice ac legitime supplemus, et ab illis peti et expectari non debere declaramus. Insuperque te ac dictos fratres principibus christianis, praecipue regi catholico, eiusdemque maiestatis consiliariis, submisse ac reverenter commendamus, sperantes, quod in tribunali tantae pietatis nihil utilius ac magis expediens creditur, quam hoc inceptum ad finem regiâ protectione perducere, ut tot bene instructis ac educatis operariis existentibus, aditus et ingressus in Indiarum aliorumque infidelium partes illis tantum conferatur, et quaerentibus quae sua sunt (quod Deus avertat), et non Iesu Christi, omnino denegetur. Postquam vero septem seminaria sub formâ praedictâ erecta fuerint, ac missionibus in Hispaniae provinciis applicata reperiantur, harum vigore sancimus, quod transitus in Indiarum missiones omnibus religiosis provinciarum Hispaniae, qui prius per duos annos, vel aliud spatium a nostro Indiarum commissario generali Matriti existenti assignandum, augendum vel minuendum, in aliquo ex praedictis seminariis seu collegiis, suae religiositatis, idoneitatis ac vocationis testimonium et indicia non dederint, accedente consensu et placitis necessariis, omnino interdicatur: hac enim providentiâ provinciarum in Indiis existentium reformationi, si illâ indigent, consuletur, et fidelium tam in illis quam Hispaniae partibus aedificationi, infidelium conversioni, omnium animarum saluti, et nostrae regulae observantiae puriori, ac totius Ecclesiae decori maximopere inservietur, et tot seminariorum numerus in Hispaniae provinciis superfluus aut sine fine Deo gratissimo non reputabitur.

De delegatis, commissariis et aliis.

Ceterum, quia tui corporis vires ad adeo immensum laborem non sufficient, ideo praesentium tenore decernimus, quod te cum P. N. Francisco Salmezone, seminarii de Sahagura erectore, ac zelantissimo per totam Hispaniam missionario concionatore, fraternaliter coniungas, teque et (1) praefatum patrem Salmezonem commissarios nostros delegatos ad dictarum erectionum effectum consequendum, cum omnimodâ independentiâ unius, in dimidiâ parte provinciarum Hispaniae, ab alio in alterâ dimidiâ, iuxta repartitionem inter vos prius concordandam, instituimus et pronunciamus, ac vobis et sociis vestris, aliisque probis religiosis, qui de consensu vestro praedictis erectionibus operam dare voluerint, eorum curam et sollicitudinem enixe commendamus. Et ne praedictus pater Salmezon, eiusque socii, ac alii fratres, qui eum in operâ adeo sanctâ sequi voluerint, debitâ auctoritate, facultatibus et superioritate necessariâ careant, eos omnibus gratiis, facultatibus, superioritatibus et privilegiis respective, tibi, sociisque tuis, ac aliis te sequi eligentibus, tenore praesentium concessis, aeque ac pariformiter respective tamen, uti et frui posse ac debere volumus et declaramus. Tibi autem in Indiarum Occidentalium rebus ac necessitatibus experto facultatem facimus, ut ex concionatoribus missionariis in provinciis Peruanis existentibus unum, qui tibi magis idoneus appareat, nomine nostro eligas, qui in praefatis provinciis, commissario generali illarum partium subiectis, praedictis erectionibus invigilet, et ibi commissarius missionum sit et appelletur, aliumque ex existentibus in provinciis novae Hispaniae ac Philippinarum, ad eumdem effectum, et cum eodem titulo pro illis partibus, dum ad illas non perveneris, nominare poteris; et, si necesse fuerit quod distinctus ad provincias Philippinas destinetur, alium pro illis destinare valebis. Praedicti autem missionum commissarii, a te eligendi, eâdem auctoritate et superioritate ac similibus facultatibus, tam pro erectionibus, quam pro exercendis missionibus et quaerendis ad illas religiosis, potiri et frui poterunt, quibus tu harum tenore uti, frui ac potiri vales, quae tibi pro eisdem partibus etiam deservient, et nunquam, nisi per Apostolicam Sedem aliud fuerit determinatum, sub ullo praetextu finientur. Eâdemque duratione praefatâ auctoritas, superioritas et facultates patri Francisco Salmezoni concessae durabunt, nisi etiam aliter per eamdem Sanctam Sedem fuerit stabilitum. Unicuique autem vestrum praecipimus, ut, tam pro seminariis erectis ac erigendis, quam pro exercitio missionum in Indiarum partibus erigendo, idoneos tantum religiosos admittatis; et quando in easdem partes transire vobis opportunum visum fuerit, illuc tenore praesentium vos conferre poteritis. Te vero vel praefato patre Salmezone decedente, aut uno vel altero in Indias transeunte, et dum commissarii missionum, quos in Indiarum regnis et provinciis, ut praefertur, elegeris, praedictum munus per septennium exercuerint, alii, vestro et illorum loco, a superioribus generalibus illarum partium respective, qui pro tempore fuerint, eligantur; in eorum tamen electione illa forma servari debeat, quae pro electione cuiuslibet guardiani seminariorum stabilitur. Utque aequalitas honoris a praefato commissariatu provenientis omnibus seminariis impartiatur, primus commissarius pro qualibet provinciarum parte, cui unum supra concessimus, a seminario in illâ parte primo erecto assumetur; secundus a secundo; et sic de reliquis usque ad ultimum: qui ordo iterum incipiendo semper servetur, nisi aliud superiori generali provinciarum illius partis, de assensu maioris partis guardianorum collegiorum dicti commissariatus, magis expediens pro prosperiori missionum augmento visum fuerit; unde cuilibet collegio seu seminario unus commissariatus per septennium integrum duraturus concedi debebit, etiamsi primo electus e vitâ migret, aut, servatâ eâdem formâ quae pro depositione et privatione guardianorum in seminariis observatur, et non aliter, officio privetur, seu ex alio capite inhabilis reddatur, aut ad munus incompatibile, quale erit guardianatus et provincialatus, officium aliquando assumatur; in iis enim casibus alius eiusdem seminarii missionarius concionator iuxta primae electionis formam ad missionum commissariatum promoveatur.

Commissarii praedicti in omnibus sui commissariatus collegiis primum locum habeant post guardianum; et, dum intra claustra cuiuslibet fuerint, eorum discreti, per tempus sui commissariatus, ultra no-

(1) Particulam *et* addunt edit. taurin.

minatos in collegiorum statutis ut praefertur approbatis, legitime erunt, nunquam tamen titulum generalem usurpent, aut commissarii generalis missionum appellari valeant; nec minus ullâ iurisdictione, auctoritate aut facultate, ultra id quod eis supra concessum manet, uti aut gaudere praesumant, aut gubernium regulare collegiorum perturbare audeant: ad solosque guardianos spectabit novitios recipere, fratres ad praedicandum et audiendas saecularium confessiones locorum Ordinariis praesentare, et numerum missionariorum aliorumque fratrum, servatis iuxta statuta servandis, augere vel minuere; quae omnia a dictis guardianis fiant, quin forma in dictis statutis a Sanctâ Sede approbatis aliqualiter violetur. Praedicatorum vero ac confessariorum tam fratrum quam monialium et saecularium prima institutio, necnon clericorum seu choristarum ad ordines recipiendos destinatio, ad solos superiores generales illarum partium, in quibus seminaria fuerint, spectabit: ii autem nullum instituant, promoveant seu destinent, nisi habito prius consilio et assensu in scriptis, post exactum examen, et non aliter, conferendo, maioris partis discretorii illius seminarii in quo moram trahat examinandus: at, praefato consensu interveniente, superior generalis suas litteras statim expedire tenebitur, ne seminaria, ob eius culpabilem moram, operariis necessariis privata remaneant, sed conserventur. Si aliquando contingat, quod aliquis religiosus, qui officio definitoris generalis, commissarii generalis Curiae, procuratoris generalis Ordinis, commissarii generalis familiae, ministri generalis, seu vicarii aut vicecommissarii generalis functus fuerit, ad aliquod ex dictis seminariis seu collegiis transeat, et ibi missionum exercitio vacare desideret, statim a guardiano et discretis recipiatur. Ceterum, ne propria provincia, aut ultramontana familia, seu totus Ordo viris in gubernio adeo expertis omnino privetur, dictus pater, etiamsi in collegio seu seminario de familiâ vivat, suffragia, subrogationes, praeeminentias et privilegia sibi tam in propriâ provinciâ quam in familiâ ultramontanâ et Ordine toto iuxta statuta debita non amittat, illisque eo modo frui poterit, ac si a propriâ provinciâ non exivisset; sic enim missionum exercitium viris magnae auctoritatis et experientiae honorabitur, quin aliquod detrimentum in eorum defectu seu reparatione religio patiatur.

De sollicitatoribus Tertii Ordinis.

Et quia, dum decori primi Ordinis S. P. N. Francisci, ac solatio et spiritualibus indigentiis secundi per praesentes litteras contulimus, tertii Ordinis de poenitentiâ eidem sancto fundatori valde amabilis oblivisci non debemus, ut praefatus de poenitentiâ venerabilis Ordo a S. P. N. Francisco pro personis utriusque sexus in saeculo viventibus institutus, et a felicis recordationis Clemente VII. ac Paulo III. in tres status, sub unâ eâdemque tertii Ordinis appellatione, atque eorumdem privilegiorum, gratiarum, concessionum, indulgentiarum et favorum communicatione, ac solum sub diversis statutis secundum cuiuslibet status exigentiam divisus, magis in dies augeatur, et illi sancti, qui, ut ab eodem Paulo in suo Brevi *Trium statuum* incipiente refertur, pro sanctis dicti Ordinis recensentur, sequacibus in Indiarum et totius orbis christiani partibus non careant, ac ut exemplo personarum sub regula praefati Ordinis viventium fidelium mores reformentur, virtute constitutionum apostolicarum, a Sanctitate Alexandri VII. in quibusdam litteris *Exponi nobis* incipientibus, die XXVIII. iulii MDCLVII. datis, approbatarum, quas praedictus Pontifex unâ cum Ordinis statutis observari praecepit, praedictos missionum commissarios et seminariorum guardianos, ac alios missionarios ab ipsis destinandos augmenti dicti Ordinis sollicitatores instituimus, eisque recipiendi fideles ad hunc Ordinem tertium, illiusque professionem et exactissimam regulae, iuxta praemissa statuta ac Ordinis constitutiones in speculo seraphico contentas et explicatas, sequelam et observantiam, omnimodam facultatem impartimur; ipsaeque utriusque sexus personae, ad statum sibi in dicto Ordine tertio correspondentem sub formâ praemissâ admissae, cunctis gratiis, indulgentiis et concessionibus dicto Ordini tertio a Sanctâ Sede ut praefertur factis et elargitis aeque frui poterunt, ac illis personae aliae dicti Ordinis uti ac potiri valent et consueverunt. Ulterius tam ipsius tertii Ordinis, quam aliis utriusque sexus nostrae obedientiae seu directioni subiectis personis, intra et extra seminaria praefata degentibus, in domino suademus, ut viae crucis gressus et devotam illorum gressuum meditationem more solito frequentent, atque ante vel post cuiuslibet meditationis morulam consuetae SS. Sacramenti stationis orationes recitent, ut indulgentias, quae a Sanctâ Sede revocatae

non fuerint, mediâ hac diligentiarum commutatione, iuxta summorum Pontificum concessiones, secure lucrari valeant et possint.

Admonitio.

Postremo omnibus missionum commissariis, ac collegiorum fratribus tam subditis quam superioribus stricte iniungimus, ut in omnibus se Dei ministros, discipulorum Domini sectatores, observantiae sanctae alumnos, Sanctorum Ordinis imitatores, et sancti patris nostri Francisci eximii ardoris filios perenniter ostendant, et usui pauperrimo rerum indispensabiliter mancipent, utque illorum librorum usu sint contenti, quos secum in missiones portare necessarium et inevitabile iudicaverint; si autem alios a benefactoribus receperint, eos bibliothecis collegiorum statim donent, imo ad hunc tantum finem donationem praedictam acceptare poterunt; et, si contingat quod opera alicuius missionarii benefactorum eleemosynis typis dentur, religiosus, qui eas (1) (ut licet) medio syndico, et de licentiâ superiorum, pro hac necessitate determinatâ praestandâ, perceperit, et impressionis indigentiis applicaverit, neutiquam sibi exemplarium repartitionem et librorum donationem reservet, sed id de illis fiat, quod discretorio collegii utilius ac religiosius apparuerit, semper tamen benefactores et amici spirituales praeferantur, qui digni ab auctore seu sollicitatore impressionis declarati fuerint.

Facultates commissarii generalis ultramarini.

Et, ne praesentes litterae ad maturae determinationis, ob aliquos, sive auctoritatis ad decernendum in perpetuum, sive alterius rationis, defectus, necessariâ firmitate careant, earumdem tenore facultatem procurandi tam apud eminentissimum dominum nostrum protectorem quam apud Sanctam Sedem necessarias confirmationes et roborationes opportunas ac perpetuam manutentionem patri Francisci Diaz a S. Bonaventura huius Curiae commissario generali plenarie impertimur, ipsique dictarum erectionum promotionem et missionum negocia in hac Curiâ tractanda cum facultatibus necessariis committimus, et licentiam ad postulandas in sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide missionum pro memoratis commissariis praefecturas, et omnia illa agenda quae pro tam sancto opere proficiendo necessaria fuerint, libenter concedimus et elargimur. Harumque litterarum observantiam omnibus, ad quos spectat, cum salutaris obedientiae merito commendamus, et ipsis sancti patris nostri Francisci benedictionem benigne impartimur.

Ex hoc nostro Aracaelitano conventu, die XI. maii MDCLXXXVI.

Fr. Petrus Marinus, minister gener.

De M. R. patris, Fr. Ioseph a Leone, secretarius generalis Ordinis ».

Decretum Cardinalis protectoris.

Et subinde venerabilis frater noster Alderanus Episcopus Portuensis, S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus, Ordinis praefati apud nos et Sedem Apostolicam protector, dictas patentes litteras, earumque praeinsertam dispositionem, approbavit et confirmavit per suum decretum tenoris sequentis, videlicet: « Alderanus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Cybo seraphici Ordinis S. Francisci apud Sanctam Sedem protector, etc. Retroscriptas litteras patentes patris ministri generalis, earumque praeinsertam dispositionem, tenore praesentium approbamus et confirmamus, suumque effectum sortiri praecipimus et mandamus, sub poenis in statutis generalibus contra rebelles praescriptis.

Romae, XIII. maii MDCLXXXVI.

A. Card. Cybo protector,

Io. Baptista Rusca, etc. »

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Franciscus commissarius generalis praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Francisci commissarii generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuentes, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas praefati Petri Marini ministri generalis patentes litteras a memorato Alderano Episcopo Cardinali et protectore approbatas et confirmatas, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus pariter et ap-

(1) Nempe *eleemosynas*.

probamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes et praeinsertas patentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque provinciarum et conventuum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXVIII. iunii MDCLXXXVI., pontificatus nostri anno X.

XXVIII.

Confirmat quaedam decreta capituli intermedii fratrum B. Ioannis Dei regnorum Hispaniae et Indiarum (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere peculiarem christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesiâ Dei assidue proferre satagunt, sollicitudinem gerentes, illis, quae pro felici prosperoque eorum regimine et gubernio provide prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, libenter adiungimus firmitatem.

Decreta praedicta in capitulo intermedio an. MDCLXXXIII. edita.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Emmanuel de Herrera, procurator generalis Ordinis fratrum B. Ioannis Dei regnorum Hispaniae et Indiarum, quod, cum per constitutiones dicti Ordinis a felicis recordationis Urbano Papa VIII. praedecessore nostro confirmatas, cap. CII., capitulis generalibus et intermediis ipsius Ordinis constitutiones ipsas mutandi vel declarandi, novasque etiam adiungendi, prout recti gubernii ratio exegerit, facultas tribuatur: ideo in capitulo intermedio Ordinis praedicti, quod die III. maii MDCLXXXIII. celebratum fuit, pro felici prosperoque Ordinis huiusmodi regimine et gubernio, facta fuerunt nonnulla acta et decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

« Acta et decreta quae religio B. Ioannis Dei regnorum Hispaniae et Indiarum fecit et ordinavit ad melius eius regimen in capitulo intermedio celebrato die III. maii praesentis anni MDCLXXXIII. in hospitali B. Virginis Amoris Dei curiae Matritensis, videlicet:

De aerario et arcâ pecuniarum.

I. In primis, quia dicta religio habet aerarium et arcam trium clavium quae sunt in potestate patris generalis et suorum duorum assistentium, ubi apponuntur et conservantur omnes quantitates pecuniarum quae acquiruntur pro canonizatione nostri patris B. Ioannis Dei dictae religionis fundatoris, et aliorum servorum Dei qui fuerunt in eâ religione, ac etiam legitimae et spolia religiosorum cum quantitatibus quas provinciae Indiarum mittunt in Hispaniam ad lites et negocia, sicuti ad alia, quae dictae religioni opus est in Curiâ

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Extat revocatio cuiusdam decreti capituli in Urbani VIII. constit., edit. MDCXXVIII., die 8 aprilis, pontif. V.; et in Alexandri VIII. const. *Nuper pro parte*, ed. MDCXC., die 7 octobris, pontif. I., habetur confirmatio decreti Cardinalis protectoris de sede generalis et convocatione capituli.

Romanâ, et in dictis Hispaniarum regnis in diversis audientiis et tribunalibus; et licet in praedictis semper habita fuerit bona cura et ratio, ipsam reddendo patres generales in fine eorum officii successoribus suis, tamen, quia super hoc nulla adest constitutio nec ordinatio, quae aliquid super hoc disponat (1), quae per se introducta est, cuius respectu posset deficere cum tempore eius perseverantia, et ut firma remaneat, et nihil possit innovari in praeiudicium tam utilis et laudabilis consuetudinis, ordinatur dictum aerarium et arcam trium clavium perpetuo conservari, in formâ qua usque ad praesens fuerunt conservata, nempe quod praedictae claves diversae sint, nec nisi omnibus simul iunctis arca huiusmodi depositorum aperiri possit; unaque ex eisdem clavibus a patre generali, reliquae a singulis assistentibus retineantur; habeatque dictus pater generalis librum rationum de receptis et expensis, et in fine sui officii rationem reddat successori suo et novis eius assistentibus de praefatis receptis et expensis factis in tempore sui officii, sicut semper fuit observatum, et relatum remanet; et casu, quo fraus vel dolus in custodiâ et administratione atque erogatione dictarum pecuniarum detegatur, delinquentes male versantes poenis privationis vocis activae et passivae subiaceant, et ab eorum officiis respective suspensi remaneant, et ipse pater generalis privatus, et (2) destitutus remaneat omnibus privilegiis et praerogativis exgeneralibus quomodolibet competentibus, nec a quocumque nisi a Sanctâ Sede Apostolicâ rehabilitari et absolvi possint.

De libris accepti et expensi, necnon manualibus dispensatorum.

II. Quod ultra expressum in cap. LXVIII. nostrarum constitutionum ordinatur, quod superiores in eorum monasteriis habere debeant libros bonorum et reddituum et expensarum in archivio et arcâ trium clavium, absque eo quod possint amoveri ad alium effectum, nisi ad calculandum introitus et scribendum recepta et expensa quolibet die facienda cum assistentiâ consiliariorum; ordinatur, quod omne id, quod dispensator afferet expensarum causâ, recipiatur et scribatur in libris, et in eâdem formâ et specie describatur, qua dictus dispensator afferet, absque ullâ permutatione, et quod conserventur libri manuales dictorum dispensatorum, ut, quando evenerit casus visitationis, possint videri et comprobari eorumdem listae cum illis dictorum librorum, et quod superiores nihil possint percipere nec impendere manualiter, sed dictae expensae et necessaria sint sub onere procuratorum et dispensatorum. Praedicta ordinantur in virtute sanctae obedientiae, et poenâ privationis officii et activae et passivae vocis.

De priorum confirmatione.

III. Quia caput XXXIX. nostrarum constitutionum ordinat et mandat officia priorum duratura esse tantum spatio trium annorum, et, his elapsis, non posse iterum eligi et confirmari in dicto officio prioratus illas personas quae iam fuerunt priores, tam in eo hospitali, ubi exercuerunt, quam in quovis alio, nisi elapsis tribus annis vacationis sui muneris; et quia sunt multi anni, quod dicta religio indiget personis idoneis pro dictis officiis, et ad deveniendum ad novam electionem opus fuit in pluribus praeteritis capitulis recurrere ad Sanctam Sedem Apostolicam, et supplicare SS. D. N. pro dictae constitutionis dispensatione, qua auctoritate denuo electi fuerunt in dictis capitulis; et quia quotidie magis apparet personarum defectus ob multorum religiosorum mortem; et quia defecerunt seniores triginta annorum citra ob continuam assistentiam habitam in infirmitatibus pestis, quibus regnum Hispaniae laboravit spatio octo annorum, in quibus obierunt quamplures religiosi; et cum sint ceteri remanentes iuvenes, et absque experientiâ et competente aetate ad gubernandum, qua de causâ, cum fuerit facta experientia aliquorum honorando eos in dictis officiis, opus fuit eos ab illis privare, ob eorum malum regimen et administrationem habitam remanentibus praedictis in magno praeiudicio et damno coenobiorum et hospitalium, quod non accidisset si possent denuo eligi et confirmari illi qui sunt capaces et experti in dicto regimine: quapropter ordinatur ut in posterum possint iterum eligi et confirmari a capitulo generali vel intermedio in dictis muneribus prioratus omnes illae personae quae digne videantur dicto capitulo; in aliis tamen hospitalibus, exclusis illis, in quibus antecedenter et immediate prioratus munere functi sunt, ad ipsius capituli arbitrium, et per decennium a die confirmationis proximum tantum.

De valetudinario.

IV. Quod superior non habens aulam pro infirmariâ cum pleno numero lectorum,

(1) Aliquid deest, forsitan vox *consuetudo*.

(2) Particula *et* nos addimus

secundum fundationem vel possibilitatem hospitalis, cum supellectilibus necessariis condecorata ad commoditatem et curationem pauperum infirmorum, privetur voce activâ et passivâ, et ille qui ob urgentem necessitatem hospitii extra asportaverit aliquod vel aliqua lecta, fiat cum ordinatione et expresso consensu patris generalis, qui consensus dari debeat consideratis prius motivis et indigentiâ quae ad id acciderit; et pro maiori praedictorum observantiâ debeat in singulis capitulis tam generalibus quam intermediis determinari numerus lectorum ad proportionem reddituum singulorum hospitalium, quorum priores semper debeant esse parati ad recipiendos infirmos pro numero dictorum lectorum, sub poenis supra expressis.

De eleemosynis.

v. Quod nulli superiorum liceat, nec permittat subditis suis ire ad petendum eleemosynas extra territorium vel iurisdictionem sui hospitalis, in praeiudicium aliorum ipsius Ordinis, sub poenâ privationis officii et activae et passivae vocis per quatuor annos, tam superioribus, qui dictam licentiam concesserint, quam subditis, qui sub dictâ permissione petierint dictas eleemosynas.

De superiorum sede.

vi. Quod dicti patres superiores non possint abesse a residentiâ et regimine suorum hospitalium nisi spatio quatuor dierum, et hoc concurrente legitimâ causâ; et, si opus fuerit ultra praedictum tempus a prioratu abesse, id fieri nequeat absque expressâ licentiâ patris generalis vel provincialis eiusdem provinciae, sub poenâ privationis officii pro primâ vice ad annum, et, in casu reincidentiae, pro toto tempore eius officii remanente.

De domibus novitiatus.

vii. Quia ad receptionem novitiorum non sunt domus novitiatus praescriptae in dictis constitutionibus, accipiendo eos in omnibus dictae religionis, et quia illi qui aluntur in parvis monasteriis, non habent eam perfectam educationem quae requiritur, sicuti etiam, cum sit eorum parvum hospitium, non remanent bene edocti in eorum exercitio, et postea ipsi transeundo ad alia maiora monasteria recognitum fuit eos ingredi cum difficultate in dicto exercitio bonorum ministrorum erga infirmos: ad evitandum igitur hoc inconveniens imposterum deputantur et eliguntur monasteria et domus novitiatus in provinciâ Baeticâ, scilicet civitatum Granatae, Hispalis, Cordubae, Iaiensis, et in provinciâ Castellae monasteria Matriti, Vallisoleti, Medinae de Rioseco, et Mursiae, et in Lusitana provinciâ monasteria Lisbonae, et Ielues, in quibus tamen, et non in aliis praeter nominatis dictarum provinciarum dentur, nec dari debeant, nec admitti dicti novitii; ad quorum educationem et doctrinam deputentur et assignentur magistri, virtute et timore Dei decorati, bonae vitae et famae; quae nominatio dictorum magistrorum debeat fieri a patre generali litteris suis patentibus pro tempore sibi placito, permanente in eius arbitrio potestate permutandi et nominandi alios, quandocumque illi videatur conveniens, ad quod superior cuiuslibet monasterii, ipso facto suae acceptae possessionis, teneatur transmittere dicto patri generali listam omnium illorum religiosorum, quos habuerit conventuales in eius monasterio, ut illorum unus eligatur, qui recognitus fuerit convenientior ad dictum exercitium, et cum non inveniatur habilis in eo monasterio, nominabit alium idoneum sibi benevisum, ad quem effectum permutabitur ex monasterio suae residentiae, et mittetur ad locum destinatum pro exercitio dicti officii.

De receptione religiosorum aliorum Ordinum.

viii. Quia multa et gravia inconvenientia recognita fuerunt ex praeceptione et receptione ad habitum in dictâ religione aliquorum religiosorum aliarum religionum, qui variis modis fuerunt causa gravissimarum litium et inconvenientium, excitando dictae nostrae religioni inconvenientia irreparabilis damni, quae multis ab hinc annis passa fuit: ad evitandum similia inconvenientia, ordinatur et mandatur quod in posterum non possint admitti nec admittantur ulli religiosi, qui fuerint vel actualiter sint alterius cuiuslibet religionis, nullâ de causâ, titulo vel ratione, quae ad eorum admissionem adduci possent, nisi ex iustis et rationabilibus causis referendis eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali protectori, ab eoque approbandis.

De procuratoribus.

ix. Quod religiosi procuratores monasteriorum consignare teneantur omnes quantitates pecuniarum ab eis receptas ex redditibus et aliis quibusvis effectibus sibi provenientibus et debitis dictis monasteriis eâdem die dictae perceptionis, vel ad summum die sequenti, absque ullâ retentione penes se; et casu, quo necesse sit conservare vel retinere aliquam quantitatem propter expensas litium vel aliarum rerum, fiat superiorum localium permissu; et quod tales procuratores nullam possint mutuo

tradere pecuniarum quantitatem, penes eos existentem, nemini ad multum vel parvum tempus, privationis officii poenâ et activae et passivae vocis ad quatuor annos, dummodo quantitas mutuata sit supra viginti realia; necnon teneantur iidem procuratores adnotare in libro particulari memorias litium, quae finito officio vel consignentur successori vel relinquantur in archivio.

De religiosis extra proprias domus versantibus.

x. Quod religiosi, qui migraverint ex uno ad alium locum ad negocia suorum monasteriorum, ad visitandum parentes vel consanguineos, vel ad alias quoslibet res, admittantur in monasterio Ordinis, ubi pervenerint, dummodo sit cum licentiâ suorum superiorum, et eis concedatur hospitium et victus spatio trium dierum, et, si plus dictorum trium dierum permanserint, solvere teneantur pro quolibet die tria realia causâ dicti hospitii et victus, quam summam superior et hospitale a quibus mittuntur teneantur solvere, dummodo sit ad rem et negocia talis monasterii, et qui hac de causâ, vel quavis aliâ non iverint ad edendum et dormiendum in dictis monasteriis locorum, ubi perveniunt, superiores eorum faciant eos capi, et in carceribus custodiri, ex quo carcere amoveri non possint absque ordine patris generalis vel provincialis; et superioribus prohibetur potestas concedendi licentiam suis religiosis, ut eant in alia loca, ubi non adsit monasterium Ordinis, ultra tempus trium dierum, permanente poenâ transgressoribus imponi debitâ arbitrio patris generalis.

De superiorum primatu.

xi. Quod, existente definitorio simul cum patre generali in hospitali, ubi inveniatur, tunc, quia repraesentat totam religionem, habeat locum praecedentiae superiori locali, omnibus definitoribus permanentibus immediate post patrem generalem secundum maioritatem eorum officiorum, et dictus superior, qui solum est caput eius familiae, habeat locum immediatum dexterae manus post definitorium, tam in refectorio, quam in aliis publicis vel privatis locis, in quibus adsit dictus pater generalis et eius definitorium, cum communitate talis monasterii; animadvertendo, quod dicto patri generali et eius definitorio hac de causâ non competit regimen domus, sed tantum superiori. Et idem erit observandum in domibus, ubi adsint patres provinciales, qui concurrentes in actis conventualibus, ipsi habebunt primum locum et praecedentiam, sicut ratione eorum officii attinet, et ad eorum manum dexteram habebit eius locum superior domus, et ad sinistram eius secretarius, et post hos consiliarii, et, si pater provincialis simul fuerit prior cuiusdam monasterii, habebit locum dexterae manus eius secretarius, a sinistrâ consiliarius professione antiquior. Et, absente patre generali ab hospitali, ubi residet cum eius definitorio, tam occasione visitationis, quam aliquovis praetextu, alii patres definitorii, qui permanserint, debeant abstineri a concursu actorum communitatis cum dicto superiori; quoniam, absente generali, qui est caput, non remanet corpus definitorii, nec possunt celebrare acta talium definitorum; et, si sponte velint concurrere dictis exercitiis et actis conventualibus, eis debeat praecedere dictus superior localis, sicut caput eius communitatis; et idem observatur, in absentiâ superioris, a consiliario antiquiori, ad quem regimen domus attinet absque interventu dictorum patrum definitorii.

De exgeneralibus.

xii. Quod patres, qui fuerunt generales religionis, ultra titulum primorum discretorum, et praerogativas quibus fruuntur, tam per constitutiones eiusdem religionis, quam virtute Brevis sanctae memoriae Pauli V., quia sunt personae, quae poterunt et quavis indigentiâ iudicare et reddere rationem et bonas notitias magno cum fundamento rerum religionis experientiae causâ suorum officiorum, et habeant suum votum in omnibus definitoriis sicut alii definitores, et praecedentiam omnibus definitoribus in loco ubi adfuerit dictus pater generalis, quia si ibi non adsunt, nulla erit constitutio vocandi eos ad dicta definitoria, quae celebrari possint absque eis, sicut absque quolibet alio non praesenti, ut declaratum remanet in dictis constitutionibus.

De exprovincialibus.

xiii. Quod patres, qui fuerunt provinciales, remaneant cum titulo patrum provinciae et domuum in quibus inveniantur, habeant primum locum post priorem localem praecedendo consiliariis et aliis religiosis, et ex supradictis non intelligatur ad eos pertinere regimen, animadvertendo quod, si quovis tempore abfuerit ab hospitali procurator, dicti patres provinciae permanebunt in eâdem sede et loco, quo titulo gaudebunt, absque praeiudicio dispositionis cap. xxv. nostrarum constitutionum super eos qui habere debent votum in capitulo, in quo nihil possint, nec praetendant innovare ex supradictis.

De sacerdotibus.

xiv. Quod patres sacerdotes ad sanctorum sacramentorum administrationem deputati habeant in quolibet monasterio primum locum et praecedentiam aliis omnibus religiosis, exceptis superiore et consiliariis.

De casu, in quo vacaverit generalatus.

xv. Quia caput xxxvii. nostrarum constitutionum ordinat et mandat quod in eventum mortis generalis, renunciationis vel privationis officii ob crimina commissa, si hoc evenerit in primo triennio sex annorum generalatus, ei succedat in dicto officio prior, qui tunc fuerit, monasterii et hospitii civitatis Granatensis usque ad capitulum proximum; et, quoniam evenit casus mortis generalis in primo triennio, assistens maior, qui tunc erat, dixit et praetendere coepit eidem competere religionis regimen usquequo dictus prior Granatensis accederet in monasterium et hospitium, ubi prius residebat dictus pater generalis et definitorium; et cum fuerit ei contradictum, ex eo quod dictae constitutiones non ei dant similem facultatem, orta fuit discordia civilis et criminalis, et religio fuit notabilibus perturbationibus involuta: ad praedicta reparandi imposterum declaratur, quod in dicto casu mortis, vel defectus dicti patris generalis in primo triennio, donec dictus prior Granatensis veniet in monasterium ubi adest definitorium, vel ad se vocat definitores ubi adest ille, ut exerceant eorum officia, non intelligatur officium vacans, nec regimen religionis dicto assistenti maiori, nec cuivis alteri definitorio, si quidem statim, secutà morte generalis, ingressus fuit fruendo dictus prior Granatensis uti successor regaliae sui generalatus, et eodem instanti non possunt dari duae personae, quae gubernent, nec dictum definitorium est, dum adest absque capite.

De eodem casu.

xvi. Quia dubitatum fuit quod in casu successionis dicti prioris Granatensis in dicto officio generalatus in primo triennio ob supradictam causam in dictà constitutione xxxvii., si dum exercet officium migraverit ex vità, renunciaverit, vel privatus fuerit, qua de causà denuo vacaverit dictum officium intra idem triennium, quis ei successurus fuerit: declaratur attinere ad illum, qui, tunc temporis, fuerit prior dicti monasterii Granatensis, et toties quoties dictum officium generalatus vacaverit dictis de causis in dicto primo triennio, attinet et pertinet ad priorem Granatensem absque ullà contradictione ullo unquam tempore, quoniam sic dispositum in capitulo xxxvii. dictarum constitutionum.

De iis, qui fuerunt vicarii generales.

xvii. Quod patres, qui fuerunt vicarii generales religionis, non teneantur concurrere in domibus, ubi habuerunt eorum residentiam, post finem sui officii, nec adesse ulli actui communitatis generalis vel particularis, nec superiores, qui fuerint domorum ubi habent eorum assistentiam, possint eos ad id compellere, si quid ratione officii ab eis exerciti observari debet, eisdem haec praerogativa, cum sit rationabile eos illam habere in praemium eorum laborum, sed tamen aliis observent et obediant ordinationibus et praeceptis dicti superioris ubi resident.

De iis, qui fuerunt definitores.

xviii. Quod patres, qui fuerunt, sunt et in posterum erunt definitores religionis, post lapsum suorum officiorum, in monasteriis et hospitiis ubi resident et habuerint eorum conventualitatem, habeant sedem in actis generalibus et particularibus dexteram immediate superiori dictorum hospitalium, et in occurrentià duorum vel plurium definitorum, sedere debeant secundum gradum quem habuerint in dicto definitorio, praecedente semper assistente maiori secundo assistenti, et hic procuratori generali, et procurator generalis secretario generali, et omnibus istis praecedentibus illis qui fuerunt patres provinciae et consiliarii in dictà communitate ».

Preces procuratoris generalis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, acta et decreta huiusmodi ad bonam Ordinis praedicti directionem rectamque illius gubernationem utilia atque necessaria sunt; firmiora vero et stabiliora esse soleant, quae apostolicae confirmationis praesidio roborantur: nobis propterea praefatus Ioannes Emmanuel procurator generalis totius Ordinis supradicti nomine humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicà dignaremur.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 3. Nos igitur, ipsum Ioannem Emmanuelem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ne-

gociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnia et singula acta et decreta, in supradicto capitulo intermedio, ut praefertur, facta, praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras ac acta et decreta praeinserta semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium, praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. augusti MDCLXXXVI., pontificatus nostri anno X.

XXIX.

Approbat collegia missionum iam erecta pro missionariis Sancti Francisci de Observantiâ in Hispaniâ et Indiis Occidentalibus, nova erigendi tradit facultatem, ac ministri generalis statuta pro illorum regimine confirmat (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositone praesidentes, ea, quae a superioribus regularibus pro christianae religionis catholicaeque fidei propagatione, rectâque christifidelium instructione ac morum reformatione et animarum salute ubique locorum congruis rationibus procurandâ, pie prudenterque statuta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper et illibata persistant, et optati exinde bonorum operum fructus ad Dei gloriam et christiani populi aedificationem, benedicente Domino, consequantur, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus, et alias pastoralis officii nostri partes opportune desuper interponimus, prout, rerum, personarum, locorum et temporum qualitatibus mature perpensis, salubriter in Domino expedire arbitramur.

Facultas erigendi seminaria.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura pro ultramontanâ familiâ fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in Romanâ Curiâ commissarius generalis, quod, cum dilectus pariter filius Antonius de Linaz dicti Ordinis professor, ac in Indiis Occidentalibus missionum praefectus, ad fidei propagationem et morum in terris fidelium reformationem, unius conventus vel duorum ex iam fundatis in unâquaque ex provinciis Ordinis praedicti in ditionibus carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, tam apud Hispaniam quam apud Philippinaas, Mexicanas, Peruanas et ceteras Occidentales Indias existentibus, erectionem in seminaria seu collegia pro missionariis fratribus educandis ac instruendis a suis superioribus petiisset, dilectus etiam filius

(1) Ex append. vet. Bull. de P. F. vol. I., p. 325, adduntur statuta non allata in prima editione desumpta ex Bull. ed. taurin., tom. XIX., p. 712, et ex Collectione Statutorum, gratiarum etc. pro missionibus earumque collegiis de Propag. Fide F. Min. S. Franc., collata cum exemplari authentico in Archiv. Brevium.

Petrus Marinus Sormanus, minister generalis eiusdem Ordinis, erectiones seminariorum seu collegiorum huiusmodi, consensum provinciarum auctoritate sui officii supplendo, fieri sub formâ in suis litteris contentâ decrevit, ac, sub poenis per easdem litteras praescriptis, praedictarum erectionum protractionem et impedimentum illarum partium superioribus interdixit; insuper seminaria, in Hispaniae provinciis iam erecta et in posterum erigenda, non solum ad optimam fidelium instructionem et pravorum morum reformationem ordinavit, sed etiam ea ad id destinata esse voluit, ut transitus in Indiarum missiones omnibus provinciarum Hispaniae religiosis, qui prius per duos annos, vel aliud temporis spatium ab Indiarum commissario generali Matriti residente assignandum, in aliquo ex praedictis seminariis suae religiositatis, idoneitatis ac vocationis indicia et testimonium non dederint, servatis servandis, prohibeatur, ac simul provinciarum in Indiis existentium reformationi, si illâ carent, consulatur, fideliumque tam in illis quam in Hispaniae partibus degentium aedificationi, infidelium conversioni, ac omnium animarum saluti, et sanctae Romanae et universalis Ecclesiae dilatationi ubiqui indefesse inserviatur; ob idque, pro praefatorum seminariorum omnium gubernio, nonnulla maturâ deliberatione et de aliquorum gravissimorum fratrum consilio condidit et disposuit, ac aliàs, prout plenius continetur in eius litteris patentibus desuper emanatis tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae ministri generalis.

« Frater Petrus Marinus Sormanus a Mediolano, lector iubilatus, sanctae Inquisitionis qualificator, exguardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis fratrum Minorum minister generalis et servus, etc., dilectissimo nobis in Christo patri fratri Antonio Linaz, eiusdem Ordinis lectori iubilato, sanctae Inquisitionis qualificatori, provinciae nostrae S. Petri et Pauli de Mechoacam patri, provinciae vero Maioricensis alumno, ac missionum nostri Ordinis in Indiis Occidentalibus auctoritate apostolicâ praefecto, salutem in Domino sempiternam.

« Inter cetera divinae maiestati beneplacita opera et cordis nostri desiderabilia, illud profecto potissimum existit ut fides catholica et christiana religio, morumque fidelium reformatio, nostri Ordinis religiosorum studio, labore ac sedulâ sollicitudine, exaltetur, atque ubilibet amplietur, ac cum animarum fidelium profectu, infidelium ad fidem sanctam reductione, barbaricarumque nationum depressione in toto terrarum orbe dilatetur. Unde cum nobis notum sit, te, cum aliis vigintiquatuor religiosis morum integritate, litterarum scientiâ et salutis animarum zelo pollentibus, quorum praelatus ac superior a ministro generali praedecessore nostro et Indiarum commissario generali fueras electus ac a capitulo generali proxime praeterito confirmatus, in Indias Occidentales Novae Hispaniae, nullis parcendo periculis, pro procurandâ fidelium reformatione, et infidelium catholicae fidei et obedientiae Romano Pontifici debitae salutari agnitione, Deo assistente, et rege catholico expensas ad id praestante, olim ivisse, ac in illis partibus, gratiâ ex alto concessâ cooperante, vineam Domini ferventi conatu ac indefesso zelo excoluisse, conventumque S. Crucis de Quertero praefatae provinciae de Mechoacam in seminarium pro dictis viginti quatuor religiosis missionariis sub aliquibus statutis in praedicto generali capitulo revisis, et a SS. D. N. Innocentio XI. per suas litteras *Sacrosancti* incipientes, die VIII. maii MCDLXXXII. expeditas, specialiter approbatis ac confirmatis, aliisque accedentibus facultatibus requisitis obtentisque a sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide, laudabiliter erexisse, illiusque guardianum iuxta formam in praedictis statutis praescriptam electum fuisse, atque missionum praefatarum exercitio unâ cum sociis praedictis in praelibatis partibus indefesse vacasse, necessitatemque operariorum ad munus adeo proficuum in maiori numero non sine magno dolore expertum fuisse, ob idque, de consilio gravissimorum nostri Ordinis patrum superiorum assensu, Ordinariorum instantiâ, fidelium ac infidelium motum necessitate, socios praedictos in praelibato missionum exercitio reliquisse, in Hispaniamque divinâ opitulante gratiâ prospere revertisse, ibique illarum partium necessitatem et missionariorum penuriam catholicae maiestatis ac Indiarum et ultramontanae familiae commissario generali veraciter exposuisse, atque ab ipso commissario generali quamplurimas gratias et facultates, pro conductione aliorum religiosorum, erectione et gubernio novorum ad praedictum missionum munus seminariorum, ac ad istam Romanam Curiam accessu et memoratarum facultatum apostolica confirmatione, legitime

obtinuisse, atque nostram dictarum constitutionum et facultatum a praefato commissario generali obtentarum et erectionum approbationem affectu pleno desiderare: illam, et alias insuper gratias ac directiones, quibus huiusmodi sanctum et laudabile ab immortali Deo coeptum propositum in dies ferventiori animo ac mediis opportunioribus, ad ipsius Dei honorem, fidei catholicae propagationem, populi christiani instructionem, nostraeque Observantiae augmentum, et omnium animarum salutem, prosequi valeas, tibi, sociis tuis, aliis missionariis, tam praesentibus quam futuris, sub formâ sequenti duximus concedere, ac benigno favore elargiri.

De religiosâ vitâ, praesertim de paupertate.

1. Ut praedicta seminaria, quantum Domino auxiliante possibile fuerit, ad Ordinis primaevam observantiam tendant, in eis regula, iuxta declarationes a SS. D. N. Innocentio XI. in suo motuproprio *Sollicitudo pastoralis* contentas et innovatas, strictissime observetur, sanctamque paupertatem, quam sanctus pater noster Franciscus dominam appellabat, studeant missionarii prae mundi deliciis in cunctis revereri; suis enim operariis vineae Dominus providebit, si, labori adeo proficuo vacantes, suum in ipso solo Domino cogitatum iactaverint. At, quia fratrum Mendicantium numerus valde crevit, et fidelium pietas minus fervens, ob nostra forsan demerita, quam in principio religionis his diebus saepe saepius experitur, usus illarum constitutionum apostolicarum, quae nostrae paupertatis observantiam illaesam relinquunt et aliquam regulae dispensationem non (1) continent, omnibus seminariis illorumque fratribus licitus erit; qui enim regulam servaverint, sicut Summis Pontificibus eam dedit Dominus intelligere et explicare, evangelicae vitae vacabunt, et locum inter verissimos Sancti Francisci filios aeternitate et gloriâ felicem possidebunt. Usus tamen praedictus eisdem seminariis ac fratribus interdicitur, nisi statutis, in dicto motuproprio pro observantiâ relatis et executioni mandari praeceptis, quibus praedicta seminaria in rebus hîc non expressis uti teneantur, in omnibus sit conformis. Praelati autem et discreti, seu religiosi, qui contrafecerint, poenis in statutis taxatis indispensabiliter subiaceant; omnesque fratres, tam subditi quam superiores, dum in actuali exercitio missionum intra vel extra seminaria permanserint, se ab eleemosynarum petitione et a sponte oblatarum receptione abstinere debeant. Poterunt tamen pro quotidiano victu necessario ostiatim quaerere vel oblata recipere, quin uti cibis et potibus delicatis non praesumant, vel domos, in quibus praedicta eis apponuntur, adire non seligant; imo eos recordari volumus, quod sanctus pater noster Franciscus, dum ad manducandum cum magnatibus et divitibus invitabatur, panis fragmenta ostiatim quaesita secum portabat, et ibi apposita delicatiora ut pauper vere humilis sumere nolebat. Statuta Ordinis et Recollectorum (in quibus modus providendi necessitatibus fratrum tam in aegrâ quam in sanâ valetudine praescribitur, quin ad id particulari peculio vel specialibus eleemosynis aliquis religiosus indigeat) in omnibus seminariis ad unguem, et sub poenis transgressoribus in illis impositis, observentur. Et, ne benefactorum devotio alicuius particularis commodis applicetur, et communitas aliqualiter fraudetur, nullo modo alicui fratri permittatur apud syndicum apostolicum, aut alium amicum spiritualem, aliquam pecuniarum eleemosynam, cuiuscumque dominii sit, pro suis particularibus necessitatibus habere, nec alicui similiter liceat munuscula quantumvis levia dare vel recipere, omniaque praelato et eius dispositioni subsint, ac sine eius licentiâ nihil detur vel recipiatur in praefatis seminariis. Praedicti conventus in seminaria erecti, et seminaria fundanda, quoad regimen, nullius provinciae sint, et superiori generali illarum partium, in quibus fuerint, immediate subsint. At, quantum ad suffragia pro defunctis fratribus, commercium fraternale habeant cum illis provinciis a quibus fuerunt separati, vel intra quarum limites perseverent; itaut conventûs praedicti fratres officia et missas iuxta statuta generalia pro quolibet fratre eiusdem provinciae filio decedente celebrent, et vicissim a singulis conventibus et fratribus provinciae eadem celebrentur pro quolibet fratre praedicti seminarii ubilibet moriente: ad cuius effectum provincialis omnium suae provinciae defunctorum notitiam ad guardianum transmittat, et guardianus defunctorum sui seminarii ad provincialem. Ceterum (ne inter missionarios et provinciarum praefatarum fratres ac superiores aliqua unquam oriatur contentio vel oppositio, et ut, quos

(1) Particula *non* videtur delenda edit. taurin.; verum adest in exemplari authentico in Reg. Arch. Brev.

eadem mater spiritualiter genuit et educavit, disparitas muneris non separet, et fraternalis amicitia, curialitas ac mutua hospitalitas strictius coniungat) praedictorum seminariorum superioribus stricte praecipimus, ut, quando provincialis illius provinciae, in qua seminarium fuerit, hospes ad illud accedat, eum ac illius familiam charitative recipiant, et per spatium trium dierum omni curâ et reverentiâ illi inservire teneantur. Praedictus autem provincialis minister eumdem locum et praecedentiam in communitatibus seminariorum habebit quem habet in aliis suae provinciae conventibus; poterit tamen aliquam collationem spiritualem missionariis in refectorio praedicare, ibique praesidere, et in aliquibus poenitentiis seminarii fratribus impositis dispensare; nullam tamen aliam iurisdictionem ibi aut respectu praedictorum fratrum aliquando exercere audebit, nisi ad id delegationem aliquam a superiore generali recipiat; qui eam absolutam et generalem nunquam praestare poterit, solumque in aliquibus casibus et pro aliquibus singularibus indigentiis suam facultatem pro unâ vel aliâ vice praedicto provinciali, ac convenientius, ac cum minore litium periculo, alteri gravi religioso communicare valebit. Praefatorum autem seminariorum guardiani illam praecedentiam in dictarum provinciarum conventibus habebunt, quae guardiano principalioris conventus cuiuslibet provinciae, statutorum et consuetudinis vigore, concedi solet, et tam guardiani quam alii praefatorum seminariorum fratres apud Observantiae religiosos, si fuerint, sin autem apud Recollectos, et iis deficientibus, apud Discalceatos hospitium eligant, ipsique eos recipere et charitative tractare, sub poenis unionis Ordinis perturbatoribus impositis, indispensabiliter teneantur.

De religiosis recipiendis et dimittendis.

II. Quod in praefatis seminariis, tam erectis quam erigendis, triginta tres religiosi de familiâ et non amplius admitti possint; horum autem quatuor sint laici, reliqui vero ad exercitium missionum sint idonei; itaut nullus in praefatis seminariis recipi valeat, qui, verbum Dei praedicando vel confessiones audiendo, aut doctrinam christianam et nostrae fidei rudimenta docendo, finem erectionis praefatorum seminariorum promovere non possit. Si autem pro victu et vestitu eleemosynae non defuerint, et plures religiosi pro locorum et temporum diversis ac novis circumstantiis necessarii censeantur, superior generalis respective de consensu et assensu discretorii cuiuslibet seminarii numerum praedictum tam laicorum quam ceterorum fratrum augere poterit. Et quia praedictorum fratrum laudabile ministerium omnium virtutum cumulo, orationis ac perfectionis omnimodae progressu, et strictissimae nostrae regulae observantiae soliditate nitescere non desistet, immo, Deo dante, eorum fratrum exercitiis (quorum scopus erit animas Deo lucrifacere, industriâ et sollicitudine adulterinas plantationes divellere, virtutes in messe Domini serere, vitia radicitus extirpare, humanum genus ad cognitionis et Salvatoris semitas reducere, ac apostolorum, qui iam in orbe non existunt, munus gerere) laudabilius et perfectius in dies ostendetur, statutis, a SS. D. N. Innocentio XI. in suo Brevi *Ecclesiae catholicae* incipiente confirmatis, inhaerendo: omnibus et singulis praelatis et religiosis sub obedientiâ nostrâ degentibus, etiamsi alicuius provinciae Reformatae vel Discalceatae sint, per sanctam obedientiam, in virtute Spiritus Sancti, et sub poenis excommunicationis maioris, privationis officiorum et dignitatum, ac inhabilitatis perpetuae ad obtinenda, ipso facto incurrendis, praecipimus et mandamus, ut nullo modo, directe vel indirecte, per se vel interpositam personam, religiosos sibi subditos aut consubditos, volentes ad praedictum sanctum opus transire, impediant, perturbent aut evertant, sed eis potius divinam inspirationem ac vocationem sequi charitative suadeant. Praedictorum autem seminariorum guardiani, de consilio et assensu discretorum, et commissarius missionum, sub formâ superius praescriptâ, suas litteras praelato locali religiosi recepti directas expedient; praefatus vero praelatus ipsum cum libris proprii usus statim remittet; et postea praedictas litteras ad ministrum provincialem transmittet, ut, super subdito ad perfectius munus et exercitium translato, gaudium sit in totâ provinciâ. Primo anno sui in seminarium ingressus, si aliàs in alio seminario per idem tempus non permansisset, ad missionem non deputetur, nec votum in electione praelati habeat, sed quasi sub probatione maneat, ut de eius sufficientiâ melius constare valeat; et, si intra annum vel postea de illius insufficientiâ constiterit, aut per aliquod vitium seu crimen, vel per aliquod scandalum, in exercitium missionum datum, seu per excu-

sationem, qua, sine legitimâ causâ a discretis approbandâ, se a missionibus, iuxta praescriptum guardiani vel commissarii missionum faciendis, excusaverit, aut per defectum in observatione praesentium statutorum et pacis seminarii ac decoris exercitii conservatione commissum, seu per aliquam vocationis mutabilitatem, qua, tribus distinctis vicibus, in tribus distinctis mensibus, aspiciat retro, et aratrum velle dimittere non erubescat, ac exitum a seminario amplecti non abhorreat, consortio operariorum vineae Domini indignus efficiatur; de consensu maioris partis discretorii ad propriam provinciam remittetur, ibique a superioribus sub eisdem poenis, sub quibus licentiari debuit, iterum recipiatur, et poenis in statutis contra incorporatos in alienâ provinciâ et iterum redeuntes ad propriam contentis subiaceat. Et, si religiosus Hispanus fuerit, et a seminario in Indiarum partibus existente expellatur, ei a superiore generali illarum partium aliqua provincia assignetur, in qua dictas poenas subeat, et usque ad tempus, in quo, iuxta statuta generalia, Hispaniam venire possit, conservetur; si autem habitum in seminario receperit, ibi omnibus prudentiae conformibus mediis corrigatur, et, si per quatuor annos incorrigibilis perseveraverit, superior generalis, admonitus a maiori parte discretorii, illum in aliquâ ex suis provinciis constituat, ut a pestiferâ contagione evangelici ministri, qui sal terrae et lux mundi ac civitates supra montem positae esse debent, provide liberentur. Guardianus cum approbatione discretorum per suffragia secreta poterit novitios intra praedictum numerum recipere; recipiendi autem, ultra qualitates in statutis ultramontanae familiae et Indiarum respective praescriptas, tali scientiâ sint praediti, ut, transacto statu clericali, seu choristatus, alicui exercitio ex illis, ad quae, ut praefertur, seminaria eriguntur, tuto et cum animarum profectu vacare valeat, eique qualitas et perfectio vitae, quam profiteri desiderat, a magistro novitiorum, ante habitus susceptionem, extense explicetur; qui autem vigesimum aetatis annum non adimpleverit, in praedictis seminariis novitius non admittatur, nisi aliud, pro hoc vel illo recipiendo, sub his vel illis circumstantiis, alicui ex seminariis tam erectis quam erigendis utile ac expediens a superiore generali respective de assensu maioris partis discretorii aliquando iudicetur. Ulterius poterit guardianus fratres laicos, de assensu discretorum, ex quacumque provinciâ, sub formâ et receptione aliorum seminariorum servandâ recipere; et tam subditi quam superiores praedictarum provinciarum sub eisdem poenis teneantur eorum in seminaria transitum non impedire: at laici recipiendi debent esse devoti, probatae vitae et omnino apti pro officiis a laicis in seminario exercendis. Accedente consensu maioris partis discretorum, tam seminarii a quo, quam seminarii ad quod, superior generalis illarum partium, in quibus seminaria fuerint, quoslibet religiosos de uno in aliud seminarium mutare valeat; et quando transitus fiat de seminario in Hispaniae partibus ad seminarium in Indiis existens, consensus commissarii generalis Indiarum in Curiâ Matritensi residentis et commissarii missionum qui pro tempore religiosos in Indias conducere curaverit, absque aliquo alio, sufficiet, et nec seminaria Hispaniae et Indiarum, nec eorum guardiani et discreti determinationi, a praedictis missionum et Indiarum commissariis circa praefatos fratres sponte in Indias transire eligentes mature factae, se opponere sub aliquo praetextu audeant, sed eam statim executioni mandare omnino procurent. Missionarii, qui, decennio in exercitio missionum laudabiliter completo, ad propriam provinciam redire voluerint, facultatem ad id a seminarii guardiano et testimonium ab eodem et discretis petant; ipsi autem nec facultatem nec testimonium negare poterunt; et provincialis praedictae provinciae revertentem recipere sub memoratis poenis semper teneatur, eisdemque privilegiis, antelationibus et gratiis praefatus missionarius ex tunc in propriâ provinciâ uti ac gaudere poterit, quibus frueretur si triennium guardianatus tempore sui ingressus laudabiliter in dictâ provinciâ finiret.

Qui autem ante decennium completum, vel sine testimonio, in quo discretorium de zelo et plausibili praedicti missionarii in missionibus progressu testetur, ad propriam provinciam venerit, poenis expulsis supra impositis indispensabiliter subiaceat; nisi aliqua infirmitas incurabilis (propter quam a seminariis quilibet ante dictum decennium, et non postea, etiamsi senectute laboret, expelli poterit) praedictae expulsionis causa vel occasio fuerit; quia in hoc casu nullus aliquâ poenâ dignus censeri debet. Si aliquando contigerit aliquem ex missionariis in visitatorem vel reformato-

rem aut ministrum provincialem alicuius provinciae eligi, eiusmodi electionem ratam haberi et executioni mandari volumus et decernimus; electus tamen, postquam praedictum munus adimpleverit, ad proprium seminarium revertatur, immo aliquid secum non ferat, quod apostolicae nuditati contrariari valeat; et, si a dicta provinciâ, vel ab aliquo conventu, aut ab aliquibus utriusque sexus subditis vel superioribus aliqua munuscula, quae coniunctim sumpta quantitatem unius scuti aurei pertingant, ante vel post finem sui officii recipere ausus fuerit (etiamsi sit sub praetextu devotae recordationis, vel pro libris, imaginibus, reliquiis, seu rebus sacris devotionem fidelium et sufficientiam ac efficaciam missionariorum solidare valentibus), ipso facto actibus legitimis remaneat per septennium privatus; eidemque poenae indispensabiliter subiaceat, si, peracto officio, absque legitimâ causâ a Sede Apostolicâ approbandâ, domicilium in praedictâ provinciâ elegerit, aut si intra quatuor menses seminarium praefatum versus ab illâ non egrediatur.

Ultra numerum religiosorum superius praescriptum, unus poterit in quolibet seminario admitti, qui progressum, ac fructus et casus, seu eventus missionum extraordinarios, missionariorumque gesta et exemplarem vitam, privilegiorum statum, dubiorum in missionibus occurrentium decisionem, doctrinarum securius amplectendarum et praedicandarum compendia, libros et summaria scribere, et, servatis servandis, de licentiâ tamen Ordinarii, typis mandare studeat ac valeat, ipseque scriptor seminarii appelletur, et exemptionibus ac indultis, a discretorio seminarii taxandis, pacifice fruetur.

De guardianis, magistro novitiorum, discretis, vicariis, etc.

III. Quod electio guardiani cuiuslibet seminarii fiat a superiore generali illarum partium, in quibus seminarium fuerit, sive ab eius speciali commissario delegato, ex tribus eiusdem seminarii patribus per secreta suffragia omnium sacerdotum professorum communitatis canonice eligendis et praedicto commissario praesentandis. Guardianus autem per triennium tantum in officio durare poterit, et liberum erit superiori generali praefato in dimidio triennii ipsum ab officio absolvere, si ipsi constiterit officio non satisfacere, habitâ informatione pro conscientiâ, sine strepitu iudiciali, sicut fit in toto Ordine in congregationibus intermediis.

Unus praeses, seu vicarius, qui simul novitiorum magister sit, per vota novi guardiani et discretorum eligetur, ipseque, absente guardiano, in communitatibus praesideat. In quolibet seminario sint quatuor discreti pro gravioribus eius negociis tractandis, qui ante novi guardiani electionem ab eodem communitatis corpore eligentur, a quo nominari debent praesentandi in guardianum; statimque a superiore generali supradicto confirmentur, habeantque in communitate locum et praecedentiam, quam lectores primarii theologiae habent in propriis provinciis; et, in absentiâ cuiuslibet, antiquior et dignior pater seminarii, pro tempore absentiae, substitutus declaratur.

Discretorium cuiuslibet seminarii ex dictis quatuor discretis, ac ex patribus, qui in dicto seminario guardianatum per triennium completum laudabiliter exercuerunt, ex commissariis habitualibus et actuali missionum, et guardiano actuali componetur; iique suffragium habeant in omnibus negotiis, quae discretis seu discretorio seminarii per haec et alia Ordinis statuta committuntur; quando suffragia pro unâ et alterâ parte fuerint aequalia et publica, guardianus decidat; quando fuerint secreta, admittatur praeses pro simili tantum casu, ut sic, quod magis expediens sit, charitative et sine strepitu et recursibus resolvatur.

Ad missionum commissarios in Indiarum partibus existentes spectabit religiosum de consilio discretorum trium suarum partium seminariorum destinare, qui ad provincias Hispaniae, quando necessitas urgeat, accedat, et illos religiosos, servatis servandis, in illarum seminariis, si se sponte offerant, seligat, qui pro conversionibus et seminariorum conservatione ab eisdem discretoriis et praefato missionum commissario necessarii censeantur. At nec commissarii missionum, nec religiosi ab ipsis missi, aliquam superioritatem habeant respectu illorum qui in aliquo seminario de familiâ constituti fuerint, nisi in casibus de quibus supra manet dispositum, et cum limitationibus ibi taxatis ac superioritate guardianis seminariorum hìc concessâ prae omnibus illaesâ remanente.

Quandocumque guardiani obitus ante triennii finem contigerit, praeses, seu vicarius, usque ad novi generalis electionem, seminarium gubernabit; tenebitur tamen, sub poenâ privationis sui officii ipso facto incurrendâ, die tertiâ a morte guardiani

patres absentes convocare, et post adventum illorum, qui intra tempus viginti dierum venire poterunt, communitatem, pro praesentatione superiori generali ut praefertur faciendâ, congregare, et praesentatos statim ad superiorem generalem praedictum transmittere, ipseque unum nominabit, qui similiter per triennium duret, eâdemque duratione gaudebit, qui praecedente alterius renunciatione vel privatione electus fuerit. Praesidis autem et discretorum officium ad id tempus sine novâ electione in praefatis tribus mortis, privationis et renunciationis casibus extenditur. In absentiâ guardiani et praesidis antiquior discretus in communitatibus et seminario praesideat; antiquitas autem inter fratres seminarii, tam praesentes quam futuros, secundum gradus et praeeminentias, iuxta Ordinis statuta generalia hîc praescripta, excepta computetur; qui autem nullam in propriis provinciis aut in seminario obtinuere, habitus antiquitatem servent; qui autem guardianatum per triennium laudabiliter exercuerint, discretos illius seminarii, non vero commissarium missionum, semper praecedant.

De choro, lectionibus, studio, egressu ex coenobio, concionibus, eleemosynis, aliisque pertinentibus ad regularem disciplinam.

Omnes indispensabiliter per horam cum dimidiâ vacent orationi mentali, dimidiâ scilicet horâ post Primam (non vero amplius ob frequentes audiendas confessiones et similia exercitia matutina), horâ autem integrâ post Completorium, vel aliâ fortassis opportuniori, pro temporum et exercitiorum varietate. Horae canonicae tempore et pausâ competenti devote solvantur, sine cantu autem, ut plus temporis impendatur studio. Dominicis vero diebus, festis et classivis, cantus adhiberi poterit, ut fit apud Observantes; cuiusmodi divino officio, orationi mentali et missae conventuali omnes assistant, nullo prorsus excepto; cunctique sacerdotes gradatim ab ipso guardiano inclusive hebdomadarium agant. Singulis diebus habeant per duas horas lectiones et conferentias; per unam post conventualem missam de materiâ ad exercitium missionum conducente, seu de intelligentiâ idiomatum, seu de theologiâ mysticâ; per alteram post vesperas de theologiâ morali et casibus conscientiae. A lectionibus autem ipsis nullus possit excusari, neque a reddendâ ratione de materiâ lectionis, si a guardiano vel alio ab ipso deputato interrogetur. Cum autem in audiendis confessionibus vel aliis utilioribus exercitiis peragendis missionarii fuerint occupati, vel occupari indigeant, lectio matutina a guardiano de consilio discretorum abbreviari seu dispensari valeat. Missionarii, dum in seminario sunt, spiritualibus exercitiis vel studio impendere debent totum tempus quod corporalibus superfluit indigentiis: si quis vero vanis confabulationibus aut cursitationibus deditus inveniatur, publicâ poenitentiâ in communitate puniatur: nec ulli concedatur licentia e domo exeundi, nisi aliquando recreationis causâ per campos cum socio expatiaturus sit, aut pro inevitabili pertractando negocio ad civitatem vel oppidum egredi debeat: idque raro fiat, ut, quanto in monasticâ solitudine, humani commercii contemptu, vigilantiores fuerint, eo ad reprehendendas fidelium diversiones aptiores reddantur. Communitas e seminario non exeat, nisi raro et gravissimâ de causâ, ut ad exequias religiosi alicuius nostri Ordinis, aut apostolici, non autem ad sociandos alios defunctos vel publicas processiones. Feminarum colloquia quantumvis brevissima ubique vitentur, solumque ipsarum confessiones, nullo alio intermisso colloquio, audire licebit. Nullo modo acceptentur conciones festivae in seminario, solumque fiant, quae occasione missionum necessariae censeantur.

Ad eleemosynas autem petendas omnes sine exceptione mittentur; itaut in omni servitio communitatis, omnes, etiam guardianus, quantum fieri possit, sint pares. Quoad eleemosynas praedicatorum, libros defunctorum et bibliothecarum augmentum et conservationem, in omnibus seminariis, sicut et in omnibus aliis conventibus nostrae obedientiae subiectis, servetur Breve *Exponi nobis* a SS. D. N. Innocentio XI. expeditum.

Nulli saeculari permittatur ingressus ad interiora conventus, sed in claustro inferiori disponatur aliqua camera honesta et devota cum humilibus sedibus, ubi viri saeculares quaerentes aliquem ex patribus pro suâ spirituali consolatione excipiantur et consolentur. Et tam quoad ingressum et moram ac pernoctationem saecularium, quam quoad supellectilium et ornamentorum commodationem, serventur in dictis seminariis, sicuti et in omnibus aliis dictis provinciae ultramontanae conventibus, decreta sacrae Congregationis, auctoritate apostolicâ confirmata, in dictâ familiâ observari praecepta.

Omnes seminarii patres, sine aliquâ inter ipsos notabili differentiâ, induant habitum

exteriorem Observantium, in quo vilitas et humilitas, ac solus cinericeus color ex lanâ albâ et nigrâ, non ex aliâ tincturâ consurgens, semper resplendeat: forma vero erit iuxta reformationem in ultimâ congregatione Toletanâ factam ad litteram observandam, et in disciplinis, ieiuniis extra regulam, capitulis culparum et aliis austeritatibus, ceterisque ad regulae, vitae monasticae et regularis disciplinae observationem conducentibus, constitutionibus generalibus Ordinis se conforment.

Guardianus, vel, in eius absentiâ, praeses, temporibus opportunis, aut quando necessarium iudicaverit, mittat missionarios binos et binos, aut in maiori numero, prout animarum necessitati viderint expedire, consignando eis in partibus fidelium oppida, tractus et terras, in quibus singulis suas missiones facere debent, de licentiâ tamen Ordinarii. Relinquant tamen aliquos in seminario, qui communitatis exercitia expleant, et hi, aliis revertentibus, mittantur. Nullus tamen eorum ultra spatium sex mensium in praemissis fidelium terris extra seminarium pro qualibet vice remaneat, et quilibet, sub poenâ expulsionis a seminario, postquam praedictum tempus insumpserit, a missione cessare debeat, ad seminariumque revertatur, ut vires spirituales et corporales in eo reassumat ac recuperet, et alii ad opus, ab ipso inceptum et forsan non finitum, prosequendum destinari poterunt. Ad partes vero infidelium solus missionum commissarius, si praesens fuerit, operarios necessarios sub formâ superius praescriptâ destinare valeat, eoque absente, guardianus de consensu maioris partis discretorii idoneos ministros ire cupientes eodem modo transmittere valebit. Praedicti superiores generales respective teneantur per se vel per suum commissarium ad hoc specialiter institutum in singulis trienniis praefata seminaria visitare, et in singulis visitationibus inquiratur singillatim de observantiâ praemissarum omnium constitutionum, et defectus, si qui fuerint, corrigantur, et iuxta eorum qualitates possit superior ipse generalis procedere ad expulsionem missionariorum et guardiani privationem: delegatus autem ipsius possit tantum guardianum suspendere, et adhibitis necessariis correctionibus superiorem generalem de maiori remedio apponendo monere.

Et quia speramus, quod, Dei spirante gratiâ, per hos sui verbi ministros plures gentilium populi ad fidem sint convertendi, quorum neophytos in acceptâ fide conservare, eisque sacramenta ministrare necessarium est; ordinatur ut in conversis populis aliqui ex praefatis missionariis ad praedicta observanda necessarii remaneant, monito guardiano seminarii, et ab eo licentiâ obtentâ, qui semper eiusdem guardiani subditi remanebunt, et eius correctioni, ut supra, subiecti. Manentes autem in oppidis conversis non computabuntur in numero assignato missionariorum seminarii, sed eorum loco alii in seminario possint recipi. In curâ autem animarum sic conversarum ad fidem tamdiu solummodo poterunt remanere, quoadusque Episcopo, ad quem terra pertinet vel in posterum pertinebit, placuerit presbyteros saeculares, quibus animarum curam committat, destinare.

Quamdiu vero praedicti missionarii in praedictâ curâ remanserint, nihil ex titulo curatorum vel doctrinarum possint accipere, sed praecise ex emendicatis eleemosynis vel ultro oblatis vivere debent. Poterunt tamen, stabilitâ nostrâ fide et curatis saecularibus inibi manentibus in populis magnis aut capacibus, de licentiâ episcopi et praefati superioris generalis, conventus nostri Ordinis fundare, in quibus iuxta regulam et statuta ex eleemosynis sub regulari disciplinâ fratres vivere possint; et conventus illi guardiano praefati seminarii, ad quem pertineat viva illa conversio et cuius sollicitudine obtenta fuerit, vel seminarii vicinioris eligendi a missionum commissario, si conversio eius curâ ac diligentiâ promota et adepta fuerit in omnibus et per omnia praefatum seminarium (1) erunt subiecti, quoadusque ex illis custodia possit formari, vel aliter in capitulo generali de illis provideri, aut ex illis aliqui, ut licitum erit, in missionariorum seminaria sub his statutis erecti fuerint.

Quoniam vero curâ et sollicitudine missionariorum pertinentium ad praedicta seminaria spiritualibus necessitatibus regnorum Hispaniae, licet non Indiarum, sufficienter provideri poterit, ne sanctum missionum opus ex dissimili missionariorum

(1) Edit. taurin. verba *praefatum seminarium* praeter rem esse videntur, verum in exemplari authentico inveniuntur.

modo procedendi deturpetur, nullus nostri Ordinis fratrum, qui extra predicta seminaria vivat, missionarii munus, quarumcumque litterarum a nobis vel praedecessoribus nostris ac ab aliquo inferiore vel in nostro officio successore concessarum vel concedendarum vigore, sub aliquo quantumvis specioso colore aut praetextu, in Hispaniae partibus, a tempore quo tria seminaria in illis erecta fuerint, exercere valeat. In provinciis autem tam Hispaniae quam Indiarum, quae non habuerint conventum idoneum et pro praefatâ erectione inconvenientibus insuperabilibus non expositum, fundatio novi seminarii, requisitis servandis servatis, licita erit, arbitrioque commissarii missionum relinquitur, et a nullo nostri Ordinis fratre, sive subdito, sive superiore, cuiuscumque dignitatis sit impediri poterit. Si seminaria praemissa, in praedictis Hispaniae et Indiarum partibus erecta ac erigenda, aliquando relaxentur et a perfectione et laudabili fine, ad quem instituuntur, notabiliter defecerint, vel statuta hîc contenta, et alia quae praesentibus non sunt contraria, et pro aliis seminariis iam erectis a Sede Apostolicâ, ut praefertur, approbata reperiuntur, non observaverint, seu novum gubernium et aliquam ab Observantiâ separationem a Sede Apostolicâ aut a superioribus Ordinis petierint, vel per se aut interpositam personam obtinere curaverint, vel sponte oblatam cum effectu admiserint; seminaria eisdem provinciis, a quibus conventus pro illorum erectione sumpti fuerint, iterum incorporentur, et ministri provincialis regimini, sicut ceteri eiusdem provinciae conventus, indispensabiliter subiiciantur: siquidem sub his tantum conditionibus et ordinationibus (quas vim illius indissolubilis obligationis et contractus, qui inter fratres missionarios et fratres provinciarum, superiores seminariorum et superiores Observantiae esse possit, habere volumus), et non sub aliquâ aliâ consideratione, praesentem seminariorum erectionem permittimus, laudamus et approbamus, ac ab omnibus ad quos spectat, sub poenis praemissis, admitti praecipimus.

De doctrinâ, confirmatione statutorum, horum interprete et gratiis.

IV. Et quia nos non latet quamplurima absurda ex nimiâ opinandi, sub privilegiorum praetextu, ac operandi licentiâ quotidie oriri posse, quae scandala et relaxationes suscitare valent: omnibus nostri Ordinis missionariis, ac aliis sub nostrâ directione seu obedientiâ degentibus personis, in Domino suademus et mandamus, ut doctrinas tutiores ac probabiliores semper doceant et amplectantur. Ut autem, quod temporalibus proficit spatiis, spiritualibus quoque amplificetur dictarum missionum augmentis, et ne perpetuâ firmitate careat, quod solâ nostrâ auctoritate decernitur, praesentium tenore, nostro huius Curiae commissario generali paternam benedictionem et facultatem concedimus ad hoc ut tamquam Ordinis nostri honorabile negocium praesens amplectatur, et earum rerum, quae in his litteris continentur, confirmationem ac perpetuam validitatem a sanctâ Sede Apostolicâ petat, et sollicitare non desistat; qua obtentâ, omnia seminaria, tam erecta quam erigenda iuxta nostras litteras gubernari teneantur. Et si aliquod dubium circa aliquam illarum clausulam aliquando oriatur, superior generalis illarum partium respective, non vero aliquis delegatus, de consilio et assensu tamen maioris partis discretorii alicuius seminarii, tempore visitationis, et non alio, nec aliter, valeat providere, donec Sancta Sedes consulatur, seu sacra Congregatio Propagandae Fidei; nunquam tamen in aliquo absque Sedis Apostolicae auctoritate dispensare poterit. Et tam dictis missionum commissariis, quam omnibus aliis personis, quae ad harum erectionem, stabilimentum et missionum praefatarum promotionem auxilium dederint, seraphici patris nostri Francisci benedictionem impartimur; et, si saeculares fuerint, ultra dictam benedictionem, eos ad participationem omnium indulgentiarum et operum spiritualium, quae ipsis communicare valemus, ex nunc pro tunc admittimus, et pro semper admissas esse et fore declaramus.

Datum Romae, ex nostro conventu S. Mariae de Aracaeli, die VII. aprilis MDCLXXXVI.

Fr. PETRUS MARINUS, minister gener.

Loco † sigilli.

De mandato suae reverendissimae paternitatis, Fr. IOSEPH A LEONE, secret. generalis Ordinis.

Praesens transumptum concordat cum suo originali de verbo ad verbum.

In quorum fidem etc.

Datum Romae, hac die XXIII. aprilis MDCLXXXVI.

Fr. MICHAEL TONERUS, secr. gen. Curiae.

Loco † sigilli. »

Confirmatio seminariorum erectorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta statuta absque Sedis Apostolicae approbatione et defectuum supplemento, ac contrariorum, quibus (1) eiusdem Sedis accessu auctoritas, legitimâ derogatione, subsistere non valeant: nobis propterea, tam Franciscus commissarius generalis Curiae quam Antonius missionum praefectus praefati humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum Franciscum et Antonium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praepositae super hoc negocio specialiter deputatorum consilio, collegia seu seminaria pro educandis fratribus dicti Ordinis ad missiones iam erecta, tam in conventu S. Crucis de Queretro provinciae de Mechoacam, quam in aliis Hispaniae provinciis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: ac facultatem erigendi alia collegia seu seminaria huiusmodi, unum scilicet vel duo in qualibet ex provinciis Ordinis praedicti quae in ditionibus dicti Caroli regis, tam quae apud Hispaniam quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, ac ceteras Occidentales Indias ipso Carolo regi subiectas consistunt, eidem Ordini de Ecclesiâ Dei et sanctâ Sede Apostolicâ benemerito, auctoritate et tenore praedictis, benigne concedimus: confirmando supplementum consensuum per dictum Petrum Marinum ministrum generalem, ut exponitur, factum, et interdicendo superioribus generalibus illarum partium, sub poenis in praeinsertis litteris contentis, et aliis arbitrio dictae Congregationis Cardinalium reservatis, ne, ultra quatuor menses a requisitione per religiosos ad id facultatem habentes factâ seu faciendâ computandos, dictas erectiones protrahere seu suspendere possint: salvâ semper in omnibus supra relatis auctoritate eiusdem Congregationis Cardinalium ad formam Constitutionis felicis recordationis Gregorii Papae XV. praedecessoris nostri. Praeterea statuta praeinserta pro dictis collegiis seu seminariis, tam erectis quam erigendis, ac eorum fratribus et superioribus, a praefato Petro Marino ministro generali ut praefertur condita, dictâ auctoritate, harum serie, confirmamus pariter et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper memoratae Congregationis Cardinalium auctoritate ea augendi seu moderandi, quatenus opus fuerit, et magis in Domino expedire videbitur; ac quoscumque iuris et facti defectus quoad collegia praefata iam erecta supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas patentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praefatorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum

(1) Comma istud intelligat lector.

tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI. octobris MDCLXXXVI., pontificatus nostri anno XI.

XXX.

Confirmat, iuxta modum, decretum Min. Gen. Ordinis Min. S. F. de translatione in Aegyptum duorum millium aureorum ex pecuniis collectis pro Terrasancta, ad erigendam novam missionem Cophtorum (1).

Dilecto filio Francisco Mariae de Salem Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae nuncupatorum professori (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Causae huius constitutionis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod dilectus filius Petrus Marinus Sormanus minister generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum tibi, qui, ut asseris, frater expresse professus provinciae Vallis Mazariae Strictioris Observantiae dicti Ordinis, ac in regno Aegypti missionarius apostolicus existis, mandavit, translationem duorum millium aureorum ex pecuniis pro Terrâ Sanctâ in Hispaniâ collectis ad Cayrum Aegypti ad hoc, ut in subsidium missionis Aegyptiae ac propagationem catholicae fidei erogentur sub diversis conditionibus sive capitulis et ordinationibus, et alias prout plenius et diffusius continetur in literis patentibus ipsius Petri Marini ministri Generalis desuper emanatis tenoris qui sequitur, videlicet:

Instantia Ministri Generalis et eius dispositiones pro nova missione. « Frater Petrus Marinus Sormanus a Mediolano lector iubilatus, S. Inquisitionis qualificator, ex-guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis fratrum minorum minister generalis et servus, dilecto nobis in Christo patri fr. Francisco Mariae de Salem Strictioris Observantiae concionatori provinciae nostrae Vallis Mazariae alumno, ac in regno Aegypti missionario apostolico salutem in Domino sempiternam etc.

Cum praecipue ab a. praeterito MDCLXXXV. spes affulserit Aegyptiae, seu Cophtae nationis reconciliandae per Ordinis nostri missionarios et praecipuos praesules gentis illius, qui iam cum Ecclesiâ Romanâ unionem, ipsique obedientiam profiteri incipiunt, ideoque in huius operis, ut par est, prosequendi fomentum et directionem captandam ad hanc Romanam Curiam accesseris, et ab ipsâ ad Matritensem Catholicam a nobis destinatus, regias maiestates in id propitias expertus desideratae protectionis acceperis testimonia, ac de expresso beneplacito nostro, ex eleemosynis pro Terrâ Sanctâ (cuius custodiae pars est missio praedicta) inibi collectis summa duorum millium aureorum applicata fuerit, hucque remissa, et syndico generali Terrae Sanctae consignata ut in subsidium nationis, missionis et propagationis praedictae ad Cayrum Aegypti tuâ operâ transferantur, et ista transmissio ac reliquorum omnium directio, quae ad operis perfectionem conducerê possint, a nobis ordinatur et concedatur:

I. Hinc primo, tenore praesentium, cum sanctae obedientiae merito tibi iniungimus huius eleemosynae transmissionem, consignandae quidem personae competenti, te et patre commissario generali Terrae Sanctae intervenientibus, ita ut, extractis ac separatim tradendis ad conficiendi itineris expensas centum et yiginti scutis vel circiter, reliqua summa observata ac sigillo Terrae Sanctae signata transportetur, integre ac fideliter consignanda in Cayro Aegypti patribus vicepraefecto et reliquis missionariis nostris ibi degentibus, vel iis praesentibus procuratori saeculari secundum statum nostrum et temporis ac loci circumstantias. Qui praedicti missionarii eligere ac designare teneamini unum ex fratribus ipsius familiae, qui expendendae huiusmodi eleemosynae secundum directiones annectendas computum exactissimum conficere et conservare debeat singulis mensibus, ut a guardianis fieri solet, publicandum dictis commissionariis, et cum exigatur reddendum Superioribus: eiusmodi tamen procurator, semel legitime assignatus mu-

(1) Ex Arch. S. C. de P. F. emend. ex Reg. in Arch. Brev.

tari non poterit absque simili consensu maioris partis missionariorum eiusdem missionis. Secundo etiam sequentes directiones maiori ex parte a temetipso aliisque piis et prudentibus propositas, nobisque non ingratas, sed nec omnino acceptas, quousque maiori consultatione imo et experientiâ accedente probentur, per te transmittimus ad praedictos patres vicepraefectum et commissionarios, ut diligenti circa eas tam propriâ quam piorum et prudentum quorumcumque consultatione adhibitâ, vel in toto vel ex parte ipsas experiendo exerceant et exercendo experiantur; ita ut opportuno tempore generali Diffinitorio vel confirmandae vel alterandae proponantur; prima vicepraefectus a praefecto, idest patre Guardiano Hierosolymitano instituatur, et a S. Congregatione confirmatio postuletur ad triennium: erit vero de corpore illius Missionis, qui ad id muneris habilior iudicatus fuerit, et propositus a maiori parte commissionariorum eiusmodi, nisi evidenti de causâ, cuius rationem requisitus reddere debeat, ipse Praefectus aliter iudicaverit: eiusmodi autem electio non possit mutari, nisi evidenti de causâ, cuius pariter requisita ratio reddi debeat, et accedente consensu maioris partis commissionariorum, alium, quem noverit habiliorem, praefectus ipse sufficiat. Ipse vero vicepraefectus etiam guardianus conventus Cayri intelligatur institutus, et consequenter iurisdictionem ordinariam exerceat tam in fratres quam respective in saeculares suae parochiae.

II. Vicepraefectus eiusmodi de consultatione praedictorum commissionariorum assignet subsidium tribuendum tam ex praememoratâ pro hac vice eleemosynâ, quam ex aliâ ad sexennium a regiâ maiestate catholicâ missioni eidem pariter assignatâ, et quacumque in posterum a quovis quomodolibet assignandâ; quid videlicet illustrissimo D. Patriarchae, aliisque Praesulibus Cophtae praedictae nationis, quos merito subveniendos iudicaverint, sit compartiendum, cuiusmodi assignationi stare debeat, qui pro conficiendo computo designabitur. Pariter etiam assignet quid hospitiis de novo fundandis, ut infra quid scholis tam puerorum quam virorum, quid conventus expensis, et quid aliis necessitatibus vel congruitatibus sit applicandum.

III. Instituatur quamprimum schola speculativae facultatis, ita tamen ut ad methodum potius instructionis quam disputationis, et ad condiscenda utilia potius, quam curiosa, more Patrum et Doctorum Ecclesiae, accedat, ne scandalo sit Orientalibus quod pro ipsorum salute instituetur. Similiter habeatur schola linguae latinae pro iuvenibus, et cophtae seu aegyptiae pro pueris, atque cathechismi ecclesiastici pro utriusque.

IV. Domus etiam locetur pro puellis pauperibus, ut et christianâ caritate alantur et doctrinâ sanâ mediis per quam honestis informentur.

V. Erigantur quinque hospitia ultra conventum urbis magni Cayri, in quorum singulis saltem sint duo sacerdotes et unus laicus, quod tum addiscendae linguae arabicae tum incolarum instructioni, et inclinationi ad latinam Ecclesiam deserviet, eaque, nisi opportuniora alia iudicentur, sita sint, unicum ad veterem Cayrum ubi Bma Virgo Maria cum puero Iesu dicitur habitasse, aliud ad Faiumen, quo in praesenti concurrere missionarii solent, aliud ad Deltam, seu Bahariám, quam frequentasse dicitur ipse Iesus cum Patriarchâ S. Ioseph, duo tandem ad Said, ubi maior est messis populi christiani.

VI. In conventu vel collegio urbis Cayri saltem sint octo sacerdotes cum unico laico, omnesque ii sicut et reliqui hospitiorum de familiâ illius missionis esse intelligantur, atque eiusdem instituti Strictioris scilicet Observantiae ex cismontanâ et ultramontanâ familiâ, vel ex earum alterutrâ advocandi, qui cuncti in omnibus, quae non sint contra animam, regulam, S. Congregationis ordinationes et nostras, guardiano hierosolymitano subditi sint, reliqui vero fratres ad eamdem custodiam pertinentes, et in Aegyptum quomodolibet appellantes quam citius fieri possit a praedicto guardiano de eorum adventu certiorato alio mittantur, nisi eidem missioni de guardiani eiusdem licentiâ et vicepraefecti consensu ad tempus servituri detineantur.

Per has tandem confirmantes alias patentes nostras tibi concessas XIII. ianuarii currentis anni te in Christi visceribus enixe commendamus cunctis inferioribus nostris, ad quos hospes accesseris, nostrique apud Deum memineris. Datum Romae in conventu nostro Aracaelitano die XXIX. iunii MDCLXXXVI. Frater Petrus Marinus minister generalis, de mandato suae rmae paternitatis Fr. Ioseph a Leone secretarius generalis Ordinis. »

Confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint et serventur

exactius, quae apostolici muniminis patrocinio roborantur, nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur; nos igitur votis tuis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, in quorum congregatione capitula a memorato Petro Marino ministro generali porrecta super novâ missione fratrum dicti Ordinis Strictioris Observantiae erigendâ in Aegypto seu Cophtorum regno relata fuerunt, consilio, nos illa auctoritate apostolicâ tenore praesentium, approbando, limitamus capitulum secundum in eâ parte, quae concernit congruam assignationem faciendam Patriarchae, aliisque Episcopis nationis Aegyptiae seu Cophtae decernentes ut hoc suum effectum non sortiatur nisi prius tam Patriarcha quam Episcopi praefati a praefatâ Cardinalium Congregatione praescriptam fidei professionem eorum manu subscriptam, et per vicepraefectum eidem mittendam emiserint; necnon tertium moderamur in eâ parte, quae spectat ad institutionem scholae speculativae facultatis, mandantes, ut tantum moralis instituatur, ac omnino prohibentes emptionem domus pro puellarum instructione, quae dumtaxat fieri debet in publicis ecclesiis vel in earum propriis domibus tempore magis congruo. Denique, propositos missionarios approbamus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes pariter, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis praefati aliis cum quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specsialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. februarii MDCLXXXVII., pontificatus nostri anno XI.

XXXI.

Erigit in Congregationem confraternitatem Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus, eius novas constitutiones et privilegia confirmat, exemptiones ac indulgentias ei concedit (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam praesidentes, ad ea, per quae pietatis et christianae charitatis opera ubique locorum, praesertim ad infirmorum et convalescentium subventionem et utilitatem, provide prudenterque ordinantur, propensis studiis intendimus, et christifidelium in id ipsum laudabiliter et fructuose incumbentium confraternitatibus in visceribus paternae gerentes charitatis, felici illarum statui et prosperae in viâ mandatorum Domini directioni libenter providemus, illasque et personas in eis Domino famulantes opportunis favoribus et gratiis prosequimur, sicut, rerum, locorum, temporum et perso-

(1) Ex Bull. ed. taurin. vol. XIX., pag. 735, coll. cum auth. in Arch. Brev.

narum qualitatibus mature consideratis, ad Dei omnipotentis gloriam, et animarum salutem, ac piorum operum incrementum, populique christiani aedificationem et consolationem specialem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ortus et progressus dictae confraternitatis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Rodericus a Cruce procurator generalis confraternitatis confratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in hospitalibus pauperum convalescentium in Indiis Occidentalibus canonice, ut asseritur, erectae, quod dicta confraternitas in eisdem Indiis initium habuit a quondam Petro Betancur a S. Iosepho, qui primam domum et hospitale ipsius confraternitatis in civitate Guatimalae pro pauperum convalescentium curâ, aliisve pietatis et christianae charitatis operibus, anno MDCLIII. aedificare coepit. Subinde, cum aliud simile hospitale anno MDCLXXI. in civitate Limanâ fundatum fuisset, constitutiones pro praefatae confraternitatis gubernio iuxta tunc existentem illius statum factae anno MDCLXXIV. per Sedem Apostolicam confirmatae fuerunt. Porro, aucto eiusmodi hospitalium numero usque ad undecim, et in promptu existente multorum aliorum fundatione, pro felici prosperoque eiusdem confraternitatis regimine et gubernio formatae fuerunt novae constitutiones, praesenti illius statui convenientes, tenoris qui sequitur, videlicet:

Caput I. De confraternitatis institutione.

« 1. Finis societatis est strenue admodum incumbere in exercitium operum charitatis et misericordiae, tam spiritualium quam conporalium, erga omne genus personarum, praesertim erga aegros convalescentes, procurando quammaxime animarum tum propriarum tum proximorum nostrorum salutem per omnium virtutum usum et vitae probatae exemplar, adeo ut hi, qui ad nostra hospitalia venerint corporis salutem recuperaturi, in animae quoque salute egrediantur meliores effecti.

« 2. Omnes subditi esse debent praefecto generali et in humili subiectione suis superioribus peculiaribus.

Caput II. De recipiendis ad confraternitatem.

« 1. Quia multitudo confusionem parere solet, ac etiam relaxationem; conveniens erit ut non adsit in nostris hospitalibus maior fratrum numerus, quam quos exiget necessitas; non erit tamen duodenario inferior; et, si opus erit numerum augere, fieri poterit id de licentiâ praefecti generalis et assistentium generalium.

« 2. Omnes, qui apti fuerint medicinae et chirurgiae artibus, illas addiscent ex praefecti generalis et assistentium permissione.

« 3. Admittendi, aetate et viribus pollere debent ad ministeria, quibus initiantur, convenientibus, ab omni originis et infamiae labe, imo et eius suspicione immunes, coelibes, corporis sani, nec ullo modo aere alieno aut aliis oneribus gravati, quae molestiae seu impedimenti esse possint, nec qui ullius religionis seu congregationis habitum habuerint.

« 4. Peractis probationibus et experimentis etiam spiritus quo ducuntur, prout convenire visum fuerit, cum fuerint ex sententiâ fratris praefecti et assistentium approbati, et in habitu saeculari manserint per aliquot septimanas, humilibus domus exercitiis se applicando, hoc tempore generalem omnium suorum peccatorum facient confessionem, ac, quas profiteri debent, regulis instruentur; adimpletisque istis obligationibus, completo decimo sexto aetatis anno, habitum eis dabit frater praefectus, de praefecti generalis, seu illius, qui, ut infra dicetur, vices tenebit eiusdem praefecti generalis, et assistentium licentiâ, ac elapso probationis et novitiatus anno, ac de eiusdem praefecti generalis, seu tenentis eius vices, et assistentium licentiâ, dummodo professionem emissuri sciant legere et scribere, et non aliàs, professionem emittent in manibus fratris praefecti, vota obedientiae, paupertatis et castitatis ac hospitalitatis vovendo, cuius posterioris voti obligatio extendatur ad inserviendum pauperibus infirmis, etiamsi sint infideles et aliquâ contagiosâ aegritudine affecti, et successive fiet aliud votum perseverandi perpetuo in nostrâ societate Bethlehemiticâ, infirmisque serviendi.

« 5. Adesse debet unus novitiorum magister nominatus a praefecto generali et assistentibus in hospitalibus. Quae pro novitiatu, destinabunt ipse praefectus generalis et assistentes, in id accurate incumbendo ut magister sit ex insignioribus virtute et prudentiâ, et qui saltem praefectus fuerit alicuius ex nostris hospitalibus; et casu quo idem novitiorum magister modo et formâ de qua supra destinatus decedat, vel alio impedimento detineatur, praeeligi in casu impedimenti provisionaliter debeat a praefecto domus, in qua contingat tale impedimentum, alius sufficienti doctrinâ et moribus praeditus; in casu vero obitus, praefigi debeat alius ab eodem praefecto domus, qui huiusmodi munus

exerceat, donec sequatur approbatio praefecti generalis et assistentium; eàque sequutâ evadat verus magister novitiorum; aliàs subintrabit ille, quem praefectus generalis et assistentes nominare censuerint in magistrum novitiorum.

« 6. Inquisitiones de admittendo fient coram fratre praefecto cum eius secretario, assistente etiam novitiorum magistro.

« 7. Non potest admitti in societatem ullus qui sit in ordine sacro constitutus, nec cappellani nec ullo alio titulo, neque ullus frater ex hucusque admissis et in posterum admittendis ordinari, quia statui sacerdotali non conveniunt manualia ministeria, in quibus exercere se debent fratres; et si quis ordinem susceperit, ipso susceptionis facto remaneat exclusus, et societatis habitu privatus, ac a votis absolutus, nec in domo stare possit, etiamsi sit in alio habitu. Iis vero, qui iam reperiuntur in ordine sacerdotali, permittatur in societate permanere, praesensque dispositio respiciat tantum futurum, non obstantibus dispositis in contrarium in veteribus constitutionibus a Sanctâ Sede confirmatis.

Caput III. De habitu interiori, ac exteriori, ac cubiculis.

« 1. Habitus uniformis esse debet in omnibus fratribus, isque ex quo appareat interna humilitas et rerum mundanarum contemptus, et sit symbolum, quo vere pauperes et poenitentes esse dignoscantur.

« 2. Habitus exterior erit ex panno rudi, et coloris, ut dicunt, *buriel,* nimirum ex lanâ quae dicitur de *sumonte leucophaea.* Forma sit ad instar togae talaris, cingulo corei nigri ad duorum digitorum latitudinem restrictae. Cucullus unâ tertiâ, ut aiunt, altus, extremitate in aliquod acumen desinente. Et dicta toga quatuordecim palmos habeat in circuitu, et unam tertiam in manicâ. Clamys eiusdem generis, duabus tertiis brevior togâ. Pileus leucophaeus ex lanâ rudi et cum limbo grandi circuitus decem digitorum subtus corio tenui nigro inducto et cum duobus funiculis pendulis. Nudis tibiis, et pedibus cum solis crepidis, quas vulgo nominant *ramplonas,* rudibus et crassis, ac latis soleis, adeout habitus paupertati et ruditati respondeant. Super latus sinistrum chlamydis gestabitur in laminâ ad instar scuti depicta Iesu Christi summi boni nostri nativitas.

« 3. Vestis interior convenire debet in paupertate cum exteriori, quaesito in illâ nitore, qui optime potest convenire cum paupertate. Idcirco nemini concedatur induere lineum indusium nisi in gravi necessitate; qua qui urgebuntur, illud ferre poterunt, quo duraverit infirmitas, cum fratris praefecti licentiâ. Licitum erit gestare tunicam multitiam rudem et panniculos stupeos. Nec ulli concedatur radere nec tondere barbam; quantum ad illam, quae solita est eremitis, conformabitur.

« 4. Debent omnes unico vestitu contenti esse; et quia necesse erit illum mutare, erit in hospitali locus pro pannariâ designatus omni genere vestituum, quibus fratres nostri indigere possunt, instructus, quibus cum charitate et diligentiâ illis providebitur singulis quindecim diebus, aut etiam ante, si opus fuerit.

« 5. Exteriori vestitus paupertati consonare debet interior cubiculorum seu cellarum paupertas. In his permitti non debent laminae, nec arculae, nec alia supellex exquisita et superflua, neque profani ornatus, qui summam dedeceant paupertatem, quam observare debent nostri fratres. Et ad evitandum, quantum fieri potest, ne illa imminuatur, praefectus generalis, assistentes et praefecti id satagent ut eorum cubicula exemplo sint, quo alii addiscant humilitatem et paupertatem, quas debent in suis observare. Et ut illa facilius recognoscere possit superior, carebunt clavibus et seris ianuae: adeo ut lectus ex ligno cum duabus dumtaxat lodicibus, quae illum cooperiant; unum pulvinar panneum; una crux ex ligno rudi; aquae lustralis vasculum; scabellum et mensula cum capsulâ absque clavi, ubi asserventur poenitentiae instrumenta; liber *De contemptu mundi,* aut alius spiritualis. Et quia incongruum foret, ut, qui veniunt omnibus inservire, haberent qui eis inservirent, nemo poterit famulum habere peculiariter.

« 6. Poterunt admitti in donatos horum aliqui, qui ex quopiam iusto impedimento excludantur ne sint fratres cucullati; qui nostrum habitum induent absque cucullo, et poterit praefectus generalis unâ cum assistentibus permittere, seu licentiam concedere, ut ipsorum aliqui profiteantur eadem vota, quae profiteri debent fratres, ut maius meritum et perseverantiam hoc modo possint obtinere.

Caput IV. De exercitiis spiritualibus cuiuslibet diei.

« 1. Habebunt fratres quotidie horam unam orationis mentalis a quintâ ad sextam matutinam, convenientes omnes ad campanae sonum cum fratre praefecto, cum quo protinus post orationem ibunt omnes ad verrendum, vasa promendum, et valetudinaria poliendum; et finitis istis exercitiis,

audient missam ad arbitrium fratris praefecti. Diebus iovis et dominicis cuiusvis hebdomadae sacram Eucharistiam sument omnes fratres in communi, et si inter hebdomadam accidit aliqua solemnis festivitas, poterit communio anteverti seu postponi feriae quintae, illam ad festivitatem transferendo.

« 2. Horâ secundâ pomeridianâ omnes in ecclesiâ congregati recitabunt stationem SS. Sacramenti, et post eius venerationem legetur unum capitulum ex libro cui titulus *Contemptus mundi*, et deinde omnes ordinate procedent psalmum *Miserere* recitantes usque ad valetudinarium principale, et hoc finito partitim ad alia divertent ad verrendum et sternendum lectos infirmorum et convalescentium.

« 3. Horâ quartâ cum dimidiâ post meridiem recitabitur corona Beatae Virginis dominae nostrae septem mysteriorum, et finietur cum examine conscientiae quadranti horae duraturo, et advesperascente die, dato ad orationes campanae signo, habebitur una hora orationis mentalis, ad quam puncta dabit frater praefectus ex uno librorum, qui de hac agunt materiâ, et sunt pater frater Ludovicus Granatensis, pater Thomas de Villacastin, Falconius, aut alii; finemque imponent actu contritionis.

« 4. Duodecimâ nocturnâ surgent omnes (exceptis illis, qui superioris iudicio legitime fuerint impediti), et simul in ecclesiâ recitabunt coronam Beatae Mariae Virginis cum orationibus approbatis de Imitatione Passionis Iesu Christi, prout sunt in diurno tenoris sequentis, videlicet:

« O Domine Iesu Christe, adoro te in cruce pendentem, et coronam spineam in capite portantem: deprecor te ut me tua crux liberet ab angelo percutiente. Amen. *Pater noster*, *Ave Maria*.

« O Domine Iesu Christe, adoro te in cruce vulneratum, felle et aceto potatum; deprecor te ut vulnera tua sint in remedium animae meae. Amen. *Pater noster, Ave Maria*.

« O Domine Iesu Christe, propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in cruce, maxime in illâ horâ quando anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen. *Pater noster, Ave Maria*.

« O Domine Iesu Christe, adoro te descendentem ad inferos et liberantem captivos: deprecor te, ne permittas me illuc introire. Amen. *Pater noster, Ave Maria*.

« O Domine Iesu Christe, adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem ad caelos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi et tibi praesentari merear. Amen. *Pater noster, Ave Maria*.

« O Domine Iesu Christe, pastor bone, iustos conserva, peccatores iustifica, omnibus fidelibus miserere, et propitius esto mihi maximo peccatori. Amen. *Pater noster, Ave Maria*.

« O Domine Iesu Christe, adoro te in sepulchro positum, mirrhâ et aromatibus conditum: deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen. *Pater noster, Ave Maria* ».

« Et dilatatis ad crucis formam brachiis recitabitur statio SS. Sacramenti, et in vesperis festivitatum domini nostri Iesu Christi, et Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum, et Sancti Dominici ac Sancti Francisci, Omnium Sanctorum, S. Iosephi, S. Michaëlis Archangeli, S. Gabrielis et Sanctae Theresiae a Iesu, recitabunt integrum rosarium quindecim mysteriorum, et dilatatis in crucem brachiis, supradictam stationem; et, quoties recitabunt dicta quindena mysteria, a relatis Passionis orationibus supersedebitur.

Caput V. Exercitia spiritualia cuiuslibet hebdomadae.

« 1. Ter in hebdomadâ, nempe feriâ secundâ, quartâ et sextâ, habebitur disciplina communitatis in ecclesiâ, idque fieri poterit post orationem mentalem nocturnam: habebitur toto tempore, quo recitabuntur psalmi *Miserere* et *Deprofundis*, adiunctoque actu contritionis, signum dabit superior, et cessabit disciplina.

« 2. Cappellanus nominatus pro administratione sacramentorum, singulis quindecim diebus, horâ septimâ cum dimidiâ nocturnâ, habebit ad fratres concionem vel sermonem spiritualem, et quando id fiet, mediâ horâ anticipabitur corona et oratio, ne desit tempus pro conscientiae examine.

« 3. Omnes fratres debent ieiunare iuxta formam sanctae matris Ecclesiae et feriâ sextâ Parasceve dumtaxat pane et aquâ ieiunabunt.

« 4. Omnes pedibus debent incedere in locis habitatis; sed per itinera, dum longinqua fuerint, equitare poterunt; illisque de necessariis ad ea prosequenda semper providebitur.

« 5. Attento quod efficacissimum ad observantiam regularem pacemque animae interiorem conservandam medium est se-

cessus; omnes nostri fratres districtissime evitabunt egressus e domo et saecularium visitationes in vana officia temporisque iacturam tendentes, et ita nemo licentiam petet pro huiusmodi egressibus et visitationibus, etiam parentum proximiorum, praeterquam in casu necessitatis, aut gravis infirmitatis, ad praefecti arbitrium, aut quando ipse eos mittet pro re divini servitii, proximi subventione, vel hospitalis utilitate.

« 6. Hospitalia et fratres debent sustentari ex eleemosynis, et si temporis processu compertum fuerit expedire alicubi reddituum admissionem ob eleemosynarum defectum et devotionis imminutionem, admitti poterunt ex praefecti generalis et assistentium licentiâ.

« 7. Quando fratres ex aliquo itinere extra civitatem redibunt, cum ipsis dispensabitur ut non assistant exercitiis domesticis et spiritualibus per triduum, et non ulterius. Porro si iter longinquum fuerit, aut ultramarinum (prout plerumque contingit in Indiis), novem dierum erit huiusmodi dispensatio, quo a fatigatione subleventur, prout bene ordinata charitas requirit. Et ut hoc melius et maiori alleviatione facere possint, id temporis dabuntur ipsis indusium lectusque cum culcitrâ et linteis cubilibus; et infirmarius, aut alius eius loco, curam habebit illis eâ primâ nocte pedes abluendi, illosque excipiet in hospitio, quod ad hunc effectum nostris in domibus et hospitalibus debebit esse apparatum.

« 8. Omnes fratres qui iter facient, aut civitate egredientur, singulis diebus, eâ qua poterunt horâ, etiamsi tripartitim hoc fiat, recitabunt integrum quindecim mysteriorum rosarium ac unam SS. Sacramenti stationem. Et superiori curae erit id muneris eis in memoriam adducere tempore discessus, et hoc aliis spiritualibus exercitiis aequivalebit, nec poterit quis mitti, nec domo egredi solus, sed semper associatus, et quando ad iter faciendum egredientur, et quando ipsis eundum erit per civitatem, ut ita respectus habeatur decentiae, qua nostros fratres decet incedere, et aliis inconvenientibus, quae ex contrario notorie resultant (1), obvietur.

Caput VI. Exercitia caritatis erga pauperes infirmos.

« 1. Cum principale fratrum institutum sit pauperibus infirmis inservire, omnibus persuasum esse debet, id praecipue illis incumbere, ut tam sancto exercitio sint addicti, nec in nullo alio maius obsequium Domino nostro praestituros ministerio, quam hoc humilitatis et charitatis ob eius amorem illud exercendo erga pauperes indigentes et rebus necessariis destitutos.

« 2. Ad huius obligationis satisfactionem in promptu quamprimum certiores facti fuerint se conferent ad illos asportandos in sellâ gestatoriâ (quae ad hoc erit praeparata) usque ab hospitalibus et domibus, ubi eorum fuit habita curatio, ad nostrum hospitale, ubi curatio eis adhibenda aut convalescere debent, nec alienis humeris fidant onus, quod suismet Deus imposuit.

« 3. Non debet excludi ab hospitalibus nostris ullum genus personarum, ad omnes debent extendi, omnes debent amplecti charitatis ulnis liberos, servos, Mauros, Nigros et gentiles, exceptis mulieribus, quae nullo titulo poterunt ingredi ad curandum nec ad invisendum pauperes intra clausuram nostrorum hospitalium.

« 4. Habeat infirmarius apparatos lectos, ubi recumbant aegri postquam eis pedes, si opus fuerit, abluti fuerint, et aliquâ eis refectione subventum, et prima erit sollicitudo eos disponere ut peccata confiteantur, id permittente aegritudinis qualitate.

« 5. Assistet cum maiori et aliis infirmariis frater praefectus duabus vicibus, quibus medicus debet aegros invisere, et in scriptis rediget quidquid iste ordinaverit, idemque faciet maior infirmarius, et horis congruis praefectus inquiret ab aegrotis an maior infirmarius secutus sit quidquid medicus dispositum reliquit, et si quem compererit defectum, remedium protinus conferet, et convenientem eius culpae poenitentiam maiori infirmario.

Caput VII. Quid observari debeat in valetudinariis erga aegrotos convalescentes, insanabiles, peregrinos et pauperes.

« 1. Ut aegroti et convalescentes servitia habeant et refocillationem omni curâ et opportunitate, aderit frater infirmarius maior, a praefecto generali et assistentibus deputatus, cui incumbet valetudinariis praeesse, et cui reliqui alii infirmarii hebdomadarii debent obedire in rebus ad eius munus pertinentibus, et debet procurari, ut is, qui hoc fungetur munere, placidus sit et charitatis plenus, qui sciat tolerare absque sui immoderatione aegrotos, et eos emendare absque afflictione illorum.

« 2. Extabunt diversa valetudinaria, separata ab Hispanis, pro Indis, Mauris et aliis gentibus, et haec et illa procurabitur ut

(1) Edit. Main. legit *resultat*.

sint ab officiis disiuncta, ad aegrotorum molestiam evitandam.

« 3. Peculiarem curam adhibeat infirmarius maior ut valetudinaria semper sint nitida et accommodata, lectique bene strati, istorum suppellectilem quolibet sabbato variando, aut etiam anticipate, si quibus opus fuerit; et ut hoc facilius fiat, convenient omnes fratres quotidie horâ destinatâ secundâ pomeridianâ, et post stationis SS. Sacramenti peractam recitationem.

« 4. Magnopere satagat ut modus agendi convalescentium et aliorum pauperum christianus sit et modestus, ut nemo iuret vel vitium habeat scandali, et si quis licentiosus fuerit, eum charitate semel ac iterum corrigat, et si id satis non fuerit, reddat rationem fratri praefecto, ut blande et officiose eum dimittat ex hospitali, antequam vitii eius ulcus reliquos inficiat.

« 5. Si cui convalescentium aggravabitur infirmitas, aut supervenerit, unde ad arbitrium medici curari debeat, infirmarius certiorabit praefectum ut aeger ad aliud deferat hospitale, ubi cura eius habeatur, donec sit in statu ad nostrum redeundi.

« 6. Omnibus aegris et convalescentibus ac reliquis pauperibus missa dicetur quotidie in valetudinariis horâ congruâ, et singulis diebus quindecim confitebuntur et communicabunt.

« 7. Omnes aegroti mane laudabunt SS. Sacramentum, et ad honorem S. Iosephi patriarchae recitabunt septem *Pater noster* et *Ave Maria* cum *Gloria Patri,* recitante unâ cum illis maiori infirmario, qui cum aliis infirmariis protinus curabit eis dare ientaculum, ante quod, uti et ante prandium ac coenam, debent recitare Orationem dominicam et Salutationem angelicam pro benefactoribus.

« 8. Undecimâ horâ diei ad sonum campanae conveniet frater praefectus cum omni communitate ad dandum prandium pauperibus, et benedictionem impartietur, et fratres nostri propriis manibus apparabunt et distribuent discos, non exclusis ab hoc charitatis officio illis, qui in eo mereri voluerint. Observetur silentium dum comedunt pauperes, habitâ ad spiritualem lectionem, quae ipsis fieri debet, applicatione; et finitâ comestione, et peractis gratiis, claudantur ianuae, ut quiescant, neque aperiantur usque ad secundam pomeridianam.

« 9. Quartâ horâ cum dimidiâ post meridiem ad campanae sonitum infirmarius recitabit coronam Nostrae Dominae cum aegrotis et convalescentibus, postquam protinus dabitur pauperibus coena, cui assistet frater praefectus cum totâ communitate, eodem observato ordine, quo datum ipsis fuit prandium, et dicta corona pro benefactoribus vivis et defunctis applicabitur.

« 10. Si quis fratrum nostrorum infirmabitur, illico advertet fratrem infirmarium, et hic medicum, ut recognitâ aegritudine agatur de remedio, et toto quo durabit tempore ei assistent reliqui magno cum amore et studio, adeo ut nihil ei desit, praecipue incumbendo saluti et bonae animae compositioni; et casu quo infirmitas periculosa sit, disponat se admodum opportune, ne absque omnibus sacramentis moriatur. In hunc finem extabit diversum valetudinarium, cum suppellectili aliâ quam pauperum, ubi nostrorum fratrum cura habeatur, super quo frater praefectus magno studio incumbet ut omnia sint valde composita et opportuna.

CAPUT VIII. De aliis distributionibus et animadversionibus pro bonâ observantiâ.

« 1. Hospitalia nostra unicam debent habere ad plateam ianuam, ultra porticulam pro domus servitio, et ostium semper debet esse clausum, eique assistere frater unus, qui ianitorem agat, a superiore deputatus ad aperiendum et claudendum portas accurate eis qui pulsaverint, et duodecimâ horâ meridianâ claves superiori consignet, idemque faciet advesperascente die.

« 2. Non permittatur ex ianuis in nostra hospitalia mulierum ingressus, et quae ratione cognationis volent aliquem convalescentem invisere, poterunt id in conclavi ostiario agere.

« 3. Non admittent fratres visitationes in conclavibus, sed eae poterunt admitti in aulâ aut aliis locis publicis ad hunc effectum in hospitali designatis.

« 4. In prandio et coenâ servabitur silentium in triclinio, omnibus, dum comedunt, aliquo pabulo animarum refocillantibus, lectioni spirituali, quae haberi debet, incumbendo, sibi invicem inserviant, nec locorum aliqua sit praeeminentia, quam quae ordine resultabit, quo singuli adventabunt, excepto praefecto, qui debet locum praecipuum habere.

« 5. Peractis gratiis post prandium, illico incipient stationem SS. Sacramenti, quam recitando ordinatim ibunt usque ad ecclesiam, et eam applicabunt pro benefactoribus vivis et mortuis. Noctu ante coenam feriâ secundâ, quartâ et sextâ erit capitulum culparum in triclinio, et eas dicet fra-

ter zelator, qui pro illâ septimanâ fuerit nominatus, et post coenam finient cum uno responsorio, ac oratione sanctae synodi pro animabus purgatorii, eosque ad veniam prostratos lustrabit superior.

« 6. Post prandium et coenam, aliquod intervallum habebunt familiaris conversationis, et post eam indicetur sonitu silentium, quod observari debet adamussim a primâ usque ad secundam pomeridianam, a nonâ nocturnâ usque ad sextam matutinam, omnesque diei curriculo curent* observare silentium quod per nostra licebit ministeria.

« 7. Non poterunt fratres exarare litteras nec scripturas, neque eas recipient, absque peculiari praefecti licentiâ, nec pariter poterunt in aliorum conclavia ingredi, neque in novitiatum, nec alias domesticas officinas domus, nisi quis indiguerit illis, quae inibi extabunt, et tunc id eis licebit, petitâ praefecto licentiâ.

Caput IX. De regimine nostrae societatis.

« 1. Pro nostrae societatis conservatione, et ut tam pium institutum manuteneatur, adesse debebit generalis praefectus cui obediatur.

« 2. Is etiam, qui per electionem infra indicandam praefectus generalis constituetur, durare debet in exercitio talis muneris per sexennium tantum.

« 3. Et quoniam debet habere assistentes praefectus generalis, cum quibus negocia occurrentia conferat et expediat, hinc est quod iuxta formam infra designandam eligi debebunt alii quatuor fratres habentes qualitates infra requisitas, qui sub assistentium titulo cum praefecto generali degere debeant, quique ab eodem praefecto quo voluerit convocari possint ad pertractanda et expedienda negocia occurrentia, habebuntque praedicti assistentes votum decisivum, non consultativum tantum, et haec pariter assistentium munera debent durare per sexennium; et quoniam in hoc initio non potest ad praxim deduci forma infra praescripta super electione, tam praefecti generalis, quam assistentium, et nihilominus introductio formae gubernii necessaria est, propterea pro prima vice dignabitur sanctissimus dominus noster Papa Innocentius XI. nominare unum ex fratribus in praefectum generalem dictae societatis, et quatuor alios in assistentes ad sexennium duraturos, qui eamdem habeant auctoritatem, perinde ac si legitime a dictis fratribus electi forent.

« 4. Praefecti generalis electio pro primâ vice celebrari debebit in domo Guatimalae, quoniam ipsa est matrix et prima origo nostrae societatis, ut iste honor illi tribuatur. Perpetuis autem futuris temporibus, quoniam in dictis Guatimalae provinciis propter locorum qualitates et domorum penuriam capitula generalia celebrari commode non possunt, hinc est quod, exceptâ dictâ primâ electione, perpetuis futuris temporibus, electio praefecti generalis, et reliqua omnia quae in generalibus comitiis explenda sunt, fieri debebit alternatim Limae et Mexici, quae sunt domus antiquiores, ita ut incipiatur a domo Limae, ac deinde in domo Mexici, hoc modo electiones alternando, quo aequa habetur ratio domorum, quae actu existunt, et favente Dei misericordiâ imposterum extabunt, in dictis regnis et provinciis.

« 5. Electio praefecti generalis debet fieri a vicario generali ut infra denunciando, a quatuor assistentibus, a secretario generali, ab omnibus fratribus praefectis, et antiquiori discreto quorumcumque hospitalium, necnon a magistris novitiorum. Ad quam electionem aut personaliter, aut per procuratorem legitimum, qui tamen esse nequeat neque ullus ex fratribus residentibus in domo ubi fiet electio, neque ullus qui aliàs sit vocalis, convenient omnes. Si quando vero, adiuvante Domino, hospitalium numerus in regno, ubi electio celebrabitur, pervenerit ad decem et novem, tali casu cesset in electione praefecti generalis votum supradictorum discretorum hospitalium. Qui electores cum dicto vicario generali debent congregari in aulâ capitulari opportune instructâ, invocatoque in primis Spiritus Sancti auxilio, praesidente ipso vicario, procedant ad faciendam per secreta suffragia praefecti generalis electionem. Proinde singuli vocales habeant secum plures schedulas uniformes eis per secretarium distributas, quae tribus vicibus plicari possint. Et in superiori parte eiusdem schedulae quilibet ex vocalibus scribet nomen proprium par haec verba: *Ego frater N.;* in secundâ vero plicâ scribat: *Eligo in praefectum generalem;* et in tertiâ plicâ schedulae scribat nomen illius, quem eliget. Quisque vero partem schedulae, ubi scriptum est nomen ipsius vocalis, primo loco plicabit, et sigillo claudet, ne aperiatur, nec legi possit, et deinde reliquum eiusdem schedulae ita plicabit, ut quod scriptum est non videatur. Quisque etiam ex vocalibus ita scribet, ut quod ab uno scribitur, ab altero non vi-

deatur. Et his peractis, schedulas huiusmodi complicatas iuxta ordinem eorum antiquitatis proiicient in urnam seu vasculum ad id collocandum super mensâ, ante vicarium appositâ. Omnibus autem schedulis allatis, urna huiusmodi coram vicario et duobus fratribus assistentibus ex antiquioribus aperietur, et de schedularum numero numeratio fiet, iisque compertis absque numeri defectu et absque excessu, incipient aperiri in eâ parte, in qua descriptum erit nomen eligendi, relictâ integrâ alterâ parte, in qua est nomen eligentis. Et successive, prout aperientur, ab iisdem vicario et assistentibus recognoscentur, et altâ voce per secretarium publicabuntur nomina electorum, et, prout in unoquoque vota data reperientur; adnotabuntur in folio ad id destinato, et unusquisque ex intervenientibus in electione adnotare poterit. Omnibus autem perlectis, si reperiatur aliquis in quem concurrat maior pars votorum, scilicet ultra medietatem eligentium, ita ut unus supra medietatem sufficiat, is intelligatur electus, et electio legitima pronunciabitur. Si autem in supradicto scrutinio in nullo respicietur concurrere maior pars votorum, tali casu ad novum scrutinium, seu ad tot scrutinia procedatur, donec aliquis remaneat electus. Electo vero in praefectum generalem fratres omnes, a vicario ipso incipiendo, obedientiam praestabunt. In casu quo ita in praefectum generalem electus a loco electionis huiusmodi abfuerit, ne interim societas aliquod suo in regimine dispendium patiatur, vicarius superioris partes ad vicariatus normam exequi continuabit, donec ipsi de acceptatione ab electo praefecto generali factâ constiterit. Quod si noviter electum in praefectum generalem ante istam acceptationem mori contigerit, vicarius eo quo supra modo continuabit usque ad novam praefecti generalis electionem.

« 6. Et cum possit contingere ut inter vocales adsit suffragiorum aequalitas, ne super hoc oriri possint turbationes, declaratur vicarium, qui electione praesidebit, eiusmodi debere suffragium habere, ut in suffragiorum aequalitate illam dirimat vicarius novo voto per ipsum tunc praestando; quod si ipse vicarius sit in paritate votorum electionis passivae cum altero, eo casu, non vicarius, sed assistens antiquior, in electione passivâ huiusmodi non comprehensus, suo suffragio paritatem dirimet.

« 7. Vicarius debet habere suffragium activum et passivum, et quia potest evenire, ut in electione, quae fiet, nominetur in praefectum generalem, et hoc casu incompatibile est ut possit approbare et publicare electionem, ideo disponitur, ut, ipso vicario in praefectum generalem electo, antiquior assistens debeat approbare et publicare electionem.

« 8. Ut possit in praefectum generalem eligi et nominari quilibet ex fratribus dictae societatis, debet habere completam quadraginta quinque annorum aetatem, et elapsis post professionem quindecim ex illis. Et pariter debet habuisse, ut minus, bis regimen alicuius ex dictae societatis hospitalibus.

« 9. Et attentâ distantiâ, quae tanta est inter dicta hospitalia, quandoquidem aliqua inter se plus mille leucis distant, et in eis, quae in posterum extabunt, eadem pro amplitudine illorum regnorum intercedet distantia, et in eventibus, qui in quolibet illorum occurrerent, promptam convenit adhiberi provisionem, cumque non possit praefectus generalis in adeo distantibus et seiunctis locis unâ cum assistentibus residere: ideo, pro meliori dictae societatis regimine disponitur, quod, praefecto generali in regno Peruano degente, debet committere vices suas praefecto Sancti Francisci Xaverii de Mexico, adiunctis eidem aliis quatuor assistentibus in capitulo generali eligendis, pro omnibus quae occurrent in illius regni hospitalibus; et cum in Novâ Hispania fuerit, easdem vices committere debeat praefecto hospitalis Limae Nostrae Dominae de Carmelo, adiunctis eidem aliis quatuor assistentibus in capitulo generali eligendis, cum plenitudine potestatis, praeterquam quod in pertinentibus ad normam regiminis generalis societatis et peculiaris cuiuslibet ex domibus, et citra remotionem seu dimissionem praefectorum ipsarum (possint tamen ex iustâ causâ ad tempus ab officio suspendere et generalem certiorare, deputato interim in suspensi locum vicario idoneo), nec non dimissionem alicuius ex fratribus, nisi in uno ex delictis expressis in constitutione 21 huius capituli IX; proviso, quod substitutio praefata non possit etiam post obitum praefecti generalis revocari, sed toto temporis intervallo usque ad novi praefecti generalis electionem perduret, quodque uterque praefectus substitutus, in omnibus quae operabuntur, debeant rationem red-

dere praefecto generali, sed (1) eo defuncto, vicario, ut unâ com assistentibus resolutionem statuat sibi benevisam; cum hoc tamen quod, si contingat ipsum praefectum generalem actu moram trahere in aliquo ex duobus hospitalibus seu domibus Limae vel Mexici, consopita interim censeantur omnis iurisdictio et potestas illius praefati substituti, et exurgat tantummodo post decessum ipsius praefecti generalis ab illâ domo. Ac etiam, magnâ locorum distantiâ consideratâ, quoniam si praefectum generalem mori contingeret in alio regno, quam eo, ubi futura electio celebrari debebit, impossibile fere esset, ut assistentes, qui futurae electionis sunt pars praecipua, opportuno tempore reperiantur in domo talis electionis; hinc est quod statuitur, ut, nisi alia necessitas aut ratio moveat arbitrium praefecti generalis ad alibi residendum, idem praefectus generalis cum assistentibus de novo electus, si electio celebrata fuerit in Novâ Hispaniâ, ire debet ad residendum in Peruviâ, et ita e contra si in Peruviâ electus fuerit, ad Novam Hispaniam venire debeat.

« 10. Et quia, vitâ functo praefecto generali, necesse est adesse superiorem usquequo deveniatur ad novam electionem, disponitur quod prior tunc temporis existens conventus seu domus Bethlehem Guatimalae, quoniam ipsa domus est matrix et origo nostrae societatis, assumat nomen et vices vicarii generalis.

« 11. Praedictus autem vicarius regimen debebit habere, et eamdem auctoritatem et potestatem, quam praefectus generalis, praeterquam quod in concernentibus mutationem regiminis, ac remissionem seu dimissionem praefectorum peculiarium; quia haec non debet posse, interim dum vicariatus duraverit, facere.

« 12. Idem vicarius generalis convocabit vocales ad electionem futuri generalis, quae, ut supra, facienda erit omnino post annum completum, designando statutam diem ad illam faciendam, absque potestate illam ulterius prorogandi. Et si post completum huiusmodi tempus causâ infirmitatis defuerit aliquis ex vocalibus, aut opportune non advenerit, eo casu fiet electio a vocalibus, qui tunc temporis praesentes comperientur ad suffragia. Adveniente igitur die statutâ in aulâ capitulari incipient peragi scrutinia pro eligendo praefecto generali, et, quatenus in dictâ die electio non concludatur, scrutinia continuari possint per alios duos dies sequentes, ita ut electiones spatio septuaginta duarum horarum de momento ad momentum a primo puncto ingressus in aulam capitularem omnino concludi debeant. Quod si, intra dictum tempus, non concludatur electio, devolvatur ad eum, quem secundum Deum expedire iudicaverit in praefectum generalem nominare et eligere. Quod si is, qui capitulo praesidet, nominare seu eligere recuset, is ipso facto absque aliâ declaratione voce activâ et passivâ in perpetuum privatus censeatur et sit, et facultas nominandi devolvatur ad antiquiorem ex assistentibus, seu, si ipse antiquior sit qui praesidet, ad assistentem subsequentem, cum obligatione eligendi et nominandi sub eâdem poenâ, et sic pari modo gradatim ad assistentes subsequentes seu vocales antianitatis ordine succedentes devolvatur. Is vero, ad quem tali casu electio et nominatio devoluta erit, intra spatium vigintiquatuor horarum debebit omnino eligere seu nominare.

« 13. Porro sequutâ praefecti generalis publicatione, pergat capitulum, praesidente ipso praefecto generali, ad eligendum quatuor assistentes, in quorum electione votum habeant ii omnes, qui in generali capitulo suffragia ferre possunt, et ipse etiam ex-vicarius. In istorum electione servetur eadem forma pro electione praefecti generalis praescripta, et in casu paritatis votorum, ipse praefectus generalis per excessum alterius voti paritatem dirimat. Omnium vero quatuor assistentium huiusmodi intra spatium vigintiquatuor horarum a publicatâ in capitulo praefecti generalis electione omnino concludatur. Quod si tali tempore non omnium, sive nullius electio conclusa fuerit, eo casu praefectus generalis, pro totidem, pro quot electio conclusa non fuerit, fratres sibi benevisos in assistentes assumat. Si vero contingat electum in praefectum generalem absentem esse a loco capituli, tali casu nihilominus ad assistentium electionem, praesidente eodem vicario, capitulum procedat; in casu vero electionis intra praescriptum tempus non conclusae, assumptio assistentis vel assistentium, pro quibus electio conclusa non fuerit, ipsi praefecto generali relinquatur.

« 14. Nominandi et eligendi in assistentes debent habere quadraginta annorum com-

(1) Forsan *seu* pro *sed* legendum.

pletorum aetatem et duodecim professionis, quique saltem semel praefecti fuerint alicuius ex dictae societatis hospitalibus, quique moram traxerint in regnis seu provinciis in quibus extant hospitalia; ideoque, si possibile fuerit, duo eligi debebunt ex illis qui domum aliquam gubernarunt in Peruviae regnis, et duo alii ex iis qui gubernarunt in Novâ Hispaniâ, hoc tamen ordine servato, ut, quoties electio praefecti generalis celebrabitur in Novâ Hispaniâ, tunc primus et secundus assistens eligatur seu assumatur ex iis qui gubernarunt in regnis Peruanis; quando vero praefecti generalis electio Limae celebrabitur, tunc primus et secundus assistens eligatur ex iis qui in Novâ Hispaniâ gubernarunt.

« 15. Adveniente obitu alicuius ex assistentibus, penes praefectum generalem et reliquos assistentes facultas sit nominandi ei successorem, et ille, quem ita nominaverint, eamdem habeat auctoritatem ac durationem, perinde ac si fuisset electus in capitulo generali.

« 16. Electio praefecti, vice-praefecti, et quatuor discretorum fiat a confratribus cuiuscumque domus et hospitalis habentibus votum, prout maiorum infirmariorum, procuratorum domus. Electio autem praefecti confirmari debeat a praefecto generali, qui confirmationem negare non possit, nisi ex iustâ causâ ab assistentibus approbandâ; et donec praefectus electus confirmetur, gubernet, non tamquam praefectus, sed tamquam praesidens. Praedictorum autem officium ad triennium duret, et possit praefectus generalis unâ cum assistentibus ad eorum arbitrium nominare secretarium generalem, atque is, qui generali obeunte in tali munere reperietur, usque ad novi generalis electionem eiusque publicationem debeat continuare.

« 17. In eligendo autem a vocalibus cuiusque domus et hospitalis in praefectum peculiarem, debent in eo concurrere trigintaquinque anni completi aetatis et novem professionis; et casu quo, ut continget, in unâ vel alterâ domo seu hospitali, prout sibi videbitur et expedire censuerit, actu commoretur idem praefectus generalis, tunc cura, gubernium et administratio illius domus particularis pertineat et spectet ad ipsum praefectum generalem, ita ut praefectus localis nullam habeat, durante illo tempore, iurisdictionem praeter eam, quam illi committere vel permittere iudicaverit arbitrio suo praefectus generalis.

« 18. Praefectus generalis et assistentes a fratribus rationem petent et recognoscant, necnon administrationis gestionem, cum arbitrio et potestate fratres ab uno ad aliud hospitale demutandi, et puniendi contumaces et instituti transgressores, necnon illos, qui deliquerint, iuxta excessus et culpae, in quam incurrerint, qualitatem.

« 19. Fratres praefecti, prout ad quemlibet spectabit, conservabunt in archivio documenta fundationis, necnon libros et scripturas ad hospitale pertinentes, omnibus distincte et clare admodum in inventarium redactis, nec ullo modo quovis praetextus, causâ, ratione aut occasione extrahet, nec levabit ex archivio ipso originaliter scripturas, quae pro tempore inibi fuerint, aut in posterum perpetuo in eo ponentur, neque has praesentes sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae, quam eo ipso, absque ullâ aliâ declaratione, incurret dictus frater praefectus, et quicumque alii contravenientes; nec minus permittet ut inde extrahantur aut leventur, nisi ob necessariam causam, quae sit approbata a praefecto generali et assistentibus, vel fratre ab eis commissionem habente ad extrahendam attestationem ex originalibus, quo peracto in archivio reponentur.

« 20. Si quis fratrum non fuerit aptus ad domus aedificationem et pauperum servitutem, et, cum caritate aliquoties admonitus, incorrigibilem se demonstraverit, praefectus certiorem faciet generalem praefectum, ut iubeat unâ cum assistentibus illi missionem facere, et dimissus a votis absolutus remanebit.

« 21. Et quando quis frater nostrorum, quod Deus avertat, crimen laesae maiestatis tum divinae tum humanae incurrerit, aut fidei suspectae fuerit, seu quodcumque aliud capitale delictum admiserit, expelletur a nostrâ societate, eique illius habitus auferatur.

« 22. Frater praefectus noviter electus rationes sumat a praefecto hospitalis qui munus suum finierit, assistentibus quatuor fratribus discretis recenter electis, et a maiori infirmario, dictusque praefectus petet ab antecessore suo libros et omnes alias scripturas archivii.

« 23. Si quis frater admiserit culpam dignam reprehensione hanc illi praefectus blande et officiose impartietur, et, si culpa fuerit magni momenti, ut iudicet repre-

hensioni adiungere poenitentiam seu punitionem, id prudenter faciet.

« 24. Aderit in omnibus hospitalibus capsa cum tribus clavibus, ubi pecunia reponatur, earumque unam habebit praefectus, et alias duas duo antiquiores discreti, et in ipsâ arcâ duo erunt libri, ut in uno quod recipitur, in altero quod expenditur adscribatur.

« 25. Vocent se invicem titulo *vestrae caritatis* et fratrum, etiam scribendo seu loquendo ad generalem praefectum.

« 26. Continuetur pium et necessarium ministerium, quod introductum reliquit noster frater Petrus a S. Iosepho docendi pueros pauperes legere, scribere et supputare, ac doctrinam christianam in scholâ speciali, quae debet extare in quolibet hospitali; eritque magister unus ex nostris fratribus, animadverso quod is talis sit, cuius virtuti confidi possit bona educatio et doctrina puerorum, et hoc gratis absque receptione solutionis et stipendii alicuius.

« 27. Quoties bis poterit haberi oblectatio ruri vel domui ad arbitrium superioris, ut exinde aliquod detur labori sublevamen; et ita id fiet, ut non desint fratres obsequio pauperum infirmorum.

Caput X. Suffragia et preces, quae debent peragi pro nostris defunctis et benefactoribus.

« 1. Pro quolibet ex fratribus, qui obierint, dicetur in illo hospitali missa solemnis, ut aiunt, de corpore praesenti, et similiter alia nonâ post eius obitum die, curabiturque pro eius animâ celebrari triginta missas planas, et omnia hospitalia, quae sub iurisdictione fuerint praefecti, qui fuerit superior hospitalis ubi frater obierit, ei tres missas planas pro eius animâ facient celebrari, et omnes fratres illius domus ubi defunctus fuerit, novem dierum ab eius morte sequentium spatio pro dicti fratris defuncti animâ applicabunt omnia rosaria, coronas et alia poenitentiae opera, quae fecerint, exceptis illis quae tenebuntur pro benefactoribus applicare; eique applicabunt alias indulgentias, quas consequi procurabunt, prout visitatio quinque altarium, vigore bullae sanctae cruciatae.

« 2. Singulis annis in omnibus nostris hospitalibus uno post Defunctorum Commemorationem die dicetur missa solemnis cum nocturnis et tumulo pro omnibus nostris fratribus defunctis, et finietur cum solemni responso assistentium omnibus fratribus cum cereis prae manibus accensis, idemque fiet in missis, quae cantari debent peculiariter pro quolibet fratre defuncto.

« 3. Exactissimum afferant in observantiâ et servatione constitutionum studium, ut ad litteram observentur, et ad hunc finem in triclinio legentur horâ prandii et coenae omnibus anni sextis feriis.

Conclusio constitutionum.

Omnes istae constitutiones, exceptis votis, non obligant sub peccato eorum transgressores; attamen nos ad earumdem observantiam inviolabilem compellere debet Dei amor, qui nos in illas congregavit, et salutis aeternae desiderium, uti nostrae observantiae praemium ».

Confirmatio relatarum constitutionum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Rodericus procurator generalis constitutiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri et aliàs dictae societatis statui opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret; nos, ipsius Roderici procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum consilio, praefatam societatem confratrum Bethlehemitarum nuncupatam hospitalium pauperum convalescentium in Indiis Occidentalibus in congregationem sub regulâ S. Augustini et suprascriptis constitutionibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; ac easdem constitutiones praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate et tenore praedictis confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea eamdem Congregationem sic a nobis erectam, eiusque confratres, hospitalia, ecclesias et personas quascumque, ab omnimodâ iurisdictione et correctione quorumcumque Ordinariorum locorum, eâdem auctoritate, harum serie, eximimus et plenarie liberamus, ipsamque Congregationem, confratres, hospitalia, ecclesias et personas

huiusmodi sub immediatâ nostrâ et huius sanctae Sedis Apostolicae protectione et subiectione suscipimus. Porro ipsam congregationem, sic erectam, eiusque confratres quoscumque, a solutione quartae funeralis tam saecularibus quam regularibus ecclesiis parochialibus, aliisque locis piis, etiam doctrinae populi Indorum aut aliâ quavis denominatione nuncupatis, debitae, auctoritate praefata, earumdem tenore praesentium, plenissime et amplissime de novo eximinus pariter et liberamus: declarantes huiusmodi exemptionem suffragari debere etiam quoad hospitalia in futurum erigenda et personas commorantes et inservientes intra septa hospitalium, dummodo tamen sepeliantur in ecclesiis dictorum confratrum, et dictae ecclesiae aliàs habeant coemeterium. Insuper eisdem confratribus, ut sanctissimum Eucharistiae sacramentum, debito tamen cum honore et reverentiâ, in ecclesiis dictorum hospitalium assidue et perpetuo asservare et retinere libere et licite possint; utque sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis administrari valeant infirmis et aliis personis supra expressis per capellanos eorumdem hospitalium, dummodo tamen iidem capellani intra septa dictorum hospitalium commorentur; utque liceat eisdem capellanis in dictis ecclesiis divina officia et missas solemnes celebrare, etiam in hebdomadâ maiori, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Denique confratribus dictae societatis, vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, die primâ eorum ingressus in societatem huiusmodi, plenariam; necnon omnibus et singulis ipsius societatis confratribus, ac infirmis morientibus, et personis inservientibus in dictis hospitalibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere similiter poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, itidem plenariam; ac omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere quoque poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictorum confratrum tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, in duabus tantum anni festivitatibus per Ordinarios locorum respective semel tantum designandis, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi, annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua festivitate praefatarum id egerint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae confraternitatis, ac ecclesiarum, Ordinum et locorum piorum quorumlibet aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. martii MDCLXXXVII., pontificatus nostri anno XI.

XXXII.

Confirmat erectionem Universitatis studii generalis in civitate Guatimala in Indiis Occidentalibus (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex supremâ militantis Ecclesiae speculâ pastorales vigilias super universum gregem Domini curae nostrae divinitus commissum iugiter agentes, ac mentis nostrae aciem per omnes christiani Orbis partes sollicite circumferentes, ad ea, per quae christifidelium mentes, depulsis ignorantiae tenebris, scientiae lumine illustrantur, ac sacrarum aliarumque bonarum litterarum studia ad Ecclesiae reique publicae decus et praesidium promoventur, libenter intendimus, munerisque nostri pastoralis partes propensiori paternae caritatis benignitate interponimus, sicut pia orthodoxorum regum de Ecclesiâ Dei multis nominibus optime meritorum vota exposcunt, et nos, locorum, temporum, rerum et personarum qualitatibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, catholicaeque fidei conservationem et propagationem, ac publicam privatamque christifidelium utilitatem, salubriter in Domino expedire arbitramur.

Erectio dictae universitatis sub titulo S. Caroli. § 1. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis expositum fuit, quod, cum in civitate Guatimalae regni Novae Hispaniae in Indiis Occidentalibus, de eius regio assensu et licentiâ, una nova studii generalis Universitas sub titulo seu invocatione sancti Caroli ad instar universitatum studiorum generalium Limanae et Mexicanae fundata ac erecta et instituta fuerit: ipse Carolus rex, provide considerans quantum exinde utilitatis divino cultui et servitio ac catholicae fidei tuitioni et propagationi communique et privato praesertim illius provinciae incolarum subditorum suorum bono sit accessurum, etiam sacros canones et theologiam in eâdem novâ universitate doceri et perlegi, ac facultatum huiusmodi studiosos, peractis studiorum suorum laboribus, condignis graduum scholasticorum honoribus et praemiis decorari posse plurimum desideret. Quare eiusdem Caroli regis nomine fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio erectionis erectae universitatis ad instar illarum Limanae et Mexicanae. § 2. Nos igitur, laudabilia ipsius Caroli regis in Dei obsequium Ecclesiaeque et reipublicae bonum studia plurimum in Domino commendamus, piisque eius postulatis favorabilem assensum, quantum nobis ex alto conceditur, praebere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fundationem ac erectionem et institutionem dictae novae Universitatis studii generalis in praefatâ civitate Guatimalae factas, ut praefertur, cum omnibus et singulis inde ceteroqui legitime sequutis et sequuturis (ita ut in eâdem novâ Universitate tam sacri canones et theologia, quam aliae omnes scientiae et facultates perlegi et doceri, in eisque studiosi, emensis studiorum curriculis, ad quoscumque gradus scholasticos pro eorum meritis et idoneitate, quemadmodum in supradictis Limanâ et Mexicanâ universitatibus fieri consuevit, promoveri valeant), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum in similibus etiam de necessitate observandarum aliosve quoslibet etiam quantumvis formales et substantiales defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo principaliter vel accessorie aut aliàs quomodolibet intervenerint, seu intervenisse, dici, censeri vel praetendi possent, plenissime et amplissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus. Ac eidem novae Universitati studii generalis, sic a nobis confirmatae et approbatae, illiusque rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, procuratoribus, bidellis, nunciis, ceterisque officialibus, ministris et personis quibuscumque nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, quibus praefatae Limana et Mexicana studiorum generalium universitates, illarumque rectores, magistri, doctores, lectores, praeceptores, scholares, procuratores, bidelli, nuncii, ceterique officiales et ministri, ac personae quaecumque respective, tam de iure et consuetudine, quam aliàs quomodolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur et

(1) Ex Bull. ed. taurin. vol. XIX., pag. 767, coll. cum orig. in Arch. Brev.

gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia uti, frui, potiri et gaudere; rectori autem ipsius novae Universitatis pro tempore existenti, ut illos, quos in eâdem Universitate per debitum tempus studuisse, ac scientiâ et moribus idoneos esse repererit, in praefatis facultatibus sive scientiis, quae in ipsâ universitate docebuntur seu legentur, ad baccalaureatus, etiam formati, licentiaturae ac doctoratus et magisterii gradus, servatâ tamen in omnibus et per omnia formâ decretorum Viennensis et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, et aliàs iuxta laudabiles supradictarum Limanae et Mexicanae Universitatum ritus et consuetudines, promovere, solitosque gradus huiusmodi eis conferre et exhibere; ipsis verò ad eosdem gradus per illum sic promotis, ut postea publice privatimque, etiam in aliis universitatibus studiorum generalium, facultates sive scientias praedictas respective alios docere et interpretari, de eis disputare, aliosve actus quoscumque eorum gradibus convenientes exercere libere et licite possint et valeant respective, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore et subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, in terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato aut etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et aliàs in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam

in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCLXXXVII., pontificatus nostri anno XI.

XXXIII.

Confirmat decretum capituli generalis Ordinis eremitarum Sancti Augustini, quo senarius numerus magistrorum Peruanae provinciae ad duodenarium extenditur (1).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum sollicitat, ut fovendis promovendisque inter viros religiosos, vota sua Altissimo in sanctitate et iustitiâ reddere satagentes, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studiis propensâ charitate incumbamus; ac proinde ea, quae consimili consilio statuta atque ordinata esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter corroboramus.

Species facti.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Suazo procurator provinciae Peruanae Ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini, quod (cum aliàs Congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita animadverterit in praefatâ provinciâ Peruanâ nonnullis ab hinc annis numerum fratrum valde excrevisse, ac plurimos ad praesens in illâ esse, qui, studiorum curriculis peractis, digni et idonei sunt, quibus magisterii gradus conferatur), inter alia pro salubri ac felici eiusdem provinciae regimine decreta, sub die XIX. mensis novembris MDCLXXXIII. demandavit, ut in capitulo generali eiusdem Ordinis tunc proxime celebrando de numero magistrorum eiusdem provinciae augendo ageretur; ac subinde idem capitulum generale, ut debitus virtuti honor rependeretur, et fratres praefatae provinciae congruis bonorum praemiis ad sacrarum bonarumque litterarum studia amplectenda et prosequenda alacriores et ferventiores redderentur, re mature perpensâ atque discussâ, ac dilecto filio nostro Palutio tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectore approbante, inter ceteras pro dictâ Peruanâ provinciâ editas ordinationes, senarium eiusdem provinciae magistrorum numerum (si ita nobis placeret) ad duodenarium imposterum extendendum esse sancivit, decretumque hac in re sub titulo pro Peruanâ provinciâ § 11 edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Quoniam praefata provincia, satis ampla lateque extensa, divino favente Numine, viris eximiis abundat, quos debitâ praemiorum vicissitudine non decet esse destitutos, ac eadem sacra Congregatio ad capitulum generale commiserit agere de augendo numero magistrorum: declaratur, in provinciâ Peruanâ duodecim imposterum futuros esse magistros de numero, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, habito respectu proportionatae distributionis, itaut pro natis in Indiis, qui sunt in maiori numero, novem designentur magisteria, et tria pro Hispanis longe paucioribus ».

Decretum capituli generalis.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes decretum huiusmodi in praefato capitulo generali factum, ut firmiter subsistat et exacte servari valeat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illudque executioni mandari debere decernimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in prae-

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

missis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis Praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. ianuarii MDCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XII.

XXXIV.

Confirmat decreta capituli generalis Ordinis Sancti Augustini, quibus prohibetur, ne religiosi provinciarum Mexicanae et Mechoacanensis soli aut cum pallio vel galero incedant (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quod inscrutabilis divinae sapientiae altitudo humilitati nostrae, viribus licet et meritis longe impari, imponere dignata est, paternam christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, curam peculiari charitate assidue gerentes, ea, quae pro felici prosperoque illorum regimine et gubernio provide constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma et illibata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

Decreta praedicta edita fuere a. MDCLXXIII., et MDCLXXXV. innovata.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini, quod aliàs, in capitulo generali dicti Ordinis in hac almâ Urbe nostrâ celebrato de anno MDCLXXIII., pro Mexicanâ et Mechoacanensi provinciis Ordinis praedicti edita et facta fuerunt nonnulla decreta, seu ordinationes, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta capituli generalis a. MDCLXXIII. Romae celebrati edita specialiter pro Mexicanâ et Mechoacanensi provinciis, etc.

« Magister frater NICOLAUS OLIVA Senen., etc. Etsi omnis gloria, etc.

« Quoniam vero audivimus in iisdem Mexicanâ et Mechoacanensi provinciis damnabilem irrepsisse abusum, ut religiosi nostri per urbes, oppida, perque loca, in quibus immorantur, dissociati incedant, pallium et galerum deferentes; idcirco decreto resolutum fuit in congregatione definitoriali capituli generalis, ut stricte, et sub poenis infra exprimendis, prohibeatur, prout nos tenore praesentium prohibemus, ne aliqui ex religiosis nostris praedictarum Mexicanae neque Mechoacanensis provinciarum e conventibus, etiam associati, cum pallio neque cum galèro exire audeant, et per publicas urbium aliorumque locorum vias incedere sine socio; mandantes in meritum salutaris observantiae, et sub poenis privationis graduum et officiorum, aliisque nostro et successorum arbitrio reservatis, ut, quoties religiosis praedictis erit exeundum, serventur praescripta sacrarum nostri Ordinis constitutionum, et postulatâ atque obtentâ a patre superiore licentiâ semper associati incedant, iuxta Christi Domini exemplum, qui apostolos discipulosque suos non solos, sed binos semper mittere consuevit. Romae, die II. iunii MDCLXXIII. ».

« Et sane decretum contra usum pallii et galeri pro praedictis provinciis subinde innovatum et confirmatum fuit in nupero capitulo generali eiusdem Ordinis in eâdem

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. De decretis pro provinciis Indiarum, vide praecedentem constit.; pro duabus vero provinciis memoratis, vide Innoc. XII. constit. editâ MDCXCII., die 28 septembris, pontif. III., et constit. edit. MDCXCIX., die 5 septembris, pontif. IX.

Urbe celebrato de anno MDCLXXXV. per aliud decretum ibidem editum sub titulo pro Mexicanâ provinciâ sub n. x. tenoris qui sequitur: « Innovatur et confirmatur decretum reverendissimi Olivae contra usum pallii et galeri in Mexicanâ et Mechoacanensi provinciis ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, eorumdem decretorum observantia in praedictis provinciis hucusque neglecta fuerit, et de praesenti etiam negligatur, ideoque idem supradictus procurator generalis, quo illa firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, eius votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinserta decreta et ordinationes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praeinserta decreta et ordinationes, ac easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective, sub poenis in eisdem decretis contra transgressores inflictis, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. ianuarii MDCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XII.

XXXV.

Confirmat decretum Cardinalis protectoris Ordinis Praedicatorum circa assignationem dotis pro Universitate studiorum S. Ferdinandi in Indiis occidentalibus (1).

INNOCENTIUS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Petitionis expositio.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Ignatii de Quessada definitoris et procuratoris provinciae S. Catharinae virginis et martyris de Quito in Indiis Occidentalibus Ordinis Praedicatorum in sacrâ theologiâ magistri, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod (cum nobis aliàs, nempe anno MDCLXXXI., pro parte ipsius Ignatii procuratoris fuisset expositum, quod dicta provincia collegium sub titulo B. Ferdinandi regis catholici, Sancti nuncupati, in civitate Quitensi suâ impensâ pro collegialibus saecularibus sub regimine et gubernio religiosorum dicti Ordinis, qui inibi doctrinam doctoris apostolici S. Thomae de Aquino docerent, fundare intendebat)

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

nos collegium huiusmodi fundari approbavimus, ac multa privilegia et gratias pro eo collegio concesseramus, prout dictus Ignatius procurator ex binis nostris litteris, unis videlicet dicto anno MDCLXXXI., alteris vero anno MDCLXXXV. respective in simili formâ Brevis expeditis, constare asserebat, et subinde regius ad id accesserat assensus; postmodum vero fratres dictae provinciae, ut fundatio collegii huiusmodi ad suum effectum reduceretur, primum conventus S. Petri Martyris dictae civitatis Quitensis Ordinis praedicti situm, et quasdam domos ipsi conventui vicinas, pro ipsâ fundatione dicti collegii, et quoddam praedium, seu possessionem, *Tochache*, nuncupatum, et ad dictum conventum legitime spectans, pro congruâ illius personarum sustentatione, deinde provincia praedicta quamdam conficiendo saccaro fabricam, seu machinam, in valle de Pisque, ac duas possessiones, unam in iurisdictione de Loxa, pro manutentione cathedraticorum sacrorum canonum in dicto collegio, alteram vero in valle de Sangolque nuncupatam, iuxta suos notos fines sitas et ad dictam provinciam legitime spectantes, necnon aliqui eiusdem Ordinis fratres nonnulla particularia deposita sibi reservata, seu ad eorum usum permissa, ac demum ipse Ignatius procurator, de licentiâ sui superioris, copiosam bibliothecam, cum diversis picturis in almâ Urbe nostrâ factis et aliis rebus seu ornamentis pro cultu divino, dicto collegio donaverant, concesserant et assignaverant respective; capitulumque provinciale ipsius provinciae fructum cuiusdam censûs annui, ad quadringentos nummos *pezze* nuncupatos annuatim ascendentem, in fabricam dicti collegii, quoadusque illa absolveretur, impendendos, applicaverat; et in eâdem expositione subiuncto, quod, cum prope esset ut fundatio collegii huiusmodi absolveretur in publicam totius illius regni Quinensis utilitatem, iidem fratres dictae provinciae, quo dictum collegium perpetuum in dictis bonis et possessionibus stabilitatem, firmitatem et securitatem consequeretur, nec quidquam ullo unquam tempore circa ea innovari posset, cupiebant donationes, concessiones et assignationes supra narratas, quamdudum (ut dictus Ignatius asserebat) a dilecto filio moderno magistro generali dicti Ordinis approbatas, seu aliâs de eius licentiâ factas, a dictâ Congregatione confirmari: memorata Congregatio Cardinalium supplicem libellum, sibi super praemissis porrectum, remisit dilecto filio nostro Palutio S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato, Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectori, ut, veris existentibus narratis, circa supradictas oratoris preces id statueret quod pro suo arbitrio et prudentiâ in Domino expedire censuisset, prout in ipsius Congregationis decreto desuper die XIV. novembris proxime praeteriti emanato continetur. Ipse vero Palutius Cardinalis et protector, vigore facultatis sibi concessae, decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Palutius tituli basilicae S. Mariae Transtyberim presbyter Cardinalis de Alteriis S. R. E. camerarius, ac totius Ordinis Praedicatorum apud Sanctam Sedem protector. Cum ex parte provinciae S. Catharinae virginis et martyris de Quito, in Indiis Occidentalibus, fratrum Praedicatorum, sacrae Congregationi eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum per reverendum patrem magistrum fratrem Ignatium de Quessada illius procuratorem et definitorem in hac curiâ praesentem expositum fuerit, quod ex concessione sanctissimi domini nostri Innocentii XI. et munificentiâ regis catholici Caroli II. collegium in dictâ civitate Quitensi sub moderamine dictorum fratrum Praedicatorum eorumque regimine, et sub titulo B. Ferdinandi, Sancti nuncupati, cum iure et privilegio in omnibus scientiis quoscumque studentes laureandi, ac aliis, quibus universitates Limana et Mexicana potiuntur, quaeque aliis collegiis regularibus a praefato rege catholico suisque praedecessoribus concessa fuere, erectum fuerit et institutum, seu verius de proximo erigi ac institui debeat, atque ad hoc, ut fundatio huiusmodi sequeretur, ac ad moderatorum illius universitatis sustentationem, conventus S. Petri Martyris, eiusdem civitatis et Ordinis, quasdam domos simul unitas et sitas in plateâ S. Dominici eiusdem civitatis, quaeque sunt dicto conventui conterminae, sub die XVIII. augusti MDCLXXXI. dicto collegio donaverit atque contulerit, ac praeterea tres possessiones, seu praedia stabilia ad ipsum conventum spectantia, sita in valle Tochache, aliud in valle Sangolqui, et tertium in iurisdictione de Loxa, et ultra haec etiam pistrinum ad usum saccari cum suis pertinentiis, quod hispanice nuncupatur *inge-*

Decretum Cardinalis Protectoris.

nium, situm in valle Pisque, sponte etiam et libere concesserit et assignaverit, prout in scripturis et instrumentis huiusmodi donationum et concessionum latius continetur, ad quae relatio habeatur; ac insuper ad eumdem effectum capitulum provinciale celebratum in dicto conventu S. Petri Quitensi die XX. septembris MDCLXXXIV. speciali decreto applicaverit quadringentos annuos patacones in eâ provinciâ iam pridem ad aedificandum destinatos, ut constructioni et fabricae dicti collegii tamdiu impendantur, quamdiu aedificium completum fuerit; diversique fratres particulares dictae provinciae deposita propria ad usum reservata de superiorum licentiâ, et praesertim dictus pater magister de Quessada copiosam bibliothecam in Europa ab eo comparatam, unâ cum pluribus picturis et ornamentis, eidem collegio liberaliter cesserint, donoque attribuerint; horumque omnium et singularum concessionum et donationum confirmationem pro maiori dicti collegii securitate et abundantiori cautelâ a praedictâ sacrâ Congregatione eadem provincia per praenominatum procuratorem enixe et humiliter postulaverit, ipsaque sacra Congregatio, benigne annuendo petitis, sub die XIV. novembris anni proxime elapsi MDCLXXXIII., nobis commiserit ut pro nostro arbitrio et prudentiâ statueremus quae circa praemissa in Domino expedire censeremus: nos igitur, considerantes huiusmodi concessiones bonorum cedere in maiorem Ecclesiae utilitatem et eiusdem Ordinis fratrum Praedicatorum decorem, ac neque conventui et provinciae oneris vel dispendii inde multum oriri, inhaerendo propterea facultati a sacrâ Congregatione specialiter in supra enunciato decreto nobis concessae, volentes, pro nostrâ in dictum Ordinem protectione, speciali gratiâ et favore eum prosequi, visis authenticis documentis nobis exhibitis, ac per visuram veris repertis narratis, post maturam rei discussionem, auctoritate apostolicâ, qua fungimur in hac parte, omnia et singula acta et scripturas et instrumenta donationum, concessionum, unionum et incorporationum praedicto collegio et universitati a conventu S. Petri Martyris civitatis Quitensis et a capitulo provinciali eiusdem provinciae ac generali totius Ordinis fratribusque particularibus in utilitatem praedicti collegii et illius fundationem factarum et applicatarum, a die XVIII. augusti MDCLXXXI. usque ad praesentem diem, cum suis clausulis et conditionibus quae in actis, scripturis et instrumentis huiusmodi continentur, quorum tenores haberi volumus hic pro expressis, approbamus et confirmamus, laudamus ac roboris firmitate munimus, etiamsi in illis servatae non fuerint solemnitates a sacris canonibus et Ordinis ipsius constitutionibus demandatae; quoniam, ad validum earumdem effectum, auctoritate sacrae Congregationis, in eis dispensamus, et tam fratribus dicti conventus S. Petri Martyris, eiusque et provinciae praelatis, et superioribus praesentibus et futuris, quam quibusvis aliis personis adversus illas omnino reclamare prohibemus; ratasque habentes omnes licentias per superiores Ordinis et capitula supra enunciata in gratiam eiusdem collegii datas atque concessas, bona omnia tam mobilia quam immobilia superius expressa, tamquam bona dicto collegio ad illius fundationem, moderatorum sustentationem, professorum theologiae et utriusque iuris cathedraticorum manutentionem destinata, applicata, incorporata, unita, attributa et acquisita, alienari, distrahi et separari posse, alienationis etiam vocabulo latissime sumpto, quocumque praetextu, interdicimus, sub poenis contra alienantes bona Ecclesiae a sacris canonibus et dicti Ordinis constitutionibus indictis et comminatis. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum ex aedibus nostris hac die XIX. martii MDCLXXXVIII. Palutius Cardinalis DE ALTERIIS protector ».

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ignatius prior nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ignatium procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum dicti Palutii Cardinalis protectoris decretum, omniaque et singula in eo contenta, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae

Decretum confirmat.

firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto collegio in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non conventûs, provinciae et Ordinis Praedicatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. iunii MDCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XII.



ALEXANDER VIII.

CONSTITUTIO I.

Confirmat et innovat constitutionem Urbani VIII. pro necessitatibus locorum piorum Terraesanctae (1).

ALEXANDER PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et Domini nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantiam incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni qua fieri poterit maiori honorificentiâ recolantur.

Constitutio Urbani VIII. iniungebat Ordinariis et generalibus Ordinum, ut commendare facerent necessitates locorum Terraesanctae.

§ 1. Cum itaque aliàs felicis recordationis Urbano Papa VIII. praedecessori nostro exposito, quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terraesanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem, et pro sanctae Fidei Catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die III. februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; et, sicut pro parte dilecti filii Bernardi Iosephi a Iesu Maria Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum professoris, ac eiusdem Terraesanctae commissarii et prioris generalis nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae, quae a recolendae memoriae Innocentio X., Clemente etiam X., ac Innocentio XI. Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desideret: nos, eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani praedecessoris litteras apostolicâ auctoritate, tenore praesentium confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus.

Illam constitutionem renovat Pontifex.

Clausulae.

§ 2. Volumus autem ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praefati in relatione status ecclesiarum quando visitabunt limina Apostolorum faciendâ referant se praefatis Urbani praedecessoris et praesentibus nostris litteris paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus insuper ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. novembris MDCLXXXIX., pontificatus nostri anno I.

II.

Indulgentias christifidelibus in Indiis existentibus, et presbyteris Societatis Iesu facultates plurimas concedit ad viginti annos a fine aliorum viginti (2).

---

(1) Ex Bull. Part. Terraesanctae cit. ed. rom.

(2) Ex Bul. R. edit. taurin. vol. XX., p. 46, col. cum orig. in Arch Brev. Aliae indulgentiae Societati Iesu concessae extant in Alexandri VII. constit. editâ MDCLXIII., die 18 iulii, pontif. IX., et Innocentii XII. constit. ed. MDCXCV., die 3 iulii, pontif. V. Alias vero facultates habes in Innocentii X. const. editâ MDCXLVII., die 14 maii, pontif. IV.; item in Alexandri VII. constit. editâ MDCLIX., die 22 februarii. pontif. IV., et Innocentii XII. constit. editâ MDCXCIII., die 1 septembris, pontif. III.

ALEXANDER PP. VIII.

ad futuram rei memoriam.

Preces praepositi generalis Societatis Iesu.

Animarum saluti (1) paternâ charitate intenti, supplicationibus dilecti filii Thyrsi Gonzales Societatis Iesu praepositi generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi:

Indulgentia plenaria conceditur pro christifidelibus omnibus.

§ 1. Omnibus christifidelibus in quibuscumque Oceani Indiis aut Sinarum regione vel Brasiliâ constitutis, praesentibus et futuris, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate et idololatriâ ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam; nec non eisdem, etiam vere poenitentibus et confessis, die (2) S. Thomae Apostoli in Indiis praedictis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu ecclesiis illarum partium Deo vel in honorem Sanctorum erectis, necnon omnes et singulas huiusmodi ecclesias collegiorum, domorum et residentiarum eiusdem Societatis regionum praefatarum saltem inter se per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus festis Domini nostri, B. Mariae Virginis, aut Sanctorum, per dictae Societatis praepositum generalem designandis, visitantibus, et inibi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumentibus, ac pro gentilium et haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam; omnibus etiam et singulis presbyteris quam aliis de dictâ Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae regione vel Oceani insulâ aut navigatione pro Fidei negotio eundo vel redeundo mori contigerit, in cuiuslibet, eorum mortis articulo, saltem contritis et confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter;

Item pro presbyteris aliisque Societatis Iesu.

Necnon pro scholaribus adscriptis confraternitati B. M. V., et pro aliis confraternitatibus.

§ 2. Scholaribus vero in utrâque Indiâ existentibus ac confraternitati B. M. V. ibi canonice institutae adscriptis, qui in Annunciationis et Assumptionis ipsius B. M. V. festis dictum sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et coronam vel tertiam partem Rosarii recitaverint, necnon utriusque sexus christifidelibus aliquam (3) ex confraternitatibus, canonice erigendis ingressis, qui in festivitate SS. Corporis Christi et illius octavâ, poenitentes similiter et confessi, idem Eucharistiae sacramentum sumpserint, et in cuiuslibet eorum utriusque sexus christifidelium mortis articulo, etiam poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, vel saltem contritis, si confiteri et communicari non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Indulgentia decem annorum et alia trium pro dictis scholaribus.

§ 3. Insuper dictis scholaribus huiusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis eiusdem B. Mariae Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus, confessi et contriti, praemissa peregerint, decem annorum de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis; eis quoque, qui in singulis diebus veneris cuiuslibet Quadragesimae devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et haereticorum praefatorum iuxta ritum Ecclesiae Romanae institutis interfuerint, trium annorum; reliquis vero omnibus eisdem processionibus praesentibus, contritis et confessis, unius anni indulgentiam elargimur.

Indulgentia unius anni pro omnibus.

Indulgentia plenaria pro defunctis.

§ 4. Quodque pro animabus eorum christifidelium, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negotio Fidei instituendis ab humanis in charitate Christo coniuncti decesserint, confessi ac sacrâ communione refecti, tertiam partem Rosarii aut unam coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus a poenis Purgatorii liberare valeant;

Privilegium tempore interdicti.

§ 5. Quodque scholares utriusque Indiae huiusmodi, qui in scholis presbyterorum dictae Societatis dant operam litteris, in presbyterorum eorumdem ecclesiis missas vel alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis, ipsique presbyteri iisdem scholaribus praesentibus, ianuis clausis et non pulsatis campanis, et dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, et interdictis ac excommunicatis exclusis, audire et celebrare respective possint, concedimus et indulgemus.

Indulgentia quadraginta dierum, et

§ 6. Insuper praefatis omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in In-

(1) Confer similem Clementis IX. constit. *Animarum saluti*, pag. 386, pr. vol.

(2) Vox *die* aptius deest in loc. parall.

(3) Edit. Main. legit *aliarum* pro *aliquam*.

alia septem annorum ac totidem quadragenarum pro omnibus.

diis et regionibus praedictis existentibus, qui contriti et confessi quamlibet ecclesiam et cappellam in eisdem partibus dictorum presbyterorum Societatis Iesu curâ et operâ ut supra erectam, aut in futurum erigendam, devote visitaverint, et ut supra oraverint, quadraginta dies, et semel quolibet anno, aliquo die festo Domini nostri Iesu Christi, B. Virginis Mariae, aut Sanctorum, quam provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos et totidem quadragenas;

Indulgentiae stationum Urbis pro omnibus.

§ 7. Eisdem, qui aliquam ex praedictis ecclesiis dictorum presbyterorum Societatis Iesu, Quadragesimae et aliis temporibus stationum Urbis, dominicis et feriâ sextâ diebus visitaverint, easdem omnes et singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur si ecclesias et basilicas Urbis in diebus stationum huiusmodi devote visitarent; illisque, qui singulis diebus feriae sextae primae hebdomadae cuiuscumque mensis easdem ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro exaltatione fidei catholicae recitaverint, septem annos; in festis vero Domini nostri Iesu Christi, ac Beatae Virginis, Apostolorum, sub cuius titulo ecclesia consistet, decem annos; his autem, qui aliquam ex dictis ecclesiis, postquam confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, visitaverint, toties viginti annos;

Indulgentia septem, decem, et viginti annorum pro omnibus.

Indulgentia septem annorum ac totidem quadragenarum et aliae viginti quinque, quinquaginta ac centum dierum, pro omnibus.

§ 8. Ac eisdem christifidelibus utriusque Indiae et transmarinorum limitum, qui processionibus et precibus iuxta ritum S. R. E. a praedictis presbyteris de Ordinariorum licentiâ instituendis et agendis Indorum et Æthiopum seu quorumvis aliorum neophytorum et aliorum christianorum interfuerint, et eas associaverint, christianam doctrinam cum eisdem presbyteris vel ab eis deputatis recitaverint vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; invisentibus autem infirmos, et praesertim Indorum hospitalia, xenodochia et alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando, singulis diebus quibus id fecerint, viginti quinque; qui vero, ad infirmos accedentes, ibi pernoctaverint, quinquaginta; eis etiam qui coram B. Mariae imagine, ab almâ Urbe ad collegium civitatis Limae in Perù (ut asseritur) delatâ, tertiam Rosarii partem vel coronam recitaverint, centum similiter dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus, ac respective concedimus et indulgemus.

Facultas pro presbyteris Societatis Iesu permittendi matrimonia inter consanguineos.

§ 9. Praeterea eiusdem Societatis Iesu provincialibus, vel ab eis deputandis presbyteris, cum neophytis provinciarum utriusque Indiae aliarumque maris Oceani regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, iuxta constitutionem felicis recordationis Pauli III. editam, existunt, in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis vel affinitatis, gradibus vel aliàs coniunctis seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen, dispensandi; et insuper ibidem locorum Ordinariis, ut de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum in locis praedictis, et ubi eorum commode potuerit haberi copia, consilio, et cum illis, etiam in iudiciali foro; in reliquis autem provinciis praefatis Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis ultra duas dietas praedictas non minus ducentis millibus passuum remotis, provincialibus et deputatis presbyteris praedictis, cum eisdem neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi, et eos, qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi;

Sumendi fragmenta eucharistiae post sacrificium.

§ 10. Necnon ipsis presbyteris in iisdem Indiis et locis praedictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutia pro tempore interciderint, etiam post peractum sacrificium, absque ullo conscientiae scrupulo, iuxta rubricas missalis romani reverenter sumendi;

Absolvendi a peccatis et censuris.

§ 11. Insuper presbyteris eiusdem Societatis Iesu, quos in Saracenorum et aliorum infidelium terras et alias utriusque Indiae et transmarinas regiones maris Oceani, ad quas Hispani et Lusitani penetrant, ac provincias remotissimas, ubi non est Inquisitio et fideles inter infideles degunt, neque Ordinarii saltem intra duas dietas existunt huiusmodi facultatem habentes, praepositus generalis miserit, christianos in eisdem provinciis, Indiis et regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, sententiis et censuris, etiam in Bullâ Coenae Do-

mini contentis et reservatis, etiam gratiose absolvendi facultatem;

Concionandi, confessiones audiendi et missas celebrandi.

§ 12. Eisdemque, ut, semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad praedicandum, confessiones audiendas et missas celebrandum in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu praedictae, pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulterius licentiam et approbationem ab aliis Episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere seu habere minime teneantur, sed absque illis praemissa facere possint; si vero Episcopus ab ecclesiâ, vel loco ubi praedicatur vel confessiones audiuntur, non distet ultra praedictas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per epistolam etiam impetrari possit;

Celebrandi in altari portatili extra locum et tempus, necnon utendi oleis sanctis antiquis.

§ 13. Possint etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubi non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem vel etiam post meridiem, in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare, et in Maluco, Giappone et aliis insularum, terrarum, provinciarum, et locorum praedictorum partibus et locis, a quibus valde remoti sunt Episcopi, oleis sanctis, per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis, libere uti possint;

Applicandi missas defunctorum per modum suffragii.

§ 14. Necnon ut quicumque ex praedictis presbyteris Societatis praefatae tantum sacrosanctum missae sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vitâ in charitate Christo coniuncti decesserunt, in singulis ecclesiis Societatis Iesu, ad uuum, illorum superiorum arbitrio semel deputandum, altare celebraverint, per modum suffragii iisdem animabus prosint.

Solvendi a voto castitatis.

§ 15. Postremo iisdem presbyteris a praeposito generali ex dictâ Societate deputandis, ut in praedictis regionibus, provinciis et locis, in quibus similiter fideles cum infidelibus vivunt, et non adsunt Ordinarii qui huiusmodi facultatem habeant, quia distant ultra duas dietas, cum neophytis, aliisque ad fidem reductis, ex rationabili causâ et legitimâ, super voto castitatis, non tamen solemni quomodolibet etiam per ordinis sacri susceptionem vel professionis regularis in religione per Sedem Apostolicam approbatâ emissionem facto, et super matrimonio de facto et in facie Ecclesiae sive scienter sive ignoranter contracto, et quovis occulto impedimento, praeter primi gradus, propter quod tale matrimonium in conscientiâ esset invalidum, et contrahentes sine scandalo separari non possent, dispensandi, gratis tamen et in foro conscientiae tantum; ac super bonis male acquisitis, ad quae restituenda ipsi neophyti et alii praefati incertis (1) personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel, si ipsi indigerent, in toto vel in parte remittendi; necnon cum Indis, in foro conscientiae tantum, et cum neophytis in utroque foro, super ieiuniis, gratis tamen, dispensandi; necnon ob onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis vel aliâ rationabili causâ petere, in foro conscientiae tantum et gratis liberandi, licentiamque legendi libros infidelium de licentiâ sui provincialis personis dignis concedendi, licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, respective concedimus et impartimur. Missas quoque per horam ante auroram ipsi patres Societatis celebrare possint, ac cum suis regularibus, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus.

Dispensandi supra impedimentis matrimonii.

Permittendi bona male acquisita.

Liberandi a ieiuniis et super petitione debiti matrimonialis.

Dandi licentiam legendi libros infidelium.

Celebrandi missas et suscipiendi ordines sacros ante tempus.

Qui veniant neophytorum nomine quorum gratia datae sunt dictae facultates.

§ 16. Et insuper, quia a nonnullis dubitatum seu haesitatum fuit an omnes indigenae illarum regionum oriundi et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii etiam in eorum infantiâ baptizati, iure noophyti appellari possint; idcirco tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus, omnes oriundos seu naturales supradictorum omnium tam orientalium quam occidentalium partium, imo etiamsi Æthiopes, Angulani vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii et in infantiâ baptizati, vel etiam inter se vel cum Europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis huiusmodi effectum, esse et intelligi debere neophytos, dictosque presbyteros cum huiusmodi, vel ut matrimonio coniungi, vel in iam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus ac proprie indigena sit in locis, aliàs ut supra, in quibuscumque consanguinitatis vel affinitatis gradibus iure divino ut supra non prohibitis, primo excepto, et aliàs ut praefertur, gratis tamen, dispensare posse concedimus et in-

(1) Edit. Main. legit *in certis*, et ita etiam edit. taurin. tom. XVII., pag. 753.

dulgemus; quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos *mixtos* (1) vocant, maius dubium accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praedictis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare; eisdemque presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Clausulae. § 17. Decernentes, presbyteros dictae Societatis super praemissis et aliis, iuxta facultates praedictas et illarum vigore, servatâ tamen illarum formâ, exequendis, ex quovis alio praetextu vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios superiores et iudices ecclesiasticos et saeculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse; sicque in praemissis per quoscumque iudices, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio. § 18. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ (2) de non concedendis indulgentiis ad instar, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium remotio. § 19. Praesentibus ad viginti annos, a fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiae a felicis recordationis Clemente Papa IX. praedecessore nostro concessae fuerunt, inchoandos, tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXX. martii MDCXC., pontificatus nostri anno I.

III.

Erigit episcopatum Nankinensem in Sinis, illum a dioecesi Machaonensi dividit et metropolitico iuri Archiepiscopi Goani subiicit, ac ius patronatus regi lusitano concedit (3).

ALEXANDER PP. VIII.

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanus Pontifex, beati Petri caelestis regni clavigeri successor Christique vicarius, cuncta mundi climata omniumque nationum in illis degentium qualitates considerat, ac ratione discutit et examinat diligenter. Propterea, ex officii sui debito salutem omnium quaerens et appetens, ea, suadentibus moribus et causis, perpetuâ deliberatione disponit et ordinat, quae divinae maiestati grata fore considerat, et quibus oves suae curae divinitus creditae ad dominicum ovile conducantur, eisdem scilicet aeternae salutis pollicito praemio. Nihil igitur certius et acceptius divinae maiestati esse censetur, quam ut catholicae fidei veritas ad laudem et gloriam divini nominis in omnibus terrae partibus suscipiat incrementa.

Causae dictae erectionis. § 1. Sane, cum carissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris accepisset, in parte australi regni Sinarum, operâ et ministerio variorum religiosorum et aliorum doctrinâ insignium et vitae approbatorum (4) virorum praecipuâ sollicitudine et industriâ laborantium, infinitas propemodum gentes, abiectis inde Satanae tenebris ac idololatriae et gentilitatis haeresumque erroribus, ad catholicam Christi fidem et sanctae matris Ecclesiae gremium amabilissimum conversas reperiri, eisque rationibus religio christiana in illis partibus et dioecesi ecclesiae Machaonensis (quae de iurepatronatus regum Portugalliae ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur) sic longe lateque propagata sit, ut Episcopus Machaonensis pro tempore existens ad illam eiusque fines ob locorum distantiam transmeare, et singulorum vultus, ut Episcopum decet, inspicere, aliasque partes boni pastoris in universum exercere nequeat; quodque illius incolae et habitatores proprio noscebantur pastore indigere, qui praesentiâ suâ ac divino cooperante Spiritu pontificalia omnia in illis partibus exercere posset et deberet; cumque in eâ parte adsit inter cetera unum

(1) In loc. parall. legitur *mestisos.*
(2) Edit. Main. legit *nostrae.*
(3) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

(4) Potius lege *vitae probatae*, prout in locis parall.

oppidum de Nankim nuncupatum, amplitudine, fertilitate et commerciorum frequentiâ celebre, in dicto oppido de Nankim una ecclesia Beatae Virgini dicata, altera inibi existente, maior et principalis, cui eiusdem regis Lusitani missionarii inserviunt, et in qua missae et alia divina officia celebrantur et ecclesiastica sacramenta administrantur, iampridem erecta et fundata existat, cum sacrario ad divinum cultum sufficienter instructo; propterea que dictum oppidum de Nankim a dioecesi Machaonensi dismembrari, et in civitatem, dictamque ecclesiam Beatae Virginis in cathedralem erigi, et in eâ catholicum antistitem et pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsâ fide confirmare, et maiora seminaria plantare, dominicique ovilis septa aedificare, ceteraque pontificalia omnia in illis partibus exercere possit et debeat, omnino expediret; devotionis suae zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per eius litteras humiliter supplicasset:

Dismembratio dicti oppidi a dioecesi Machaonensi.

§ 2. Idcirco nos, maturâ super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis particularis de Propagandâ Fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatae, cui negotium dismembrationis et erectionis huiusmodi discutiendum a nobis remissum fuerat, habitâ deliberatione, oppidum praedictum de Nankim episcopali et civili titulo dignum iudicantes, piisque dicti Petri regis votis libenter annuentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium consilio et assensu, deque apostolicae potestatis plenitudine, oppidum de Nankim praedictum ab ordinariâ iurisdictione Episcopi Machaonensis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo segregamus, dividimus, separamus et dismembramus, illudque, ac eius clerum et populum, quoad legem dioecesanam ab Episcopi Machaonensis superioritate, iurisdictione, potestate, subiectione, visitatione et correctione prorsus eximimus et liberamus, ac oppidum de Nankim praedictum civitatis, illiusque incolas civium nomine, titulo et honore decoramus, illudque in civitatem, quae de Nankim denominetur, et in eo dictam ecclesiam Beatae Virgini dicatam in cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem Beatae Virginis, pro uno Episcopo de Nankim nuncupando, qui illi praesit, ac ecclesiam ipsam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, necnon in eâ et dictae civitatis ac eiusdem ecclesiae dioecesi tot dignitates, canonicatus et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, quot inibi divino cultui et dictae ecclesiae servitio ac ecclesiastici cleri decori sibi videbuntur convenire, de praedicti Petri et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis consilio et assensu, ac praeviâ eorum congruâ dotatione, quamprimum fieri poterit, erigat et instituat, necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, omniaque et singula, quae ordinis, quaeque iurisdictionis, et cuiuslibet alterius muneris episcopalis sunt, et quae alii tam in Portugalliae et Algarbiorum regnis et dominiis quam alibi ubicumque constituti Episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus, de iure et consuetudine, vel aliàs quomodolibet ex privilegiis, gratiis et indultis ac dispensationibus apostolicis, quaecumque fuerint etiam per alias litteras apostolicas eis desuper nominatim et in specie concessa, auctoritate et facultate suffulti facere, et quibus uti solent et possunt, pariformiter, aeque principaliter, et absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si sibi quoque nominatim et in specie concessa et expressa fuissent, etiamsi talia sint quae specialem notam et mentionem requirant et sub generali concessione non veniant, in suâ dioecesi de Nankim facere, gerere et exercere libere et licite possit et debeat, ac pro tempore existenti Archiepiscopo Goanensi iure metropolitico, prout ante separationem et dismembrationem huiusmodi existebat, subsit, cum sede et mensâ, aliisque insigniis episcopalibus, necnon praeeminentiis et honoribus, privilegiis, immunitatibus, et gratiis, spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus ceterae cathedrales ecclesiae regnorum et dominiorum praedictorum similiter de iure vel consuetudine aut speciali privilegio seu indulto apostolico, vel aliàs quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Termini dioecesis dicti episcopatus.

§ 3. Ac eidem sic erectae ecclesiae oppidum de Nankim sic in civitatem erectum pro civitate, et alia oppida, castra, villas, territoria et districtus dictae dioecesis Ma-

dulgemus; quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos *mixtos* (1) vocant, maius dubium accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praedictis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare; eisdemque presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Clausulae. § 17. Decernentes, presbyteros dictae Societatis super praemissis et aliis, iuxta facultates praedictas et illarum vigore, servatâ tamen illarum formâ, exequendis, ex quovis alio praetextu vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios superiores et iudices ecclesiasticos et saeculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse; sicque in praemissis per quoscumque iudices, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio. § 18. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ (2) de non concedendis indulgentiis ad instar, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium remotio. § 19. Praesentibus ad viginti annos, a fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiae a felicis recordationis Clemente Papa IX. praedecessore nostro concessae fuerunt, inchoandos, tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXX. martii MDCXC., pontificatus nostri anno I.

III.

Erigit episcopatum Nankinensem in Sinis, illum a dioecesi Machaonensi dividit et metropolitico iuri Archiepiscopi Goani subiicit, ac ius patronatus regi lusitano concedit (3).

ALEXANDER PP. VIII.

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanus Pontifex, beati Petri caelestis regni clavigeri successor Christique vicarius, cuncta mundi climata omniumque nationum in illis degentium qualitates considerat, ac ratione discutit et examinat diligenter. Propterea, ex officii sui debito salutem omnium quaerens et appetens, ea, suadentibus moribus et causis, perpetuâ deliberatione disponit et ordinat, quae divinae maiestati grata fore considerat, et quibus oves suae curae divinitus creditae ad dominicum ovile conducantur, eisdem scilicet aeternae salutis pollicito praemio. Nihil igitur certius et acceptius divinae maiestati esse censetur, quam ut catholicae fidei veritas ad laudem et gloriam divini nominis in omnibus terrae partibus suscipiat incrementa.

Causae dictae erectionis. § 1. Sane, cum carissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris accepisset, in parte australi regni Sinarum, operâ et ministerio variorum religiosorum et aliorum doctrinâ insignium et vitae approbatorum (4) virorum praecipuâ sollicitudine et industriâ laborantium, infinitas propemodum gentes, abiectis inde Satanae tenebris ac idololatriae et gentilitatis haeresumque erroribus, ad catholicam Christi fidem et sanctae matris Ecclesiae gremium amabilissimum conversas reperiri, eisque rationibus religio christiana in illis partibus et dioecesi ecclesiae Machaonensis (quae de iurepatronatus regum Portugalliae ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur) sic longe lateque propagata sit, ut Episcopus Machaonensis pro tempore existens ad illam eiusque fines ob locorum distantiam transmeare, et singulorum vultus, ut Episcopum decet, inspicere, aliasque partes boni pastoris in universum exercere nequeat; quodque illius incolae et habitatores proprio noscebantur pastore indigere, qui praesentiâ suâ ac divino cooperante Spiritu pontificalia omnia in illis partibus exercere posset et deberet; cumque in eâ parte adsit inter cetera unum

(1) In loc. parall. legitur *mestisos*.
(2) Edit. Main. legit *nostrae*.
(3) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.
(4) Potius lege *vitae probatae*, prout in locis parall.

oppidum de Nankim nuncupatum, amplitudine, fertilitate et commerciorum frequentiâ celebre, in dicto oppido de Nankim una ecclesia Beatae Virgini dicata, altera inibi existente, maior et principalis, cui eiusdem regis Lusitani missionarii inserviunt, et in qua missae et alia divina officia celebrantur et ecclesiastica sacramenta administrantur, iampridem erecta et fundata existat, cum sacrario ad divinum cultum sufficienter instructo; proptereaque dictum oppidum de Nankim a dioecesi Machaonensi dismembrari, et in civitatem, dictamque ecclesiam Beatae Virginis in cathedralem erigi, et in eâ catholicum antistitem et pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsâ fide confirmare, et maiora seminaria plantare, dominicique ovilis septa aedificare, ceteraque pontificalia omnia in illis partibus exercere possit et debeat, omnino expediret; devotionis suae zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per eius litteras humiliter supplicasset:

Dismembratio dicti oppidi a dioecesi Machaonensi.

§ 2. Idcirco nos, maturâ super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis particularis de Propagandâ Fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatae, cui negotium dismembrationis et erectionis huiusmodi discutiendum a nobis remissum fuerat, habitâ deliberatione, oppidum praedictum de Nankim episcopali et civili titulo dignum iudicantes, piisque dicti Petri regis votis libenter annuentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium consilio et assensu, deque apostolicae potestatis plenitudine, oppidum de Nankim praedictum ab ordinariâ iurisdictione Episcopi Machaonensis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo segregamus, dividimus, separamus et dismembramus, illudque, ac eius clerum et populum, quoad legem dioecesanam ab Episcopi Machaonensis superioritate, iurisdictione, potestate, subiectione, visitatione et correctione prorsus eximimus et liberamus, ac oppidum de Nankim praedictum civitatis, illiusque incolas civium nomine, titulo et honore decoramus, illudque in civitatem, quae de Nankim denominetur, et in eo dictam ecclesiam Beatae Virgini dicatam in cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem Beatae Virginis, pro uno Episcopo de Nankim nuncupando, qui illi praesit, ac ecclesiam ipsam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, necnon in eâ et dictae civitatis ac eiusdem ecclesiae dioecesi tot dignitates, canonicatus et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, quot inibi divino cultui et dictae ecclesiae servitio ac ecclesiastici cleri decori sibi videbuntur convenire, de praedicti Petri et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis consilio et assensu, ac praeviâ eorum congruâ dotatione, quamprimum fieri poterit, erigat et instituat, necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, omniaque et singula, quae ordinis, quaeque iurisdictionis, et cuiuslibet alterius muneris episcopalis sunt, et quae alii tam in Portugalliae et Algarbiorum regnis et dominiis quam alibi ubicumque constituti Episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus, de iure et consuetudine, vel aliàs quomodolibet ex privilegiis, gratiis et indultis ac dispensationibus apostolicis, quaecumque fuerint etiam per alias litteras apostolicas eis desuper nominatim et in specie concessa, auctoritate et facultate suffulti facere, et quibus uti solent et possunt, pariformiter, aeque principaliter, et absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si sibi quoque nominatim et in specie concessa et expressa fuissent, etiamsi talia sint quae specialem notam et mentionem requirant et sub generali concessione non veniant, in suâ dioecesi de Nankim facere, gerere et exercere libere et licite possit et debeat, ac pro tempore existenti Archiepiscopo Goanensi iure metropolitico, prout ante separationem et dismembrationem huiusmodi existebat, subsit, cum sede et mensâ, aliisque insigniis episcopalibus, necnon praeeminentiis et honoribus, privilegiis, immunitatibus, et gratiis, spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus ceterae cathedrales ecclesiae regnorum et dominiorum praedictorum similiter de iure vel consuetudine aut speciali privilegio seu indulto apostolico, vel aliàs quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Termini dioecesis dicti episcopatus.

§ 3. Ac eidem sic erectae ecclesiae oppidum de Nankim sic in civitatem erectum pro civitate, et alia oppida, castra, villas, territoria et districtus dictae dioecesis Ma-

chaonensis, iuxta divisionem per eumdem regem, vel Machaonensem, ac de Nankim, et de Pekim, similiter in civitatem erigendi, Episcopos de eiusdem regis commissione inter se faciendam (1), pro dioecesi, necnon ecclesiasticas pro clero, et saeculares personas in civitate et dioecesi huiusmodi pro tempore degentes pro populo, de consilio, potestate et auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus et assignamus; civitatemque, clerum et populum huiusmodi Episcopo de Nankim quoad episcopalem, et Archiepiscopo Goanensi pro tempore existenti quoad metropoliticam ordinariam iurisdictionem et superioritatem, de dictorum fratrum consilio et potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo subiicimus.

Mensae.

§ 4. Necnon mensae episcopali de Nankim huiusmodi, pro eius dote, redditus annuos quingentorum cruciatorum monetae Portugalliae, quadringentos ducatos auri de Camerâ constituentium, per ipsum Petrum regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus rex de suis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum huiusmodi bonis gratiose et irrevocabiliter ad hunc effectum donavit et obtulit, ac solvere quotannis promisit seu promittit, ex tunc, prout ex nunc et ex ea die postquam assignati fuerint, ut praefertur, similiter perpetuo applicamus et approbamus.

Regibus Portugalliae servatur iuspatronatus et praesentandi ad episcopatum et ad alias dignitates et beneficia.

§ 5. Et insuper Petro regi, et pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum regibus praedictis, ius patronatus et praesentandi, ad dictam ecclesiam Nankim videlicet nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici infra annum ob locorum distantiam tam hac primâ vice, quam quoties illa deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem huiusmodi in eiusdem ecclesiae de Nankim Episcopum et pastorem ad praesentationem huiusmodi et non aliàs praeficiendum; ad maiorem vero post pontificalem, ac principales, ac alias dignitates, canonicatus et praebendas, necnon beneficia erigenda, cum de Petri regis et pro tempore existentium regum huiusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primaevâ erectione, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis et ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, Episcopo de Nankim pro tempore existenti praedicto, infra terminum a iure praescriptum, similiter per eum ad praesentationem praedicti Petri regis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum in ipsis dignitatibus, canonicatibus et praebendis, ac beneficiis instituendos (2), etiam eâdem auctoritate pariter reservamus et concedimus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes ius patronatus et praesentandi huiusmodi Petro et pro tempore existentibus regibus praedictis ex meris fundationibus et dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem, etiam consistorialiter, quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri et pro tempore existentium regum praedictorum ad id expressus accedat assensus; et, si aliter quovis modo derogetur, derogationes huiusmodi, cum inde secutis, nullius roboris, efficaciae et momenti fore;

§ 7. Sicque per quoscumque iudices etiam commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedisque praedictae nuncios, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus Lateranensis Concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra distingui et dividi prohibentis, ac regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito et unionibus committendis ac valore exprimendo, quatenus opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae segregationis, divi-

(1) Male edit. Main. legit *faciendi*.

(2) Edit. taurin. legit *instituendas* si praeintelligas *personas*.

sionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subiectionis, applicationis, appropriationis, reservationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu tenerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXC., IV. idus aprilis, pontificatus nostri anno I.

IV.

Erigit episcopatum Pekinensem in Sinis, cuius territorium a dioecesi Machaonensi separat, et cetera statuit uti in erectione Nankinensi (1).

ALEXANDER EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romani Pontificis pastoralis sollicitudo, in supremo apostolicae potestatis solio ex omnipotentis Dei providentiâ constituta, ad ea potissimum dirigitur, per quae Salvatoris nostri Iesu Christi aeterni Patris Unigeniti fides et gloria in dies magis magisque augetur et multiplicatur, qui, ubi messem multam esse comperit, operariorum penuriam attendens, et ministrorum suorum curas variis diei horis ad opera mittere non destitit; cum et ipse, ut homines salutaris vitae et caelestis patriae cultores efficeret, de summis caelorum ad huius mundi infima, et in sacrosanctae crucis arâ pro nostrâ salute in pretium immolari dignatus sit. Cuius cum, licet immeriti, vices geramus in terris, inter multiplices curas, quae ex apostolico munere nobis incumbere dignoscimus, illa praesertim cordi nostro est, ut, multiplicatâ messe, et agri dominici cultores multiplicentur, quorum assiduis operibus et fructuosis ministeriis fructus spiritualis ad centesimum usque augeatur, et populus christianus eisdem rectoribus gubernetur, quos Pater aeternus sui operis ministros esse disposuit. Propterea piissimi patrisfamilias partes favorabiliter implere curamus.

Causae dictae erectionis.

§ 1. Sane, cum carissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris (pio praeponderans affectu quod in toto vastissimo imperio Sinarum, in quo infinitae propemodum gentes ad cognitionem veri luminis et sanctae matris Ecclesiae gremium accesserunt, unica tantum ecclesia cathedralis Machaonensis, quae de iurepatronatus dicti regis ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur et reperiatur, cuius Episcopus ob locorum distantiam singulorum vultum inspicere aliasque partes boni pastoris in universum exercere nequiret; attendens quod in eodem imperio etiam reperiretur (2) inter cetera unum oppidum de Pekim nuncupatum, incolarum multitudine, praesertim christifidelium, ac militum ac magistratuum numero copiose refertum, et ad quod ex omni parte regni Sinarum pars maxima et fere totius imperii divitiae confluunt et merces undequaque advehuntur, et in dicto oppido una ecclesia, Beatae Virgini dicata, aliis inibi existentibus, maior et principalis, cui missionarii eiusdem Lusitani regis inserviunt, et in qua missae et alia divina officia celebrantur et ecclesiastica sacramenta administrantur, iam pridem erecta et fundata existeret, cum sacrario ad divinum cultum sufficienter instructo, propthereaque dictum oppidum de Pekim a dioecesi Machaonensi dismembrari, et in civitatem, dictamque ecclesiam Beatae Virginis in cathedralem erigi, et in eâ catholicum antistitem et pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsâ fide confirmare, et maiora seminaria plantare, dominicique ovilis septa aedificare, ceteraque pontificalia omnia in illis partibus exercere possit et debeat, omnino expediret), devotionis suae zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per eius litteras humiliter supplicasset:

Dismembratio dicti oppidi a dioecesi Machaonensi.

§ 2. Idcirco nos, maturâ super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis particularis de Propagandâ Fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatae,

(1) Ex Tabulario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

(2) Male edit. Main. legit *repertrentur*.

cui negotium dismembrationis et erectionis huiusmodi discutiendum a nobis remissum fuerat, habitâ deliberatione, oppidum praedictum de Pekim episcopali et civili titulo dignum iudicantes, piis dicti Petri regis votis libenter annuentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium consilio et assensu, deque apostolicae potestatis plenitudine, oppidum de Pekim praedictum ab ordinariâ iurisdictione Episcopi Machaonensis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo segregamus, dividimus, separamus et dismembramus, illudque, ac eius clerum et populum, quoad legem dioecesanam, ab Episcopi Machaonensis superioritate, iurisdictione, potestate, subiectione, visitatione et correctione prorsus eximimus et liberamus, ac oppidum de Pekim praedictum civitatis, illiusque incolas civium nomine et titulo ac honore decoramus, illudque in civitatem, quae de Pekim denominetur, et in eo dictam ecclesiam, B. Virgini dicatam, in cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem B. Virginis pro uno Episcopo de Pekim nuncupando, qui illi praesit, ac ecclesiam ipsam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, necnon in eâ et dictae civitatis ac eiusdem ecclesiae dioecesi tot dignitates canonicatus et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, quot inibi divino cultui et dictae ecclesiae servitio ac ecclesiastici cleri decori sibi videbitur convenire, de praedicti Petri et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis consilio et assensu, ac praeviâ eorum congruâ dotatione, quamprimum fieri poterit, erigat et instituat;

Institutio episcopatus ad instar aliorum cum subiectione Archiepiscopo Goanensi.

§ 3. Necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, omniaque et singula, quae ordinis, quaeque iurisdictionis et cuiuslibet alterius muneris episcopalis sunt, et quae alii, tam in Portugalliae et Algarbiorum regnis et dominiis, quam alibicumque constituti, Episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus, de iure vel consuetudine, vel aliàs quomodolibet ex privilegiis, gratiis et indultis, et dispensationibus apostolicis, quaecumque fuerint etiam per litteras apostolicas eis desuper nominatim et in specie concessa, auctoritate et facultate suffulti facere, et quibus uti solent et possunt, pariformiter, aeque principaliter, et absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si sibi quoque nominatim et in specie concessa et expressa fuissent, etiamsi talia sint quae specialem notitiam et mentionem requirant et sub generali concessione non veniant, in suâ dioecesi de Pekim facere, gerere et exercere libere et licite possit, et pro tempore existenti Archiepiscopo Goanensi iure metropolitico, prout ante separationem et dismembrationem huiusmodi existebat, subsit, cum sede et mensâ, aliisque insigniis episcopalibus, necnon praeeminentiis et honoribus, privilegiis, immunitatibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus ceterae cathedrales ecclesiae regnorum et dominiorum praedictorum similiter de iure, vel consuetudine, aut speciali privilegio seu indulto apostolico, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Termini dioecesis dicti episcopatus.

§ 4. Ac eidem sic erectae ecclesiae oppidum de Pekim sic in civitatem erectum pro civitate, et alia oppida, castra, villas, territoria et districtus dictae dioecesis Machaonensis, iuxta divisionem per eumdem regem, vel per Machaonensem ac de Pekim et de Nankim, similiter in civitatem erigendi, Episcopos de eiusdem regis commissione inter se faciendam, pro dioecesi, necnon ecclesias pro clero, et saeculares personas, in civitate et dioecesi huiusmodi pro tempore degentes, pro populo, de consilio, potestate et auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus et assignamus; civitatemque, clerum et populum huiusmodi Episcopo de Pekim quoad episcopalem, et Archiepiscopo Goanensi pro tempore existenti quoad metropoliticam ordinariam iurisdictionem et superioritatem, de dictorum fratrum consilio et potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo subiicimus.

Mensae dos.

§ 5. Necnon mensae episcopali de Pekim huiusmedi, pro eius dote, redditus annuos quingentorum cruciatorum monetae Portugalliae, quadringentos ducatos auri de camerâ constituentium, per ipsum Petrum regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus rex de suis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum huiusmodi bonis gratiose et irrevocabiliter ad hunc effectum donavit et obtulit, et solvere quotannis promisit seu promittit, ex tunc prout ex eâ die et ex nunc postquam assignati fuerint, ut

praefertur, similiter perpetuo applicamus et appropriamus.

Regibus Portugalliae servatur iuspatronatus et praesentandi ad episcopatum, alias dignitates et beneficia.

§ 6. Et insuper Petro regi et pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum regibus praedictis ius patronatus et praesentandi, ad dictam ecclesiam de Pekim videlicet nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici, infra annum, ob locorum distantiam, tam hac primâ vice, quam quoties illam deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem huiusmodi in eiusdem Ecclesiae de Pekim Episcopum et pastorem, ad praesentationem huiusmodi et non aliàs, praeficiendam; ad maiorem vero post pontificalem ac principales et alias dignitates ac canonicatus et praebendas, necnon beneficia erigenda, cum de Petri regis et pro tempore existentium regum huiusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primaevâ erectione, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis et ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, Episcopo de Pekim pro tempore existenti praedicto, infra triennium a iure praefixum, similiter per eum, ad praesentationem Petri regis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum, in ipsis dignitatibus, canonicatibus et praebendis ac beneficiis instituendas eâdem auctoritate pariter perpetuo reservamus et concedimus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes ius patronatus et praesentandi huiusmodi Petro et pro tempore existentibus regibus praedictis ex meris fundationibus et dotationibus competere, illique etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri et pro tempore existentium regum praedictorum ad id expressus accedat assensus, et, si aliter quovis modo derogetur, derogationes huiusmodi, cum inde secutis, nullius roboris, efficaciae et momenti fore;

§ 8. Sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedisque praedictae nuncios, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 9. Non obstantibus Lateranensis concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra distingui et dividi prohibentis, ac regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito et unionibus committendis ac valore exprimendo, quatenus opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subiectionis, applicationis, approbationis, reservationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXC., IV. idus aprilis, pontificatus nostri anno I.

V.

Extenditur senarius numerus magistrorum ad duodenarium in Quitensi provincià eremitarum S. Augustini (1).

ALEXANDER PP. VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Id decretum fuerat in capitulo generali an. MDCLXXXV.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Philippus de Zamora, frater expresse professus et procurator provinciae Quitensis Ordinis eremitarum S. Augustini in sacrâ theologiâ praesentatus, quod (cum in proximo praeterito capitulo generali dicti Ordinis, anno MDCLXXXV. celebrato, pro eâdem provinciâ sancitum fuerit, ut ad illam omnia decreta, quae pro ceteris Indiarum Occidentalium provinciis dicti Ordinis edita fue-

(1) Ex Regest. in Arch. Brevium.

rant, extendenda essent; in eodem vero capitulo generali inter cetera pro Mexicanâ provinciâ eiusdem Ordinis decretum fuerit, quod senarius magistrorum numerus usque ad duodenarium extenderetur, si tamen desuper huius Sanctae Sedis facultas accederet) ipse Philippus procurator plurimum expedire existimat, ut, non obstantibus quibusdam felicis recordationis Clementis Papa VIII. praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litteris super senario in omnibus fere Indiarum provinciis praefatis magistrorum numero non excedendo emanatis, quae incipiunt *Admonet nos*, etc., duodenarius magistrorum huiusmodi numerus pro dictâ provinciâ Quitensi a nobis statuatur, ita tamen, ut, quoad promovendos ad magisterii gradum huiusmodi postulatio a definitorio facienda indispensabiliter requiratur, ac quaedam constitutio recolendae memoriae Innocentii PP. XI. praedecessoris pariter nostri, quae incipit *In supremâ*, etc., pro eâdem provinciâ die XVII. martii MDCLXXIX. edita sub numeris XXVII. et XXVIII., omnino servetur. Nobis propterea dictus Philippus procurator, etiam nomine dictae provinciae, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio decreti iuxta Innoc. XI. constitutionem facienda.

§ 2. Nos igitur, ipsum Philippum procuratorem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, ut de cetero senarius dictae provinciae Quitensis magistrorum numerus ad duodenarium augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; ita tamen ut, in reliquis, ea omnia, quae in supradictâ Innocentii praedecessoris constitutione praescripta sunt, religiose et exacte serventur; salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praefatis, aliisque quibusvis litteris, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et provinciae Quitensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. iulii MDCXC., pontificatus nostri anno I.

VI.

Prohibetur, ne augeantur vel diminuantur sine S. Sedis licentiâ onera solvi solita aerario hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani (1).

ALEXANDER PP. VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Causa constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, quamplurimae et sane gravissimae expensae, quas

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

hospitale Sancti Ioannis Hierosolymitani, iuxta laudabilia ipsius instituta, tam pro assiduis hospitalitatis officiis in proximos exercendis, quam pro diuturnis ad catholicae fidei defensionem et propagationem adversus christiani nominis hostes gerendis bellis sustinere cogitur, certos eiusdem hospitalis redditus, in contributionibus, responsionibus, aliisque quovis nomine nuncupatis oneribus per priores, baiulivos ac praeceptores seu commendatarios dicti hospitalis communi aerario ipsius hospitalis solvi consuetis, ac dudum super prioratibus, baiulivatibus et praeceptoriis, seu commendis hospitalis praefati vigore statutorum seu stabilimentorum ac ordinum capitularium eiusdem hospitalis auctoritate apostolicâ confirmatorum, seu aliàs auctoritate praefatâ impositis consistentes, longe excedant:

Prohibitio praedicta motu proprio facta sub excommunicationis poenâ.

§ 2. Nos, eiusdem hospitalis indemnitati, ac simul, ne maioribus oneribus priores, baiulivi ac praeceptores seu commendatarii praefati, his praesertim calamitosis temporibus, praegraventur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne de cetero magnus magister, ac conventus, fratres, consilium, capitulum generale, et alia tribunalia quaecumque, aliaeve quaelibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes personae, hospitalis praefati sub quovis quaesito colore, causâ vel praetextu, absque nostrâ seu Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ, constitutiones, responsiones, aliaque onera praefata, super prioratibus, baiulivatibus, praeceptoriis seu commendis, et aliis quibuscumque beneficiis hospitalis praedicti, ut praefertur, imposita, augere vel diminuere, seu ut augeantur seu diminuantur permittere aut consentire audeant seu praesumant, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, tenore praesentium interdicimus et prohibemus. Praeterea, quod de cetero contributiones, responsiones, aliaque onera praedicta communi aerario dicti hospitalis, prout hactenus observatum fuit, omnino solvi debeant, earumdem tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 3. Mandantes propterea dilectis filiis magno magistro et consilio dicti hospitalis, omnibusque aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut easdem praesentes litteras in cancellariâ eiusdem hospitalis recipiant et admittant ac registrent, recipique et admitti ac registrari curent et faciant, ac decernentes ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu nostrae aut Sedis Apostolicae intentionis, vel quocumque alio defectu notari, redargui, impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari minime posse; sicque ab omnibus censeri et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac quaecumque dicti hospitalis tribunalia, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: salvâ tamen eisdem magno magistro et consilio facultate in casibus particularibus, prout aequitas et iustitia exegerint, et dummodo trium saltem ex quatuor partibus ipsius consilii per secreta suffragia praestandus ad id accedat assensus, providendi.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali, illiusque magno magistro et conventui, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine paribus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hu-

iusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. augusti MDCXC. pontif. nostri anno I.

VII.

Confirmat decretum Cardinalis protectoris super controversiis de residentiâ generalis, loco capitulorum, aliisque inter generalem et quosdam religiosos Ordinis B. Ioannis Dei Congregationis Hispaniae et Indiarum (1).

ALEXANDER PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

Decisio dictarum controversiarum commissa fuit Cardinali protectori.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum moderni superioris generalis Congregationis Hispaniae Ordinis B. Ioannis Dei, ac Francisci Pretell et Francisci Alvarez de Azevedo fratrum expresse professorum provinciarum Castellae et Portugalliae dictae Congregationis, nobis expositum fuit, quod (cum aliàs nonnullae controversiae inter eumdem superiorem generalem ex unâ, ac dictos Franciscum de Pretell et Franciscum Alvarez de Azevedo, tam proprio quam procuratorio nomine dilectorum pariter filiorum Petri Fernandez de Ayllon, Hieronymi Bacherii et aliorum fratrum dictae Congregationis ex alterâ partibus, de et super loco residentiae eiusdem superioris generalis, necnon convocatione seu celebratione capitulorum generalium et intermediorum dictae Congregationis, ac privatione seu suspensione supradicti Petri ab officio secretariatus Congregationis praedictae, rebusque aliis latius in processu causae deductis, exortae essent) nos negotium huiusmodi remisimus ad dilectum filium nostrum Gasparem S. R. E. presbyterum Cardinalem Carpineum nuncupatum Ordinis praefati apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, ut controversias praedictas, iam pridem in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositâ vertentes, decideret, eisque debitum finem imponeret. Unde idem Gaspar Cardinalis et protector, cum pluries et voce et scriptis utramque partem coram se accersitam audivisset, visis subinde et consideratis dicti Ordinis constitutionibus, documentis publicis, totoque processu causae et causarum in partibus facto, aliisque omnibus necessariis et opportunis mature perpensis, decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum dicti Cardinalis.

« Gaspar titulo S. Mariae Transtyberim S. R. E. presbyter Cardinalis Carpineus, sanctissimi domini nostri Papae Vicarius generalis, et Ordinis beati Ioannis Dei apud Sanctam Sedem protector.

« Cum sanctissimus dominus noster Alexander PP. VIII. peculiari eius rescripto coram nobis exhibito dignatus fuerit arbitrio nostro benigne committere, ut controversias omnes iam pridem in sacrâ Congregatione eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S.R.E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositâ vertentes inter fratres Franciscum Pretell et Franciscum Alvarez Azevedo Ordinis beati Ioannis Dei in regnis Hispaniarum, tam nomine proprio, quam procuratorio fratrum Petri Fernandez de Ayllon, Hieronymi Bacherii, et aliorum in supplici libello SS. D. N. porrecto enunciatorum, ex unâ, ac patrem fr. Emmanuelem de Errera procuratorem generalem dicti Ordinis regni Hispaniarum in Romanâ Curiâ existentem, partibus ex alterâ, de et super residentiâ eiusdem patris generalis, convocatione seu celebratione capitulorum generalium et intermediorum, necnon inquisitione et respective condemnatione supradicti patris fratris Patri Fernandez de Ayllon ob causas de quibus in processu desuper confecto et nobis exhibito, rebusque aliis coram nobis latius deductis, decideremus, ac debitum finem hisce litibus et controversiis imponeremus; cumque ad haec peragenda atque definienda pluries et voce et scriptis utramque partem coram nobis accersitam audiverimus, et deinde visis et consideratis Ordinis praedicti constitutionibus, documentis publicis, totoque processu causae et causarum in partibus facto, aliisque omnibus necessariis et opportunis, visis videndis, mature perpensis, tandem ad omnium harum con-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

troversiarum terminationem vigore praesentis nostri decreti distincte devenire ut infra statuimus:

De residentiâ generalis.

« I. Auctoritate igitur ab eodem SS. D.N. nobis attributâ, volumus atque decernimus, ut in posterum tam pater frater Ioannes de Cabaleda, praesens generalis, quam omnes et singuli futuri et pro tempore existentes generales suam residentiam facere teneantur in conventu, domo seu hospitali designando in futuro proximo capitulo generali suo tempore celebrando, cuius arbitrio atque declarationi totalem huius rei terminationem remittere intendimus, prout praesenti decreto remittimus. Hortamur tamen et in Domino admonemus omnes et singulos vocales, ad quos spectabit dicto capitulo interesse, ut, circa hanc designationem loci seu conventus et hospitalis, id statuant, quod pro bono pacis ac religionis utilitate et incremento expediens esse censuerint; et interim pro eo tempore decurrendo usque ad primum capitulum futurum generale iniungimus patri fratri Ioanni de Cabaleda moderno generali, ut ipse unâ cum totâ suâ curiâ residere teneatur in conventu vel hospitali Matriti, prout ibi residere mandamus:

De loco celebrationis capitulorum.

« II. Item, circa celebrationem capitulorum generalium et intermediorum, pari nostro perpetuo valituro decreto praecipimus, in futurum servandas esse constitutiones Ordinis in capit. XVI. et XXXIX., hoc est semper et in perpetuum praedicta capitula celebranda esse in loco, conventu seu hospitali a patre generali Ordinis eiusque definitorio pro tempore existente designando, quavis assertâ consuetudine in contrarium non obstante, prout etiam in Congregatione Episcoporum et Regularium sub die XVII. martii MDCLXXXIX. resolutum fuit. Proindeque, modo incipiendo a capitulo intermedio ut infra celebrando, praesentis decreti tenore, ac virtute sanctae obedientiae, et sub poenis inferius exprimendis, iniungimus et mandamus eidem patri fr. Ioanni de Cabaleda, ut (nullâ habitâ ratione alterius cuiuscumque convocationis sive a se sive ab aliis, quacumque auctoritate, superioritate et iurisdictione munitis, forsan anno proxime elapso factae, quas tamquam pro non factis haberi et nullius roboris ac momenti esse volumus atque mandamus) statim, visis praesentibus, se conferat ad conventum seu hospitale in civitatem Cordubae, ibique convocet omnes et singulos patres, seu fratres, ex quibus definitorium iuxta canstitutiones Ordinis componitur, ad effectum ut ad tenorem dictarum constitutionum ipse pater generalis cum suo definitorio pro celebratione futuri capituli intermedii determinet seu assignet locum illum sive conventum vel hospitale, quod magis commodum, utile aut necessarium pro rebus religionis agendis atque determinandis eidem definitorio videbitur; quatenus vero, vel temporis angustia, vel motus in religione exorti, et dissidia ad aures nostras cum maximi animi nostri admiratione perventa, non permitterent ut dicti convocatio definitorii in conventu vel hospitali Cordubensi ut supra peragi posset, tunc ad illos seu illa sedanda, prout decet et nos omnino exoptamus atque praecipimus, pro hac vice dictum proximum futurum capitulum intermedium celebretur in conventu seu hospitali Matritensi, prout ibi, ac non alibi, illud celebrari mandamus. Ex hac tamen provisione non intendimus auctoritati ac facultati, dicto patri generali et definitorio competenti, nec in minimo quoad hoc praeiudicari in posterum unquam; sed eam semper salvam et intactam remanere. Si vero dicti loci, conventus sive hospitalis determinatio vel designatio commode fieri valeat, pariter eidem patri generali praecipimus, ut novas litteras convocatorias pro celebratione dicti capituli intermedii (quod sub die III. mensis maii proxime futuri in loco ut supra designando, vel in conventu sive hospitali Matritensi quoties definitorium prout supra convocari nequeat, fieri mandamus) expediat, et sub poenis arbitrio eiusdem patris generalis omnes et singulos vocales, qui debent et possunt commode interesse celebrationi huius capituli, convocet, ut omnes debito tempore valeant in unum convenire:

De electione officialium.

« III. Sicut autem in iisdem constitutionibus Ordinis cap. XXXIX. statuitur, electiones provincialium, priorum, aliorumque officialium faciendas esse in capitulo intermedio, et eius officium per triennium durare ac respective absolvere tempore capituli generalis; ita tamen committimus et mandamus servandam esse pariter dispositionem constitutionum, et ad earum praescriptum eligi novos provinciales, priores et officiales in hoc capitulo intermedio celebrando, illorumque provincialatus, prioratus et officia terminare debere in proximo capitulo generali, perinde ac si fuissent suo tempore electi; ita tamen ut ipsi provinciales, priores et officiales gaudere et

potiri debeant omnibus iuribus, praerogativis et praeeminentiis, ac haberi et reputari debere, ac si integro trienno provincialatus et officia exercuissent, in eisque extitissent, etiam respectu intermediae vacationis, de qua fit mentio in dicto cap. XXXIX. constitutionum Ordinis:

De vocalibus.

« IV. Praeterea, ad tollendas omnes dubiorum causas atque occasiones, declaramus omnes priores, aliosque habentes vocem in capitulo intermedio iuxta tenorem earumdem constitutionum in dictis capite XXXIX. et capite XXV., interesse debere, ac vocem in antedicto proximo intermedio capitulo habere, etiamsi elapsum sit tempus triennale eorum officii, et capitulum intermedium tempore a constitutionibus Ordinis praescripto celebratum non fuerit:

Absolutio patris generalis a censuris et poenis.

« V. Quoniam autem, ut praefertur, pater Ioannes de Cabaleda generalis fuit ex commissione tribunalis nunciaturae publice excommunicatus, privatus voce activâ et passivâ, et in alias poenas condemnatus; propterea, ad omnem bonum finem et cautelam, ipsum patrem generalem absolvendum fore et esse duximus, prout praesentis decreti tenore ad cautelam ab excommunicatione forsan incursâ, ex supradictis facultatibus nobis, ut supra, attributis, absolvimus et liberamus, atque itidem ab omnibus et quibuscumque aliis poenis irrogatis vel comminatis liberandum et absolvendum fore et esse, atque etiam a privatione vocis activae et passivae, prout absolvimus et liberamus, ac proinde eumdem patrem generalem, quatenus opus sit, esse in pristinum restituendum, ipsumque continuare debere seu manutenendum esse in dignitate et munere generalatus, exercitio totali suae auctoritatis et iurisdictionis, necnon iure vocis activae et passivae, omnibus et quibuscumque aliis praeeminentiis et praerogativis, prout in pristinum, quatenus opus sit, restituimus et manutenemus, ac amplius pro hac causâ, seu occasione huius causae, non esse molestandum, prout amplius non molestari mandamus:

Redintegratio patris secretarii.

« VI. Quo vero ad patrem fr. Petrum Fernandez de Ayllon secretarium religionis, dicimus privationem seu suspensionem ab officio secretariatus a patre generali vel eius delegato demandatam, sive ab alio quocumque iudice etiam tribunalis nunciaturae factam, ac similem privationem vocis activae et passivae, necnon poenam relegationis et carcerationis, aliasque poenas, de quibus in sententiâ seu processu, non sustineri; et proinde dicimus et declaramus illas omnes et singulas revocandas esse, prout revocamus et abolemus. Procedentes tamen ex integro, et ex auctoritate nobis demandatâ, decernimus patrem fratrem Petrum Fernandez, ex quo satis fuit ob carcerationem et diuturnam suspensionem ab ipso passam, absolvendum et liberandum esse, prout absolvimus et liberamus, ac in officio secretariatus, illiusque exercitio, voce activâ et passivâ, omnibusque aliis honoribus et praerogativis manutenendum, seu, quatenus opus sit, reintegrandum fore et esse, prout manutenemus, et, quatenus opus sit, reintegramus, et pro hac causâ, pro qua a patre generali inquisitus et condemnatus fuit, amplius molestandum non esse, prout non molestari mandamus, et de et super praemissis perpetuum silentium imponendum fore et esse, prout imponimus. Admonemus tamen atque praecipimus patri fratri Petro Fernandez, ut in posterum, sub quovis praetextu vel quaesito colore, ab usu alearum et taxillorum omnino se abstineat, sub poenâ privationis officii, vocis activae et passivae, omniumque aliorum honorum, praeeminentiarum et praerogativarum, et sub poenis carcerationis aliisque gravioribus arbitrio nostro:

Executio praedictorum omnium.

« VII. Et ita in omnibus servari volumus et mandamus, quibuscumque in contrarium non obstantibus atque stricte patri Ioanni de Cabaleda generali, omnibusque aliis et singulis ad quos spectat, iniungimus atque mandamus, ut statim, visis praesentibus, parere debeant, et hoc nostrum decretum executioni demandare et in actis capituli intermedii registrare, sub poenis, contrafacientibus, privationis dignitatum et officiorum, vocis activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad illas seu illa, nullitatis omnium et singulorum actorum, etiam excommunicationis, aliisque poenis arbitrio nostro incurrendis; ad quas irremissibiliter contra inobedientes, statim habitâ notitiâ inobedientiae, procedemus. Datum Romae, ex aedibus nostris hac die II. februarii MDCXC.

G. Cardinalis CARPINEUS, vicarius et protector et iudex deputatus ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decretum huiusmodi, a memorato Gaspare Cardinali protectore editum, ab utrâque parte unanimi consensu acceptatum fuerit; ac propterea iidem exponentes, illud,

quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum memorati Gasparis Cardinalis et protectoris decretum, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ingnoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, provinciarum, Congregationis et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. octobris MDCXC., pontificatus nostri anno I.

VIII.

Confirmat decretum S. C. de P. F. ab Innocentio XI. approbatum, quo prohibetur Graecis etiam Episcopis, sub quocumque praetextu, absque S. Cong. licentia eleemosynas petere (1).

ALEXANDER PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

Decretum praedictum.

§ 1. Aliàs emanavit a felicis recordationis Innocentio Papa XI. praedecessore nostro, in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum coram ipso Innocentio praedecessore habitâ, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Die XXIX. *ianuarii* MDCLXXVII., *in generali Congregatione de Propaganda Fide, habitâ in palatio apostolico coram sanctissimo domino Innocentio divinâ providentiâ Papa XI. ac eminentissimis et reverendissimis Cardinalibus eiusdem sacrae Congregationis, decretum ne permittatur Graecis, cuiuscumque status et conditionis, etc., pecunias quaestuare vel quovis alio modo eleemosynas petere.*

Causa decreti.

« Cum sancta loca Hierosolymitana, in quibus Verbum caro factum est, et nostrae reparationis mysteria, Deo miserante, completa sunt, hactenus administrationi et custodiae fratribus Sancti Francisci de Observantia a sanctâ Sede Apostolicâ commissa, nuperrimis hisce diebus a Graecis schismaticis, subornatis aulae turcicae ministris, de manu dictorum fratrum Sancti Francisci summo Latinorum dedecore usurpata sint, iis praecipue subsidiis quae ex fidelium christianorum eleemosynis iidem Graeci

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Causa huius decreti fuit custodia locorum Terraesanctae, de quibus vide Innocentii XI. constit. edit. MDCLXXXVI., die 30 aprilis, pontif. X.; vide etiam huius Pontificis constit. edit. MDCLXXXIX., die 18 novembris, pont. I., et constit. edit. die 10 novembris, pontif. II.

perceperunt: ut huic sceleri modus imponatur, neve ex fidelium pietate schismaticis et perpetuis Ecclesiae Romanae hostibus aditus ad novas cumulandas iniurias aperiatur, SS. D. N. Innocentius Papa XI., suorum praedecessorum Summorum Pontificum vestigiis inhaerendo, etiam de consilio et voto emm. et revv. dominorum S. R. E. Cardinalium de Fide Propagandâ praepositorum, omnibus et quibuscumque S. R. E. Cardinalibus a latere Legatis, Nuntiis apostolicis, Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, ceterisque omnibus Ordinariis, de utroque clero saeculari et regulari, ecclesiasticam iurisdictionem tam ordinariam quam delegatam in suis iurisdictionibus sive dioecesibus respective exercentibus, in virtute sanctae obedientiae iniungit atque inhibet, ne de cetero quibuscumque Graecis tam saecularibus quam ecclesiasticis, etiam regularibus, quacumque dignitate, quamvis abatiali, seu archimandritiali, episcopali, metropoliticâ, archiepiscopali sive patriarchali fulgentibus, tacite vel expresse, sub quocumque praetextu, permittant pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas a fidelibus petere, etiamsi de eorum unione cum Ecclesiâ Latinâ per abiurationem schismatis et fidei catholicae professionem in manibus Episcoporum vel inquisitorum contra haereticam pravitatem litteris testimonialibus docuerint, vel per alios Episcopos et locorum Ordinarios similis quaestuationis facultates in scriptis acceperint, vel ad fidem de novo conversi (1) aliorum schismaticorum iram et insidias effugere conati sint, vel ad effectum reparandi ecclesias ab infidelibus dirutas, et non obstantibus aliis quibuscumque praetextibus et causis: imo potius omnes et singulas litteras patentales a quocumque praesule etiam speciali notâ digno et a tribunalibus Curiae Romanae et eiusdem sacrae Congregationis de Fide Propagandâ, dummodo contentis in praesenti decreto specialiter et expresse non fuerit derogatum cum posteriori datâ, statim ac in eorum Ordinariorum manus pervenerint, ad sacram de Fide Propagandâ Congregationem transmittant. Et ne contra praemissorum omnium observantiam allegari possit futuris temporibus ignorantia, eadem Sanctitas Sua, de consilio eorumdem S. R. E. Cardinalium, voluit ut huic decreto, aut etiam litteris ad eius formam expeditis seu expediendis, sive scriptis, sive impressis, ab eiusdem tamen sacrae Congregationis praefecto signatis, sigilloque solito munitis, fides eadem adhibeatur, quae ipsis originalibus praestaretur: non obstantibus quibuscumque etc. Datum Romae die IV. februarii MDCLXXVII.

P. Card. De Alteriis praefectus.

Loco † sigilli.

V. Cerrus secretarius. »

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus Iosephus a Iesu Maria, frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum et tribunalis S. Inquisitionis qualificator, nec non charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici concionator, ac commissarius et procurator generalis in Romanâ Curiâ totius familiae Terraesanctae, nobis nuper exponi fecit, firmiora sint ea, quibus iterata accedit Apostolicae Sedis auctoritas: nobis propterea dictus Bernardus Iosephus humiliter supplicari fecit, ut decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur. Preces commissarii Terraesanctae Minorum de Observantiâ.

§ 3. Nos igitur, ipsum Bernardum Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, a memorato Innocentio praedecessore editum ut praefertur, auctoritate apostolicâ tenore praesentium approbamus et confirmamus ac innovamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Confirmatio relati decreti.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apo- Clausulae.

(1) Edit. Main. legit *converti*.

stolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. octobris MDCXC., pontificatus nostri anno II.

IX.

Innovat tres constitutiones Innocentii XI. pro universitatibus B. Ferdinandi et S. Fidei fratrum Praedicatorum in Indiis Occidentalibus (1).

ALEXANDER PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pro sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studiis ubique locorum et praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus opportune promovendis, pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, et optati exinde fructus ad Dei gloriam, catholicae fidei divinique cultus propagationem, et christiani populi aedificationem, benedicente Domino, consequantur, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

§ 1. Aliàs siquidem emanarunt a felicis recordationis Innocentio Papa XI. praedecessore nostro ternae in simili formâ Brevis litterae tenoris qui sequitur, videlicet:

Prima constitutio, qua universitati B. Ferdinandi concessa fuit facultas conferendi gradus scholasticos.

« Innocentius PP. XI., ad futuram rei memoriam. *Pastoralis officii,* etc. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCLXXXI., pontificatus nostri anno V. (2). »

Secunda constitutio, qua praedictae universitati concessa fuere privilegia universitatis S. Thomae civitatis Monilae.

« Innocentius PP. XI., ad futuram rei memoriam. *Exponi nobis,* etc. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. aprilis MDCLXXXV., pontificatus nostri anno IX. (3). »

Tertia constitutio, qua confirmatum fuit decretum Cardinalis protectoris circa assignationem dotis universitati B. Ferdinandi.

« Innocentius PP. XI., ad futuram rei memoriam. *Nuper, pro parte.* Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. iunii MDCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XII. (4). »

Petitio.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus Ignatius nobis nuper exponi fecit, collegii seu universitatis huiusmodi fundatio sub titulo eiusdem B. Ferdinandi prope memoratum conventum S. Petri Martyris dictae civitatis Quitensis praefati Ordinis fratrum Praedicatorum secuta fuerit, certisque inibi lectorum stipendiis perpetuo stabilitis ac tribus insuper sacrorum canonum cathedris praefatis alia praeterea schola, in qua religiosus dicti Ordinis pueros quoscumque legere et scribere necnon christianae fidei rudimenta charitatis intuitu edoceret, adiecta fuerit, ipsiusque collegii fabrica, pro qua ingens pecuniarum summa erogata fuit, absoluta; dilecti filii fratres praedictae provinciae S. Catharinae de Quito eiusdem Ordinis, illius possessionem cum maximâ incolarum illarum partium gratulatione et laetitiâ, necnon cum venerabilis fratris moderni seu tunc existentis Episcopi Quitensis, regalis audientiae, totiusque tam saecularis quam regularis cleri dictae civitatis interventu solemniter coeperint; ea vero firmiora sint, quibus iterata accedit Apostolicae Sedis auctoritas: nobis propterea (5) idem Ignatius humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.
(2) Vide supra vol. II., pag. 45.
(3) Ibid. pag. 69.
(4) Ibid. pag. 114.
(5) Edit. Main. legit *praeterea.*

infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio et innovatio praedictarum trium constitutionum.

§ 3. Nos igitur, ipsum Ignatium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, iura, facultates, praerogativas, gratias et indulta, necnon donationes, concessiones, assignationes, decreta et alia quaecumque, ad favorem memorati collegii seu universitatis B. Ferdinandi regis catholici, civitatis Quitensis, a memorato Innocentio praedecessore per suas litteras praeinsertas concessa et confirmata respective, ipsasque litteras cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis ac irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiungimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. novembris MDCXC., pontificatus nostri anno II.

X.

Confirmat et innovat constitutionem Urbani VIII. approbantem constitutiones contra occupantes vel ad alios usus convertentes bona locorum Terraesanctae (1).

ALEXANDER PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro fideli bonorum ad sacra loca spectantium conservatione pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Summa constitutionis Urbani VIII. confirmantis illas Sixti V., Pauli V. et Gregorii XV.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus PP. VIII., praedecessor noster, piorum locorum, tam in civitate Hierusalem, quam extra eam in totâ Terrasanctâ existentium, indemnitati consulere volens, recolendae memoriae Sixti V. et Pauli etiam V. ac Gregorii XV. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, tunc suorum, in simili formâ Brevis litteras, super prohibitione quibusvis personis factâ sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, ne quaevis bona ad loca praefata spectantia indebite apud se retinerent, vel in alios usus, etiam quantumvis pios et urgentes, converterent, vel aliàs quoquomodo distraherent, emanatas, auctoritate apostolicâ confirmavit et approbavit; et nihilominus omnibus et singulis utriusque sexus personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub eâdem excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a qua nonnisi ab eo vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possent, districte praecepit et mandavit, ne de cetero cuiusvis generis bona ad loca huiusmodi spectantia, quovis praetextu, causâ vel occasione, apud se retinere auderent seu praesumerent, sed illa eisdem locis, seu illorum agentibus, realiter et cum

(1) Ex cit. Bull. part. Terraesanctae ed. Rom. 1727.

effectu restituerent; et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in eâdem formâ Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet: « URBANUS PP. VIII., ad perpetuam rei memoriam. *Aliàs,* etc. (1). Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCXLIV., pontificatus nostri anno XXI.

M. A. MARIALDUS. »

Confirmat ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus Iosephus a Iesu-Maria frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici concionator, nec non tribunalis sanctae Inquisitionis qualificator, ac commissarius et procurator generalis in Romanâ Curiâ totius familiae eiusdem Terraesanctae, nobis nuper exponi fecit, in diversis christiani orbis partibus plerique res et bona ad loca huiusmodi spectantia non sine gravi animarum suarum pernicie ac eorumdem locorum damno occupare minime timeant, ac proinde ipse Bernardus Iosephus, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae exactius de cetero observentur, illas per nos confirmari et innovari plurimum desideret: nos, piis eiusdem Bernardi Iosephi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsumque Bernardum Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Urbani praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, dictâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X. novembris MDCXC., pontificatus nostri anno II.

(1) Reliqua vide suo loco, vol. I., pag. 224.



INNOCENTIUS XII.

CONSTITUTIO I.

Confirmat et innovat constitutionem Urbani VIII. pro necessitatibus locorum Terraesanctae (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti et tam salutaris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni qua fieri poterit maiori honorificentiâ recolantur.

Ab Urbano VIII. iniunctum fuit Ordinariis et generalibus ut bis in anno exponi curarent necessitates locorum Terraesanctae.

§ 1. Cum itaque aliàs, felicis recordationis Urbano PP. VIII. praedecessori nostro exposito quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terraesanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem, et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus, commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die III. februarii MDCLXXXIV. expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; et, sicut pro parte dilecti filii Bernardi Iosephi a Iesu-Maria, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum professoris, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici concionatoris, necnon tribunalis sanctae Inquisitionis consultoris, ac eiusdem Terraesanctae commissarii et procuratoris generalis, nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae, quae a recolendae memoriae Innocentio X., Clemente etiam X., Innocentio XI., ac Alexandro VIII. Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris confirmtae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desideret: nos, eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani praedecessoris litteras apostolicâ auctoritate tenore praesentium confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus.

Confirmat litteras praedecessorum.

Fides de executione dictarum constitutionum ab Ordinariis exhibenda.

§ 2. Volumus autem ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praefati in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, faciendâ, referant se praefatis Urbani praedecessoris et praesentibus nostris litteris paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

§ 3. Volumus insuper ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. septembris MDCXCI., pontific. nostri anno I.

II.

Vicarium Apostolicum in Insulâ Bornei paulo ante patefactâ constituit Antoninum Ventimiglia ex Clericis Regularibus Theatinis primum eius Insulae missionarium (2).

---

(1) Ex Bull. Part. Terraesanctae etc. Similis confirmatio extat in Alexandri VIII. constitut. edit. MDCLXXXIX., die 18 novembris, pontif. I.; et in huius Pontificis constit. edit. MDCXCVI., die 24 februarii, pont. V., reperitur confirmatio alterius constitutionis pro iisdem locis.

(2) Ex Ferro *Istoria delle missioni Teatine*, t. 2, p. 547, collat. etc.

Dilecto filio Antonino Ventimilia Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum professori,

INNOCENTIUS PP. XII.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Commissa nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut illis quae ad christianae Religionis catholicaeque fidei propagationem faciunt propensis studiis, quantum nobis ex alto conceditur, iugiter intendamus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, tu, qui missionarius apostolicus in Indiis Orientalibus existis, Insulam Bornei, in qua nondum lux Evangelii pervenerat, ingressus fueris, ibique primus Sacrosanctae Crucis vexillum fixeris, nos de tuâ fide, probitate, prudentiâ, pietate, caritate, vigilantiâ et catholicae Religionis zelo plurimum in Domino confisi, sperantesque quod ea quae tibi duxerimus committenda cumulate sis expleturus, ac quo maioris auctoritatis praesidio munitus fueris, eo uberiores fructus in novâ vineâ illâ excolendâ colligere possis, de nonnullorum ex venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei propositae ad id specialiter deputatorum consilio, te in praefatâ Insulâ Bornei Vicarium Apostolicum cum solitis iuribus et facultatibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolicâ tenore praesentium facimus, constituimus et declaramus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

§ 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicariatus Apostolici officium illiusque liberum exercitium iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium spectantibus faveant, pareant et assistant respective, ac tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent: alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus, omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et a verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. ianuarii MDCXCII., pontificatus nostri anno I.

III.

Extendit senarium numerum magistrorum fratrum eremitarum S. Augustini Mexicanae provinciae ad duodenarium (1).

**INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.**

Numerus magistrorum auctum fuit a capitulo generali MDCLXXXV.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii prior provincialis et definitores provinciae Mexicanae in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini nobis nuper exponi fecerunt, capitulum generale dicti Ordinis, anno MDCLXXXV. in almâ Urbe nostrâ celebratum, senarium magistrorum numerum in provinciâ praedictâ, benedicente Domino multum terris diffusâ, usque ad duodenarium extendendum esse censuerit, si nostra et huius Sanctae Sedis facultas desuper accederet; similis vero extensio numeri magistrorum pro Peruanâ et Baeticâ provinciis eiusdem Ordinis, in dicto capitulo generali facta, a felicis recordationis Innocentio XI. et Alexandro VIII. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, per quasdam eorum in simili formâ Brevis litteras die XXII. ian. MDCLXXXVIII. et die XXI. ianuarii MDCXC. respective expeditas, approbata et confirmata fuerit: nobis propterea exponentes praefati humiliter

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

supplicari fecerunt ut sibi pariter in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio praedicta.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero senarius dictae provinciae Mexicanae magistrorum numerus ad duodenarium, servatâ tamen in reliquis quoad promovendos ad magisterii gradum formâ per apostolicas et dicti Ordinis constitutiones necnon specialia ipsius provinciae Mexicanae decreta et consuetudines praescriptâ, augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus recolendae memoria Sixti V. et Clementis VIII. Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum de senario magistrorum numero, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae Mexicanae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. septembris MDCXCII., pontificatus nostri anno II.

IV.

Extendit indultum Clementis X. conferendi nonnullos gradus in collegiis Societatis Iesu civitatum S. Fidei et Quitensis in Indiis Occidentalibus ad alios gradus, et in perpetuum (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Refertur indultum Clementis X. pro gradibus philosophiae et theologiae ad decennium concessum.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clementi Papa X. praedecessori nostro, pro parte tunc in humanis agentis Alphonsi de Alarios presbyteri regularis Societatis Iesu ac procuratoris provinciarum Hispaniae et Indiarum Occidentalium dictae Societatis, exposito, quod, cum metropolitanae S. Fidei et cathedralis Quitensis ecclesiae, in partibus Indiarum consistentes, duo seminaria iuxta formam et dispositionem decretorum Concilii Tridentini in civitatibus S. Fidei et Quitensi respective erexissent, in quibus quamplurimi adolescentes, sub curâ et gubernio clericorum Regularium Societatis praefatae educabantur, ac linguae latinae, philosophiae et sacrae theologiae studiis in collegiis Societatis et civitatum huiusmodi operam navabant, eosque in virtute et doctrinâ progressus faciebant ut animarum saluti et conversioni gentilium (quorum in illis regionibus messis multa, operarii vero pauci) fructuose incumbere valerent; propinquior vero, nempe Limana, studii generalis universitas a S. Fidei mille quingentis, et a Quitensi, civitatibus praefatis, nongentis milliaribus respective distabat, ac proinde alumni seminariorum praefato-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

rum ad eamdem universitatem Limanam, propter locorum distantiam viarumque incommoda ac eorum paupertatem, accedere nequibant, ut ibidem gradus academicos consequerentur, unde flos iuventutis earumdem regionum eiusmodi honore privatus remanebat, non sine Ecclesiae atque reipublicae detrimento; ideoque ipse Alphonsus plurimum cupiebat, eisdem alumnis indulgeri, ut, absolutis studiis, et praevio rigoroso examine, baccalaureatûs, magisterii et doctoratûs in philosophiâ gradus a rectoribus, praefectis et magistris supradictorum collegiorum suscipere valerent, quemadmodum recolendae memoriae Gregorius Papa XIII., etiam praedecessor noster, alumnis seminarii Romani per quasdam suas litteras concessisse reperiebatur: idem Clemens praedecessor, supplicationibus dicti Alphonsi nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XVII. aprilis MDCLXXV. expeditas litteras, praefatis alumnis seminariorum S. Fidei et Quitensis civitatum huiusmodi ut, peractis studiis, praevioque rigoroso examine, baccalaureatûs ac magisterii et doctoratûs in philosophiâ et sacrâ theologiâ huiusmodi gradus in collegiis praedictis ab illorum respective rectoribus, praefectis et magistris suscipere, ipsique rectores, praefecti et magistri eosdem gradus dictis alumnis, servatâ tamen ceteroquin memoratarum Gregorii praedecessoris litterarum formâ et dispositione, conferre libere, licite et valide possent et valerent respective ad decennium a die praesentationis earumdem Clementis praedecessoris litterarum computandum, auctoritate apostolicâ concessit et indulsit; et aliàs, prout in ipsis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces superiorum collegiorum.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii rectores et praefecti studiorum S. Fidei et Quitensis collegiorum praefatorum nobis nuper exponi fecerunt, in eisdem collegiis non solum artium, sive philosophiae et sacrae theologiae, sed etiam decretorum sive sacrorum canonum lectiones habeantur, et ad animarum salutem Ecclesiaeque utilitatem plurimum expediat alumnos praedictos gradibus academicis etiam in decretis sive sacris canonibus huiusmodi, post peracta studiorum curricula, decorari: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio indulti ad omnes gradus scientiarum et in perpetuum.

§ 3. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, veris existentibus narratis, indultum a memorato Clemente praedecessore ad artes et sacram theologiam restrictum, ac ad decennium tantum concessum, ut praefertur, generaliter et indistincte absque ullâ temporis praefinitione ad omnes scientias quae in collegiis supradictis edocentur, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, ampliamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis quae supradictis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. septembris MDCXCIII., pontificatus nostri anno III.

V.

Declarat et ampliat Clementis X. constitutionem pro collegiis S. Fidei et Quitensi, Societatis Iesu in Indiis Occidentalibus de conferendis, tamquam in Universitate, doctoris licentiati et magistri gradibus (1).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Causae constitutionis Clementis X., qua graduati in dictis collegiis censentur tamquam graduati in universitatibus.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clementi PP. X. praedecessori nostro pro parte tunc existentium rectorum collegiorum civitatum Quitensis et S. Fidei novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Societatis Iesu ac praefectorum studiorum earumdem civitatum exposito quod (cum in regnis carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico subiectis una ex qualitatibus, quas habere debebat qui volebat per concursum obtinere canonicatum et praebendam doctoralem vel magistralem cathedralium ecclesiarum dictorum regnorum, haec esset, quod lauream doctoratûs, licentiaturae vel magisterii accepisset in aliquâ studiorum universitate, vel in collegio S. Clementis Bononiensis per bonae memoriae Ægidium Albernotium, dum vixit, S. R. E. Cardinalem fundato, prout in litteris recolendae memoriae Sixti IV. et Leonis X. Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum desuper emanatis uberius dicebatur contineri; in dicto autem novo regno Granatensi nulla adesset universitas studiorum tam sacrorum canonum et iuris civilis quam theologiae, et propinquior universitas esse in civitate Limanâ regni Peruani, quae per quingentas a S. Fidei et per trecentas a Quitensi civitatibus praefatis leucas respective distabat; et dilecti quidem filii clerici regulares dictae Societatis in eisdem civitatibus Quitensi et S. Fidei artes et theologiam docerent, ac praefectus studiorum ibidem, vigore facultatis a piae memoriae Gregorio PP. XIII. etiam praedecessore nostro per quasdam suas litteras incipientes *Quanta in vineâ Domini*, anno Incarnationis dominicae MDLXXVIII., IX. maii emanatas concessae, promoveret ad gradus philosophiae et theologiae, ac lauream doctoris, licentiati et magistri quibuscumque in scholis dictorum collegiorum studentibus conferret, verum dicti studentes a praefato praefecto studiorum ita graduati et laureati, si vellent concurrere ad canonicatus et praebendas doctorales vel magistrales supradictarum cathedralium ecclesiarum, oppositionem haberent, sub praetextu quod non essent iuxta dictas Sixti et Leonis praedecessorum litteras in universitatibus, vel in dicto collegio S. Clementis Bononiensis graduati, et alii concurrentes idcirco illos a concursu excludere tentarent) inde fiebat ut studentes novi regni Granatensis, quo gradibus huiusmodi decorarentur, longum iter ad memoratam universitatem Limanam, civitatibus praedictis ut praefertur propinquiorem, suscipere, magnosque sumptus facere, ac etiam multis maris terraeque periculis se se exponere cogerentur; et in eâdem expositione subiuncto, quod praedictus Leo praedecessor supradictas Sixti praedecessoris litteras, quae ad graduatos in universitatibus studiorum restrictae erant, ad graduatos in dicto collegio S. Clementis Bononiensis extenderat, dicti vero rectores collegiorum et praefecti studiorum earumdem civitatum easdem litteras ad graduatos in dictis collegiis Quitensi et S. Fidei pariter extendi plurimum desiderabant, quo in his collegiis laureati et graduati ad canonicatus et praebendas doctorales et magistrales praedictos concurrere valerent: idem Clemens praedecessor, supplicationibus dictorum rectorum et praefectorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, auctoritate apostolicâ indulsit et declaravit ut laureati in praedictis collegiis Societatis Iesu, donec aliqua publica universitas proximior erecta fuisset, ac si in publicis universitatibus censerentur laureati, ideoque capaces ad obtinenda quaecumque beneficia huiusmodi gradûm publicae universitatis ad praescriptum constitutionum apostolicarum et sancti Concilii Tridentini requirentia redderentur; et aliàs, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXX. maii MDCLXXIV. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

Causae dictae declarationis et ampliationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii moderni rectores et praefecti studiorum S. Fidei et Quitensis collegiorum praedictorum nobis nuper exponi fecerunt, praefatae Clementis praedecessoris litterae ad eos, qui in artibus, sive philosophiâ et sacrâ theo-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

logiâ dumtaxat doctoris, licentiati et magistri gradus in supradictis collegiis susceperint, restrictae videantur, revera tamen in iisdem collegiis gradus huiusmodi, non modo philosophiâ et theologiâ praedictis, sed etiam in aliis omnibus scientiis, quae inibi edocentur, ac praesertim in decretis, sive sacris canonibus, ex novissimo huius Sanctae Sedis indulto conferantur: nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declaratio et ampliatio ad alios gradus.

§ 3. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictâ auctoritate tenore praesentium declaramus, indultum a memorato Clemente praedecessore concessum, ut praefertur, intelligendum esse etiam de iis, quibus in collegiis praedictis iidem gradus in decretis seu sacris canonibus supradictis collati fuerint; et nihilominus, quatenus opus sit, idem indultum ad eos, qui inibi dictos gradus etiam in decretis sive sacris canonibus huiusmodi, sicut praemittitur, susceperint, servatâ tamen ceteroqui praedictarum Clementis praedecessoris litterarum formâ et dispositione, auctoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in supradictis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. septembris MDCXCIII., pontif. nostri anno III.

VI.

Confirmatur decretum Congregationis Concilii, quo conceditur vicariis generalibus Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum in Indiis facultas eiiciendi inquietos et incorrigibiles (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Causa dicti decreti.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii moderni vicarii et procuratoris generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum exposito quod (cum in constitutionibus dicti Ordinis, cap. VI., dist. V., soli magistro generali pro tempore existenti eiusdem Ordinis, cum assistentiâ tamen sex religiosorum ipsius Ordinis, tribuatur facultas cognoscendi de causis fratrum inquietorum et incorrigibilium ipsius Ordinis, itaut, postquam de iis congnoverit, atque in illis rationes et circumstantias a constitutionibus praedictis requisitas adesse compererit, ipse solus magister generalis ad sententiam eorum eiectionis, iuxta formam in eisdem constitutionibus praescriptam, procedere possit; Ordo vero praefatus longe lateque diffusus in Indiis reperiatur) inquietorum et incorrigibilium fratrum huiusmodi in tam remotis partibus degentium

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. In huius Pontificis constitut. edit. MDCXCI., die 7 decembris, pont. I., extat confirmatio constitutionum huius Ordinis, et in Clementis XI. constitut. ed. MDCCII., die 29 martii, pont. II., habetur earumdem moderatio.

scandalis et perturbationibus opportunum remedium adhibere nequibat; ac proinde pro parte dicti vicarii et procuratoris generalis praedictis Cardinalibus supplicato, ut ad duos Vicarios generales dicti Ordinis in eisdem Indiis commorantes praedicti magistri generalis facultatem extendere dignaretur, itaut eorum quilibet, itidem cum assistentiâ aliorum sex digniorum religiosorum in casibus necessariis, iuxta earumdem constitutionum praescriptum, ad inquietorum et incorrigibilium fratrum huiusmodi eiectionem procedere possit; qua ratione regularis observantiae ac divini servitii conservationi in partibus supradictis opportune consultum foret: emanavit a praedictâ Cardinalium Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Die v. septembris MDCXCIII. sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, attentâ relatione eminentissimi domini Cardinalis Ottoboni Ordinis praedicti protectoris, censuit petitam facultatis extensionem concedi posse, facto verbo cum Sanctissimo; et factâ per per secretarium sub die XXVII. eiusdem mensis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, accedente consensu generalis pro tempore, et iuxta normam in decreto de apostatis et eiectis praescribendam ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus vicarius et procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi vicario et priori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIV. octobris MDCXCIII., pontificatus nostri anno III.

VII.

Constitutiones Gregorii XI., Sixti IV. et Iulii II. super facultatibus S. R. E. Cardinalium protectorum Ordinum regularium confirmat et reformat (1).

INNOCENTIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ex causis huius constitutionis petitum.

Christifidelium, qui, spretis saeculi huius illecebris, sub suavi religionis iugo, divini Numinis sese manciparunt obsequiis, salubriori regimini et felicioribus in Domino progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere satagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium rerum negotiorumque varietatibus obsidemur, ad illam quoque nostrae considerationis aciem dirigimus, per quam huiusmodi religiosorum Ordines, S. R. E. Cardinalium protectioni commissi, ita eiusdem protectionis perfruantur subsidio, ut claustralis

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

disciplinae vigor illibatus permaneat, institutique observantia sarta tecta servetur, ac propterea, quae curae huiusmodi protectorum, et quae curae censurae superiorum regularium respective et magis apte conveniunt, congruâ distinctione ordinentur, seu potius, quae respectu alicuius Ordinis per Romanos Pontifices praedecessores nostros proinde desuper ordinata noscuntur, quoad illum confirmationis nostrae munimine constabiliantur, et quoad eumdem et alios Ordines, praefatis protectoribus sive similiter sive dissimiliter commendatos, pro unâ eâdemque regulâ, ad limites tamen praesentium, pariformiter constituantur.

§ 1. Sane, licet S. Franciscus de Assisio in eius regulâ, per Sedem Apostolicam confirmatâ, hisce verbis praecepit: « Per obedientiam ad hoc iniungo ministris, ut petant a domino Papa unum de S. R. E. Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem S. R. E. stabiles in fide catholicâ paupertatem et humilitatem et sanctum evangelium domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promittimus, observemus »; nihilominus nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri protectoris huiusmodi facultates declarandas, finesque, quibus illae concludi deberent, praescribendos esse, in Domino existimarunt, suisque desuper editis litteris decreverunt.

Moderatio facultatis Cardinalis protectoris pro Ordine fratrum Minorum a Gregorio XI. facta.

§ 2. Cum enim aliqui eorumdem protectorum suam potestatem nimium extendisse dicerentur in pluribus, ex quibus in Ordine Minorum graves perturbationes et scandala fuissent exorta, felicis ricordationis Gregorius Papa XI. praedecessor noster suis VI. kalendas iunii pontificatus sui anno III. expeditis litteris, ut idem Ordo in suâ primaevâ quiete permaneret, de virtute in virtutem iret assidue, et, quibuslibet amotis praepedimentis, eradicatisque spinis et tribulis, fructum non solum consuetum, sed etiam uberiorem afferret, ad radicalem submotionem turbationum et scandalorum huiusmodi iam exortorum, et ne orirentur in posterum providere, ac eiusdem Ordinis pro tempore existentibus protectoribus transgressionis suae potestatis occasionem tollere efficaci remedio cupiens, auctoritate apostolicâ eisdem protectoribus districtius inhibuit ne praesumerent quaecumque ordinata, statuta sive disposita, aut ordinanda, statuenda seu disponenda per generalia vel provincialia aut custodialia capitula infringere, reprobare, còrrigere, suspendere aut dispensare super his seu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contra praemissos articulos in praefatâ regulâ, ut praefertur, positos, vel aliquem ipsorum, existeret manifeste; aut quemcumque praelatum seu officialem dicti Ordinis, seu alicuius loci eiusdem, quocumque nomine nuncuparetur, ponere seu instituere, aut deponere, destituere seu privare, aut a suo officio suspendere seu impedire super eius libero exercitio quovis modo; aut aliquem fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum aut quamcumque lecturam seu studium vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, seu etiam revocare; aut de loco ad locum mittere aut mutare, sive alicui fratrum eorumdem eundi ad quodcumque monasterium, vel locum alium, vel domum, vel aliquam personam, licentiam impartiri; et ne insuper quemvis singularem fratrem memorati Ordinis de quocumque crimine vel delicto punire, vel a poenâ seu poenitentiâ liberare, aut eam minuere, augere vel immutare; aut etiam alicui fratri locum, cameram, cellam, libros vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius usui deputare; aut quemcumque, per praelatos eiusdem Ordinis aut alios deputatum, quomodolibet amovere; nec etiam de rebus aut correctione fratrum dicti Ordinis, nisi in casibus praemissis contentis in praefatâ regulâ, seu eorum aliquo, se aliquatenus intromittere quovis modo, itaut dictus Ordo seu fratres eiusdem Ordinis in nullo subessent futuris protectoribus, nisi in casu in quo ipsorum fratrum communitas vel generale capitulum (quod abesset) a praedictis articulis vel eorum aliquo deviassent; alioquin, si secus fecissent, id decrevit irritum et inane. Et nihilominus fratres qui contra eiusmodi inhibitionem quidquam impetrassent, seu, post inhibitionem eiusmodi, usi fuissent etiam per alios impetratis, punirentur illis poenis, quibus fuissent prò gravibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi, et nihilominus essent actibus privati legitimis, et a suis, si quae habuissent, suspensi officiis ipso facto. Ceterum memoratus Gregorius praedecessor eosdem futuros protectores hortatus fuit attentius, quod per facti efficaciam sic nominis sui officii procurarent effectum, ut Ordo ipse per eos non laederetur in aliquo, sed potius ab adversis, pro tempore forsan im-

minentibus, sub opportuno defensionis clypeo protegeretur et a noxiis praeservaretur: sic acturi provide, et aequitatis ac modestiae limites servaturi, ut non traheretur ad noxam, quod provisum fuerat ad salutem, sed ex charitativis gestis eorum Ordo praefatus quietem et consolationem perciperet, et ipsi protectores magnum apud Deum praemium sortirentur, et super contrario non oporteret dictae Sedis providentiam aliud remedium adhibere.

Confirmata et declarata fuit dicta moderatio Gregorii XI. a Sixto IV.

§ 3. Successive recolendae memoriae Sixtus PP. IV., etiam praedecessor noster (qui, cum sibi in minoribus constituto memorati Ordinis generalis cura et administratio incubuisset, saluberrimum opportunum et necessarium dicto Ordini fuisse conspexerat, ut protectores, ultra praefixum ab eiusdem Ordinis regulâ, auctoritatem non extenderent, nam expertus fuerat et viderat quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda praefato Ordini et fratribus eiusdem ex firmâ et inconcussâ praefatarum litterarum dicti Gregorii pariter praedecessoris observantiâ provenerant, quae et quantae perturbationes, iacturae, incommoda, damna et gravia scandala in dicto Ordine suscitata fuerant, quoties illius protectores, suae auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis et fratrum eiusdem causis et negotiis se intromittere, et usurpatâ sibi auctoritate ea videre, cognoscere, iudicare et decernere voluerant), cupiens ut religio et Ordo praefatus, quem affectuosissimâ charitate complectebatur, utpote quia in eo a teneris annis enutritus, et doctrinâ ac regularibus disciplinis et moribus institutus fuerat, quieto consistens statu, virtutibus et meritis augeretur et multiplicaretur, ut fidei catholicae et christianae reipublicae augmentum et multiplex ac solidum fundamentum ex eiusdem Ordinis fratrum operibus et exemplis, sapientiâ, splendore, ac fructuosis studiis et praedicationibus provenirent, promptissimo et liberali animo, uti dignum censuit et debitum, ut ea, quae pro ipsius Ordinis quiete, pace, tranquillitate et prosperitate a Romanis Pontificibus praedecessoribus provide statuta et ordinata fuerant, illibata perdurarent, suae approbationis munimine solidavit, interpretatus fuit et declaravit, prout ipsius Ordinis tranquillitati conspexit salubriter expedire. Praemissâ igitur dictarum memorati Gregorii praedecessoris litterarum insertione, ac praeviâ huiusmodi narrativâ, idem Sixtus praedecessor, ut de cetero ipsius Ordinis professoribus omnis evagandi extra religionem occasio tolleretur, et vera suis praelatis obedientia, in qua religionis verum et solidum fundamentum et robur consistit, exhiberetur, praefatique Ordinis et fratrum eiusdem negotia et causae, non alibi, neque per alios, quam in ipso Ordine et per ipsius praelatos tractarentur, agitarentur, iudicarentur et determinarentur, tunc existentis generalis dicti Ordinis ministri ac totius generalis capituli in hac parte supplicationibus inclinatus, inhibitionem ac litteras praefatas memorati Gregorii praedecessoris auctoritate apostolicâ suarum tenore litterarum approbavit, et robur perpetuae firmitatis obtinere debere decrevit. Et per eas protectori praefato pro tempore existenti, nisi in illis casibus et articulis in regulâ dictorum fratrum expressis et praefati Gregorii praedecessoris litteris declaratis, neque in illis, dum non universi, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quovis numero a fidei unitate, sacrosanctae Romanae Ecclesiae obedientiâ deviarent, vel regulam praefatam non servarent, de eorumdem deviantium et non observantium regulam correctione aut reductione ac aliis quibuslibet causis et negotiis dicti Ordinis se intromitteret, inhibitum fuisse, dictâ auctoritate decrevit et declaravit. Hortatusque fuit illum, qui ad officium protectionis huiusmodi (quod tunc per obitum bonae memoriae Bessarionis Episcopi Sabinensis, dicti Ordinis, dum viveret, protectoris, vacabat) assumi et deputari contigisset, et ipsius successores dicti Ordinis protectores, ac eis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo inhibuit, ne, extra praedictos articulos et casus in regulâ praefatâ contentos et expressos, nec etiam in illis, cum non universus Ordo, sed aliqua ipsius pars vel speciales personae errarent, ipsorum fratres querelas audire, seu de ipsorum causis et negotiis contra litteras et declarationes huiusmodi intromittere se quoquo modo praesumerent; sed curarent, vigilarent et intenderent, uti erat eorum officium, et praedicti Sancti Francisci et praefatae Sedis intentio fuerat, ipsum Ordinem in quieto, tranquillo et pacifico statu conservare et augere, et ab impugnantibus, molestantibus et perturbantibus protegere, defendere et tueri, ne, secus agendo, Ordinem praefatum non solum non protegerent, conservarent et exaltarent, ut tenebantur, sed, in animarum suarum perniciem

et dicti Ordinis detrimentum et scandalum, perturbarnet, destruerent et confunderent, ut in eiusdem Sixti praedecessoris anno Incarnationis dominicae MCDLXXII, V. kalendas februarii, pontificatus anno II., expeditis litteris continetur.

Approbatio dictae moderationis Gregorii et declarationis Sixti a Iulio II. edita.

§ 4. Quas, ac alias praefatas memorati Gregorii praedecessoris litteras, piae memoriae Iulius Papa II. etiam praedecessor noster, qui in minoribus constitutus, cardinalatûs honore fulgens, dicti Ordinis protector vigintisex annis et ultra fuerat, dictosque fratres tamquam peculiares filios in visceribus charitatis gerens, eadem commoda et tranquillitatem sinceris affectibus exoptabat, praeviâ ambarum praefatarum insertione, aliis suis litteris sub datum anno Incarnationis praefatae MDVIII., idibus octobris, pontificatus sui anno IV., approbavit, ac earumdem suarum litterarum patrocinio communivit.

Confirmatio constitutionum praefatorum Pontificum motu proprio facta.

§ 5. Cupientes itaque et pluries animo attente revolventes etiam in hac parte apostolicae sollicitudinis studium apponere, ac nolentes salutaris provisionis remedium iamdiu a nobis praemeditatum, ac etiam a quampluribus diversorum Ordinum regularibus suppliciter petitum, diutius differre, dictorumque Romanorum Pontificum praedecessorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum pietate, doctrinâ, prudentiâ et rerum usu praestantium ad hunc effectum de mandato nostro congregatorum consilio, praefatas memoratorum Gregorii, Sixti et Iulii praedecessoris litteras tenore praesentium approbamus, confirmamus et innovamus, et ad primaevum statum, pristinumque usum reducimus et reintegramus, illisque in omnibus et per omnia perpetuum et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Extensio earumdem constitutionum ad omnes Ordines, religiones et congregationes utriusque sexus.

§ 6. Insuper, ut in omnibus et singulis quorumcumque regularium Ordinibus memoratorum protectorum curae commissis, seu committi consuetis, una eademque et pariformis huiusmodi protectionum sit et perpetuo esse debeat regula et disciplina, omnia et quaecumque, tam in praefatorum praedecessorum ut praefertur confirmatis, quam in praesentibus nostris contenta, in omnibus et singulis sive S. Francisci sive cuiuscumque alterius regulae vel instituti ac quomodocumque erectis, reformatis seu existentibus, ac erigendis, reformandis seu futuris et quomodolibet nuncupatis seu nuncupandis Ordinibus, religionibus, congregationibus vel reformationibus, tam virorum quam mulierum, curae protectorum Ordinis, cuius illi seu illae existunt, generaliter commissorum seu commissarum, observanda, attendenda ac omnimodae executioni demandanda esse et fore, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valiturâ constitutione, sancimus et mandamus. Et nihilominus, ne huiusmodi protectores in aliquibus negociis, causis seu rebus, quae universum Ordinem seu totum corpus religionis non concernunt, ex quacumque causâ, occasione, titulo seu praetextu, sese quoquo modo intromittant seu ingerant, etiam tenore praesentium penitus prohibemus, statuimus atque decernimus.

Revocatis protectorum facultatibus, Cardinalium Congregationi conceduntur omnes appellationis gradus.

§ 7. Hinc, cum (retento praefatarum a nobis confirmatarum et ad omnes Ordines regulares extensarum ac praesentium nostrarum litterarum themate) congruere et in consequentiam venire videatur, ut memorati protectores etiam a cognitione et definitione causarum, seu litium, vel negotiorum dictos regulares, vel eorum bona, iura, domos, aliaque ut praefertur particulariter concernentium, pariter seu magis abstinerent; vice autem versâ causae et lites, instantiae, petitiones vel negotia huiusmodi, sive ex indultis, privilegiis aut constitutionibus apostolicis, sive ex regulis, vel statutis, seu ordinationibus aliquorum Ordinum, sive ex declarationibus vel decretis dictae S. R. E. Cardinalium aliquibus Congregationibus praepositorum, sive ex usu vel quacumque consuetudine, in aliquâ instantiâ, seu gradu cuiuscumque appellationis vel recursûs, a memoratis protectoribus seu eorum aliquibus hactenus cognita, examinata, seu iudicata fuerint, vel cognosci, examinari seu iudicari potuisse vel debuisse dignoscerentur seu praetenderentur: propterea, ut modus, forma, et ordo in praefatis confirmatis et extensis ac praesentibus nostris litteris constituti suum plenarium et consimilem etiam in hac parte sortiantur effectum, omnibus et singulis praefatis indultis, privilegiis, constitutionibus, regulis, statutis, ordinibus, declarationibus, decretis, usibus et consuetudinibus (quorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti

essent, pro plene et sufficienter expressis habemus) plenissime et amplissime, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus, illis aliàs in suo robore permansuris; ac, quamcumque instantiam, sive gradum cuiuscumque appellationis vel recursûs coram protectoribus seu ad protectores huiusmodi removentes, tollentes, seu recusantes, quamcumque instantiam prout de iure et iuxta Ordinis instituta relinquimus, et cuiuscumque appellationis seu recursûs gradum, quem singulis Cardinalibus protectoribus tenore praesentium omnino et absolute adimimus, ipsis Cardinalibus insimul tamen in Congregatione negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositâ convenientibus earumdem tenore praesentium restituimus, concedimus, tribuimus et impartimur, seu verius utrumque seu duplicem appellationis gradum, qui super praemissis prius ad Cardinales protectores praefatos, et successive vel respective, omisso medio, ad memoratam Congregationem devolvebantur, in eâdem Congregatione consolidamus, annectimus et unimus, et ad unum cognitionis seu appellationis gradum reducimus.

Revocantur ad novam formam protectorum facultates aliqua agendi, vel aliquos deputandi.

§ 8. Ad haec, cum pariter ex indultis, privilegiis seu constitutionibus apostolicis, vel ex regulis, statutis seu ordinationibus, sive ex usibus et consuetudinibus, vel aliàs quoquo modo, aliqua nonnullos praelatos, superiores, seu alios in aliquibus Ordinibus eligendi seu deputandi, vel alia quaeque facultas seu auctoritas nonnulla quaecumque gerendi, committendi, mandandi, demandandi seu ordinandi, praefatis protectoribus seu aliquibus eorum quomodolibet attributa, commissa, commendata, seu demandata specialiter vel generaliter contra formam praefatarum Gregorii et Sixti praedecessorum litterarum existat: hinc nos huiusmodi electiones seu deputationes ad limites sacrorum canonum seu regularum et instituti, vel ad modum et formam in comitiis generalibus seu per nos auctoritate apostolicâ statuendum et statuendam, reducimus, et reductas esse volumus et mandamus.

Protectorum facultates congregationibus conceduntur.

§ 9. Quo vero ad cetera, facultatem seu auctoritatem, quam iisdem singulis Cardinalibus protectoribus in praemissis et circa ea penitus adimimus, eorumdem Cardinalium Congregationibus, iuxta cuiuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, similiter restituimus, concedimus, tribuimus et impartimur; sub eâ tamen moderatione seu declaratione, ut praefatae congregationes in illis dumtaxat, quae ad protectores huiusmodi ex constitutionibus et ordinationibus apostolicis, seu ex statutis, regulis vel constitutionibus cuiuslibet respective Ordinis, non autem ex usu, consuetudine, vel aliàs spectarent, loco eorumdem protectorum subrogentur et subrogatae sint et intelligantur.

Congregationes a quo petere debeant votum, vel committere informationem et executionem.

§ 10. Quia vero saepe saepius contingit, ut in causis seu negotiis, quae in memoratis dictorum Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur super expositis informatio, ac quandocumque etiam votum, seu delegetur resolutorum exequutio, eamdem proportionem seu distinctionem, quam praemisimus, etiam in hac parte servari mandamus, ut nimirum in respicientibus totum Ordinem protectorum curae ut praefertur commissis seu relictis, iisdem protectoribus; in ceteris vero casibus et negotiis, superiori generali seu procuratori generali, et in utroque seu alterutro casu, etiam congregationi, sive assistentium, sive definitorum, sive consultorum, sive aliter quomodocumque nuncupatae, hîc in Urbe vel in alio Italiae loco existenti, in qua Ordinis negotia tractantur seu tractari solent vel debent, et quoad illos Ordines, in quibus huiusmodi insimul et continue conveniens congregatio non existit, seu existit, sed extra Italiam, eidem procuratori generali, vel soli, vel insimul etiam nonnullis aliis eiusdem Ordinis superioribus seu praelatis, tametsi in diversis locis in Italiâ seu extra eam respective ut praefertur commorantibus, arbitrio semper cuiuslibet ex praefatis Cardinalium Congregationibus, iuxta rerum, locorum et personarum qualitates et circumstantias respective, informatio et votum, ut praefertur, necnon exequutio huiusmodi, congrua congruis referendo, et servatâ ceteroquin quoad singulos Ordines formâ propriae regulae, statutorum, seu instituti, remittatur, delegetur seu committatur.

Protector et vocales in electionibus humanos respectus et conatus contemnant.

§ 11. Perpendentes etiam christianae reipublicae prae ceteris expedire ut Ordinibus regularibus praelati inculpatae vitae morumque integritate, virtutibus, meritis, rerumque experientiâ praestantiores et aptiores praeficiantur, et ad hunc effectum omnimodam et ab humanis respectibus undequaque immunem et sacrosanctam libertatem in illorum electionibus nedum mirabiliter conferre, sed requiri: memoratos protectores in Domino hortamur, et enixe obse-

cramus, ac electoribus pariter in Domino et in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, seu hortationes, obsecrationes et praecepta huiusmodi renovamus, ut in comitiis, praesertim generalibus, quibus eosdem pro tempore praesidere et respective interesse contigerit, nedum interesse, et aliis intra claustra degentibus, sed exteris ipsis quibuscumque etiam laicis quacumque maiestate, praeeminentiâ, gradu et dignitate fulgentibus, propriae indifferentiae ac unici in Dei gloriam et religionis bonum respectûs ita se praebeant singulare specimen et exemplar, talemque huius rectae intentionis et melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes et importunas commendationes, ubi Spiritus Paraclitus spirat et praesidet, inutiles et incongruas esse et fore certius agnoscentes, ab iisdem prorsus abstineant seu desistant, indeque tam intrinsecus quam extrinsecus omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humanisque finibus eliminatis et explosis, integra, illibata et intacta vocalibus remaneat eligendi facultas, et tam superioris generalis quam aliorum respective praelatorum undequaque libera, optima et canonica sequatur electio, ad quam cum voto, si quod, et eo modo, quod protectori iuxta cuiuscumque Ordinis regulas, statuta, vel aliàs competit, Deum eiusque honorem et gloriam dumtaxat prae oculis habens, concurrat.

Solis convenientibus protectoribus et vocalibus conceditur facultas eligendi.

§ 12. Nolumus tamen absentium vota, ac protectoris, nec cuiuscumque alterius, nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum auctoritate suppleri, seu alios vocales eorumdem absentium loco seu vice subrogari, deputari seu eligi; sed ius eligendi in solis iuxta iuris et instituti regulas ad hunc effectum assumptis, et in destinatis et tempore convenientibus, consolidari, seu aliàs, prout de iure, permanere, omnino volumus et mandamus.

Praedicta omnia protectoribus interdicta nulla declarantur.

§ 13. Ut autem praemissa omnia et singula eo magis debitum consequantur effectum, et exequutioni demandentur, ac ad maiorem cautelam seu declarationem, omnia quaecumque et singula, quae in praemissis confirmatis et extensis et praesentibus nostris litteris sunt quoquo modo explicite vel implicite memoratis protectoribus interdicta, in posterum annullamus, cassamus et irritamus, seu potius nulla, cassa, inania, irrita, nulliusque roboris et momenti ipso iure et ipso facto omni meliori modo declaramus atque decernimus.

Inhibitio facta protectoribus et superioribus religiosis circa praemissa.

§ 14. Mandantes iisdem tunc et pro tempore in futurum existentibus protectoribus, ne cuncta vel singula praemissa quoquo modo iniungant, faciant, mandent, committant, permittant, sive tolerent; necnon quibuscumque regularibus utriusque sexus tum superioribus, etiam generalibus, tum subditis, ne iisdem omnibus et singulis, ut praefertur, praemissis pareant, obediant, morem gerant, adhaereant, seu illa tolerent vel permittant, sive omnia vel singula praemissa quaecumque fiant seu attententur per sententias vel decreta, sive in formâ iudiciali, sive extraiudiciali, tam per patentes quam per privatas litteras, seu epistolas, sive per se ipsos, sive per quoscumque alios, nedum per viam praecepti, iussionis, mandati vel commissionis, sed etiam commendationis, et sive palam, sive secrete, tum in quibuscumque scriptis, tum oretenus, et tam directe quam indirecte, mediate vel immediate, ac aliis quibuscumque formis et modis, nihil penitus, omisso: praefatorum omnium conscientias desuper onerantes.

Revocantur ad praescriptam formam omnes protectorum facultates.

§ 15. Propterea omnes quascumque et singulas facultates, auctoritates et iurisdictiones, quomodocumque, qualitercumque et quomodocumque, tam in genere quam in specie, omnibus et singulis antehac sive nunc existentibus protectoribus huiusmodi, et tam eorum personis, quam gradui, muneri, vel officio concessas et attributas vel communicatas, seu ab illis quoquo modo exerceri consuetas, etiam speciali et individuâ mentione, moderatione seu revocatione dignas, earumdem omnium et singularum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene et sufficienter expressis habentes, in omnibus et singulis quae praemissis adversantur, moderamur, reformamus, et ad limites, modum, formam et tenorem praesentium reducimus, et pro sic moderatis, reformatis et reductis haberi, censeri et intelligi volumus et decernimus, sicque pariter, et non aliàs quam servatâ formâ praesentium omnium ac singulorum in illis contentorum, facultates, iurisdictiones et auctoritates huiusmodi, necnon deputationes eorumdem protectorum in posterum quomodocumque concedendas, attribuendas, seu communicandas, et respective faciendas, observari, attendi, intelligi et exequi omnino volumus et mandamus.

Committitur praemissorum executio Con-

§ 16. Quocirca praefatae Congregationi memoratorum negotiis et consultationibus

gregationi Episcop. et Regul. auditori Camerae Apostolicae.

Episcoporum et Regularium praepositorum Cardinalium, et dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus, omnibus et singulis praemissis semper salvis et in suo robore permanentibus, Congregatio vel auditor praefati praesentes litteras, in eâ parte quae praedictam moderationem seu limitationem facultatum protectorum huiusmodi ac in contrarium desuper ab iisdem protectoribus gerendorum nullitatem seu irritationem dumtaxat concernunt, ubi et quandoque opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque desuper interesse habentium Congregatio vel auditor praefati fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque desuper efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes in dictâ parte dumtaxat firmiter observari, et singulos, quos eaedem litterae in dictâ parte concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes, eos quomodolibet indebite molestari, contradictores, auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo.

Clausulae.

§ 17. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes et singuli supradicti, et alii quicumque cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel dignitatis, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari et audiri semel vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex aliâ quacumque iuridicâ, privilegiatâ et rationabili, ac etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, causâ et occasione, colore, praetextu, titulo, etiam oneroso, et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensûs aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali et formali aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nullatenus posse, sed easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et quoscumque Nuncios et Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon quascumque eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios qualibet auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 18. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, et, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et signanter illâ de iure quaesito non tollendo, et aliâ quod Cardinales in constitutionibus et regulis per nos edendis non comprehendantur nisi illae eorumdem Cardinalium favorem concernant vel ipsae edendae constitutiones de illorum seu maioris partis eorum consilio editae fuerint, aliisque quibuscumque, etiam in generalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam apostolicis, necnon quorumcumque et singulorum Ordinum regularium, religionum, congregationum seu reformationum institutis, regulis, statutis, decretis et ordinationibus quibuscumque, etiam in limine erectionis, fundationis seu reformationis, etiam in comitiis generalibus quoquomodo factis, ac usibus, stylis et consuetudinibus quibuscumque, etiam centenariis et immemorabilibus, privilegiis quoque et indultis ac litteris apostolicis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodoli-

bet in contrarium praemissorum concessis, editis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 19. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, reductionis, reintegrationis, sanctionis, mandatorum, prohibitionis, statuti, decretorum, derogationum, voluntatum, ademptionum, restitutionum, concessionum, consolidationis, annexionis, unionis, hortationis, obsecrationis, praecepti, renovationis, annullationis, cassationis, irritationis, declarationis, onerationis, moderationis et reformationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXCIV., XIV. kalendas martii, pontificatus nostri anno III.

VIII.

Concedit alumnis provinciae novi regni Granatensis Ordinis eremitarum S. Augustini in Indiis Occidentalibus facultatem suscipiendi gradus scholasticos in eorum collegio S. Nicolai civitatis S. Fidei (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere sacrarum bonarumque litterarum studia inter christifideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos, ubique locorum, ac praesertim in remotissimis ab hac Sancta Sede partibus, opportunis rationibus fovemus et promovemus, ac ut debitus virtuti honor rependatur libenter providemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis decus et incrementum, ac catholicae fidei praesidium et prorogationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causa concessionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Bernaldo de Quiros de Lima, definitor ac procurator generalis provinciarum Quitensis et novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini, quod, cum aliàs dicta provincia novi regni Granatensis, ab initio suae fundationis, Peruanae eiusdem Ordinis et dictae Quitensi provinciis unita esset, privilegio, quod eius alumni in Quitensi sub S. Fulgentii per quasdam felicis recordationis Sixti Papae V. praedecessoris nostri ac Limanâ sub S. Ildephonsi respective denominationibus per alias recolendae memoriae Pauli Papae V. praedecessoris pariter nostri in simili formâ Brevis litteras respective erectis studiorum generalium universitatibus ad magisterii seu doctoratus aliosque scholasticos gradus promoveri possent, fruebatur: verum, quia illa postmodum a dictis aliis duabus provinciis subdivisa fuit, privilegio huiusmodi destituta remansit, ac exinde illius alumni praefati pro gradibus huiusmodi consequendis, vel extraneos adire, vel ad provincias septingentorum circiter milliarum intervallo distantes iter cum nimio sumptu et incommodo suscipere coguntur.

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. In Urbani VIII. constitut. ed. MDCXXV., die 24 aprilis, pont. II. agitur de promovendis in gradibus in Hispaniâ et Indiis.

Concessio praedicta ad instar illius universitatibus Quitensi et Limanae factae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta provincia novi regni Granatensis doctrinâ et regulari observantiâ adeo florescat, ut in his ipsis provinciae Quitensi antecellat; ac proinde dictus Iosephus plurimum cupiat a nobis indulgeri, ut in collegio sub titulo S. Nicolai Episcopi intra vel extra septa conventûs Nostrae Divae de Gratiâ nuncupatae civitatis S. Fidei eorumdem Ordinis et provinciae novi regni Granatensis erigendo provinciae huiusmodi alumni gradus praedictos suscipere valeant: nos, eiusdem Iosephi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Palutii Episcopi Praenestinensis eiusdem S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem Cardinalibus factâ, praefatis alumnis provinciae novi regni Granatensis huiusmodi, qui fratres expresse professi dicti Ordinis fuerint, ut, peractis in collegio erigendo praedicto seu alibi studiorum suorum curriculis, praevioque rigoroso examine, baccalaureatûs ac magisterii et doctoratûs in philosophiâ et sacrâ theologiâ gradus in eodem collegio ab illius rectore pro tempore existente suscipere, ipsique rectori eosdem gradus dictis alumnis ad formam praedictarum Sixti et Pauli praedecessorum litterarum conferre libere, licite et valide possint et valeant respective, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. aprilis MDCXCIV., pontif. nostri anno III.

IX.

Confirmat privilegia Pauli V. et Urbani VIII. concessa collegio Scotorum Parisiensi, cum concessione facultatis suscipiendi ordines non servatis interstitiis (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Constitutio Pauli V. qua concessa fuit facultas celebrandi in oratorio privato et suscipiendi ordines, a quocumque antistite, ad titulum paupertatis et sine dimissoriis Ordinarii.

§ 1. Dudum felicis recordationis Paulus Papa V. praedecessor noster collegio nationis Scotorum Parisiensi, eiusque superioribus et alumnis, nonnulla privilegia, facultates, gratias et indulta concessit per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

« *Paulus Papa V., ad futuram rei memoriam.* Dilectos filios alumnos, etc. (1).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. maii MDCXII., pontificatus nostri anno XII. »

Constitutio Urbani VIII.

Subinde vero recolendae memoriae Urbanus Papa VIII., etiam praedecessor noster, ad favorem eorumdem alumnorum alias suas pariter in formâ Brevis litteras edidit tenoris sequentis, videlicet:

« *Urbanus Papa VIII., ad futuram rei memoriam.* Ut alumni collegii Scoti in civitate Parisiensi, etc. (2).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI. ianuarii MDCXLIII., pontificatus nostri anno XX. »

Confirmatio relatarum constitutionum.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum superiorum et alumnorum collegii supradicti nobis nuper expositum fuit, ipsi, quo praeinsertae Pauli, quae a piae memoriae Clemente Papa IX. praedecessore pariter nostro confirmatae fuerunt, ac Urbani praedecessorum litterae firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae quoque confirmationis nostrae patrocinio communiri ac aliàs opportune sibi desuper a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, omnia et singula privilegia, facultates, gratias et indulta, collegio eiusque superioribus et alumnis praedictis a memorato Paulo et Urbano praedecessoribus concessa, ut praefertur, emanatasve desuper illorum litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis respective contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus. Praeterea, ut iidem alumni ad sacros etiam presbyteratus ordines huiusmodi non tantum extra tempora a iure statuta, sed etiam interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, ac tametsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint, servatâ tamen ceteroqui earumdem praeinsertarum litterarum formâ et dispositione, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Pauli et Urbani praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. aprilis MDCXCIV., pontificatus nostri anno III.

X.

Transfertur indulgentia plenaria perpetua in festo S. Ignatii ad diem dominicum pro ecclesiis missionariorum Societatis Iesu in insulâ Martinica (3).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Haec indulgentia in festo S. Ignatii con-

§ 1. Aliàs felicis recordationis Gregorius PP. XV. praedecessor noster volens omnes

---

(1) Bullam Pauli V. omittimus, quia iam legitur allata a Clemente IX. in Vol. primo, p. 403.

(2) Reliqua vide in Vol. primo, p. 215.

(3) Ex Regest. in Arch. Brev.

cessa fuit a Gregorio XV.

et singulas ecclesias presbyterorum Societatis Iesu ubique existentes aliquo speciali munere illustrare, auctoritate sibi a Domino traditâ, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus die festo Sancti Ignatii ultimâ iulii celebrari solito, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis, devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis confectis plenius dicitur contineri.

Translatio praedicta, si festum Sancti in diem feriatum cadat.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dictae Societatis nobis nuper exponi fecit, commodius sit christifidelibus insulae Martinicae in Americâ meridionali sitae ad ecclesias presbyterorum missionariorum Societatis huiusmodi in illis partibus degentium visitandas, praefatamque indulgentiam consequendam, aliquo die festivo quam feriato accedere, et propterea indulgentiam supradictam ad dominicam intra octavam festi praedicti, quoties illud in diem feriatum cadat, per nos transferri summopere desideret: nos, eiusdem procuratoris generalis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis annuere volentes, indulgentiam huiusmodi per dictum Gregorium praedecessorem, ut praefertur, concessam, quoad ecclesias dictae Societatis in insulâ praefatâ consistentes dumtaxat, quoties festum Sancti Ignatii praedictum in diem feriatum cadat, ad dominicam intra illius octavam, itaut christifideles in ecclesiis huiusmodi ipsa dominicâ adimplentes, eamdem prorsus indulgentiam consequantur, quam consequerentur, si eadem praemissa die festo praefato adimplerent, servatâ aliàs in omnibus et per omnia litterarum praedictarum formâ, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo etiam transferimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXX. iulii MDCXCV., pontificatus nostri anno V.

XI.

Confirmat constitutionem Urbani VIII. pro necessitatibus locorum Terraesanctae (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et domini nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipuae pastoralis sollicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni qua fieri poterit maiori honorificentiâ recolantur.

Ab Urb. VIII. iniuncta fuit Ordinariis locorum et generalibus Ordinum, ut bis in anno curarent exponi necessitates dictorum locorum.

§ 1. Cum itaque, felicis recordationis Urbano Papa VIII. praedecessori nostro aliàs exposito quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terraesanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum ac congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno Adventus et Quadragesimae temporibus tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die III. februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur; et, sicut pro parte dilecti filii Hieronymi Roavuls Ordinis Minorum Sancti Francisci Recollectorum seu de Observantiâ nuncupatorum professoris pro Galliâ commissarii generalis eiusdem Terraesantae nobis nuper expositum fuit

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

ipse quo praedictae Urbani praedecessoris litterae, quae a recolendae memoriae Innocentio X. et Clemente etiam X. Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desideret: nos, eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praedictas Urbani praedecessoris litteras apostolicâ auctoritate tenore praesentium confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus.

Confirmatio constitutionis Urbani VIII.

§ 2. Volumus autem ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praedicti in relatione statûs suarum ecclesiarum, quando visitabunt limina Apostolorum faciendâ, referant se praedictis Urbani praedecessoribus et praesentibus litteris nostris paruisse: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

§ 3. Volumus insuper ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. februarii MDCXCVI., pontificatus nostri anno V.

XII.

Innovata constitutione Alexandri VII., circa conventus Cardinalium protectorum Collegii Germanici et Hungarici, permittit ut hi non in aula S. Congregationis agantur, sed in ipso collegio (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum suffragio, constituti, ea quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro feliciter dirigendis seminariis et collegiis quibuscumque ubique locorum, sed potissimum in almâ Urbe nostrâ, verae religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue diffunduntur, institutis, sapienter, ac eo, qui secundum scientiam est, Dei zelo ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata serventur, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus, maturae considerationis trutinâ perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Ab Alexandro VIII. ob quasdam rationes determinata fuere locus et forma Congregationum Cardinalium protectorum.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Alexandro Papa VII. praedecessore nostro, pro felici rectâque collegii Germanici et Hungarici de Urbe illiusque rerum et bonorum administratione, emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Alexander PP. VII., ad perpetuam rei memoriam.* Ut Collegii Germanici atque Hungarici de Urbe, etc. (2).

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVIII. dec. MDCXL., pontificatus nostri anno VI. »

Causa confirmationis relatae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, licet praemissa a memorato Alexandro praedecessore provido prudentique fuerint constituta consilio, illa nihilominus minime observentur: hinc est quod nos, praedicti collegii indemnitati prosperoque illius tam spirituali quam temporali regimini, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Alexandri praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus, ipsasque Alexandri praedecessoris litteras, et in eis contenta huiusmodi, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus. Ita tamen ut in posterum memorati Cardinales dicti collegii protectores pro negotiis eiusdem collegii pertractandis non amplius in aulâ Congregationis secundodictorum Cardinalium, iuxta earumdem Alexandri praedecessoris litterarum praescriptum, sed in ipso collegio commodius ac expeditius occurrentibus illius necessitatibus consulere valeant, cum interventu memorati secre-

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

(2) Reliqua vide Vol. I., pag. 325.

tarii dictae Congregationis, et servatâ in reliquis omnibus praedictarum Alexandri praedecessoris litterarum formâ et dispositione, congregari debeant.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari et adimpleri, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet quantumvis formali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Cardinales et Legatos, necnon Nuntios et alios praescriptos, nunc et pro tempore existentes, sublatâ pariter eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Alexandri praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. iunii MDCXCVI., pontificatus nostri anno V.

XIII.

Confirmat decreta Congregationis particularis de P. F. circa iurisdictionem vicariorum in Angliâ contra regulares (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Decreta praedicta referuntur. § 1. Aliàs a particulari Congregatione nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Angliae a nobis specialiter deputatâ emanarunt super quibusdam instantiis pro parte dilectorum filiorum vicariorum apostolicorum regni Angliae nobis factis, quas unâ cum supplicibus libellis desuper nobis porrectis ad eamdem particularem Congregationem remisimus, decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

« Decreta S. Congr. particularis de Prop. Fide habitae die VI. octobris MDCXCV.

« Relatis in Congregatione eminentissimorum dominorum Cardinalium de Propagandâ Fide super rebus Angliae specialiter a SS. D. N. Innocentio XII. deputatorum instantiis Sanctitati Suae factis a Vicariis Apostolicis Angliae in eorum libellis supplicibus tenoris sequentis, videlicet: « Beatissime Pater. Cum ex vi seu occasione privilegiorum Ordini Sancti Benedicti Congregationis Anglicanae a Sede Apostolicâ concessorum, necnon praetextu iurisdictionis quae ante schisma eidem Ordini in Anglia competebat, praetendant monachi dicti Ordinis, se, tamquam vicarios capitulares, seu ipsum capitulum, sede vacante, habere in plerisque regni dioecesibus iurisdictionem ordinariam, et hanc non cessare ex quo Sancta Sedes eidem regno concesserit Vicarios Apostolicos ad illas ecclesias regendas; cumque exinde, uti experientia docuit, hoc ipso saeculo oriri possint contentiones et controversiae hos inter et illos regimini illorum fidelium et propagationi fidei summopere noxiae, praeiudiciales et scandalosae: idcirco supplicatur eâ qua par est humilitate Sanctitati Vestrae, quatenus declarare dignetur cessare omnem talem praefatorum monachorum iurisdictionem, qualiscumque sit, eo ipso quod sancta Sedes Apostolica concesserit Vicarios Apostolicos in regno Angliae, eisque solitas facultates generaliter regendi ecclesias sibi commissas tribuerit: uti in partibus catholicis cessat omnis iurisdictio capituli et vicariorum capitularium, sede

---

(1) Ex Tab. S. C. de Prop. Fide. Cf. Innocentii XI. const. ed. MDCLXXXI., die XX. maii, pontif. V.

vacante, statim atque Sedes Apostolica Vicarium Apostolicum delegat ad ecclesiam vacantem interim gubernandam. Quem favorem, etc. Quam Deus, etc. » — « Beatissime Pater. Eâ qua par est humilitate Sanctitati Vestrae exponitur, plurima quotidie fidei catholicae praeiudicia in Anglia exoriri ex eo quod regulares ibidem praetendant se vigore suorum privilegiorum ab omni iurisdictione vicariorum apostolicâ auctoritate eidem regno concessorum exemptos esse. Et cum ex aliâ parte Vicarii Apostolici praefati regere non possint ecclesias sibi commissas, nisi regulares praedicti eis subiiciantur, saltem quoad ea quae missiones et curam animarum concernunt: quapropter Sanctitati Vestrae humiliter supplicatur, ut Bullas seu Brevia Apostolica, aliàs ab hac Sanctâ Sede occasione similium controversiarum in regno Sinarum, Indiis et alibi exortarum emanata, extendere dignetur simili Bullâ seu Brevi ad omnia regna et insulas dominio serenissimi regis Magnae Britanniae subiectas. Quem favorem, etc. Quam Deus etc. »:

« Sacra Congregatio, re mature perpensâ, et audito etiam patre Claudio Estiensi et procuratore monachorum Congregationis Anglicanae S. Benedicti, decrevit ut infra:

« Quoad 1um. Per deputationem vicariorum apostolicorum factam in regno Angliae a sanctâ memoriâ Innocentii XI. cessasse et cessare quamcumque iurisdictionem capitulorum seu vicariorum capitularium, tam saecularium quam regularium, omnium ecclesiarum eiusdem regni, et signanter earum, quae monachis Congregationis Anglicanae Ordinis S. Benedicti vigore Bullae sacrae memoriae Urbani VIII., quae incipit *Plantata*, seu quarumlibet aliarum litterarum apostolicarum, aut aliàs quomodolibet competere posset; durante tamen deputatione eorumdem seu aliorum similium vicariorum ab Apostolicâ Sede quandocumque deputandorum, et non aliàs.

« Quoad 2um. vero censuit regulares quoscumque, etiam Societatis Iesu et Congregationis Anglicanae praefatae, tam circa approbationem ad confessiones audiendas, quam circa concernentia curam animarum et sacramentorum administrationem, aliaque munia parochialia, esse subiectos Vicariis Apostolicis, in quorum districtibus eos respective commorari contigerit.

« Non obstantibus quoad praemissa quibuscumque regularium Ordinum privilegiis, et praesertim antedictâ Bullâ sacrae memoriae Urbani VIII., illis aliàs in suo robore permansuris, necnon firmis remanentibus quoad reliqua omnibus et singulis privilegiis, praeeminentiis, praerogativis, aliisque iuribus, dictis monachis Congregationis Anglicanae quomodolibet competentibus, etc. Datum Romae, die et anno quibus supra.

« Quae quidem decreta eâdem die sanctissimo domino nostro per me secretarium infrascriptum integre relata, Sanctitas Sua benigne laudavit et approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari.

C. A. Fabronus, Secretarius. »

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut Vicarii Apostolici praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem, ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinsertâ, ac omnia et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. octobris MDCXCVI., pontificatus nostri anno VI.

XIV.

A dioecesibus Pekinensi et Nankinensi plures provincias separat, easque committendas decernit Vicariis Ap., provinciam Honan prius Pekinensi assignatam tradit Nankinensi Episcopo (1).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

E sublimi Sedis Apostolicae speculâ, in qua catholicae Ecclesiae per universum orbem diffusae regimini, meritis licet et viribus longe impares, divinâ dignatione praesidemus, mentis nostrae oculos per quascumque agri dominici partes iugiter circumferentes, ad ea, quae ecclesiarum quarumlibet praesertim cathedralium in remotissimis ab eâdem Sede regionibus erectarum statum concernunt, pastoralis vigilantiae nostrae studia libenter convertimus; atque ut ibidem christiana religio felicius in dies, adspirante superni favoris auxilio, stabiliatur et crescat, concessae nobis a Domino potestatis partes propensâ charitate interponimus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam ac animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Referuntur erectiones duorum episcopatuum Pekinensis et Nankinensis.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII. praedecessor noster (2), certis tunc expressis causis adductus, ac praesertim provide considerans in amplissimo regno Sinarum, in quo catholicam fidem latius in dies propagari acceperat, unam dumtaxat cathedralem ecclesiam, nempe Machaonensem, quae de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliae et Algarbiorum regis illustris ex fundatione vel dotatione seu privilegio apostolico, cui non inveniebatur eatenus, in aliquo derogatum, esse, reperiri; adeoque illius Episcopum singularum ovium vultum inspicere, aliasve boni pastoris partes implere minime posse: supplicationibus eiusdem Petri regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, oppida de Pekim et de Nankim respective nuncupata, in eodem regno existentia, ab ordinariâ iurisdictione tunc et pro tempore existentis Episcopi Machaonensis auctoritate apostolicâ perpetuo segregavit, divisit, separavit et dismembravit, illaque in civitates, quae de Pekim et Nankim respective denominarentur, et in eis ecclesias, beatissimae Virgini Mariae utrobique dicatas, in cathedrales ecclesias sub invocatione eiusdem beatissimae Virginis, pro duobus Episcopis, uno scilicet Pekinensi, altero vero Nankinensi respective nuncupandis, qui illis praeessent, ac ecclesias ipsas ad formam cathedralium ecclesiarum redigi facerent, sub certis modo et formâ tunc expressis, similiter perpetuo erexit et instituit; ac eisdem sic erectis et institutis ecclesiis oppida supradicta, in civitates, sicut praemittitur, erecta, pro civitatibus; alia vero oppida, castra, villas, territoria et districtus dioecesis Machaonensis, iuxta divisionem per dictum Petrum regem vel per Machaonensem ac Pekinensem et Nankinensem Episcopos de ipsius Petri regis commissione inter se faciendam, pro dioecesibus itidem perpetuo concessit et assignavit. Porro mensis episcopalibus dictarum ecclesiarum de Pekim et Nankim pro cuiuslibet earum dote redditus annuos quingentorum cruciatorum monetae Portugalliae, quadringentos ducatos auri de camerâ constituentium, per eumdem Petrum regem assignandos, ex tunc prout postquam assignati fuissent, similiter perpetuo applicavit et appropriavit; ac insuper eidem Petro et pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum regibus iuspatronatus seu praesentandi sibi et Romano Pontifici pro tempore existenti ad ecclesias de Pekim et Nankim praedic-

---

(1) Ex vet. Bull. de P. F. p. 238, coll. cum orig. in Tabul. Congr. Ab Alexandro VIII. instituti fuere episcopatus Pekinensis et Nankinensis constit. edit. MDCXC., die X. aprilis, pont. I.; in huius Pontificis const. edit. MDCXCV., die XVI. maii, pontif. III., extat dismembratio a dioecesi Nemausensi.

(2) Cf. supra in h. vol.

tas, tam eâ primâ vice, quam quoties illas deinceps etiam apud Sedem praefatam vacare contigisset, intra annum, ob locorum distantiam, tam inde quam a die cuiuscumque vacationis huiusmodi respective computandum, personas secundum sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum dispositionem idoneas iisdem ecclesiis per ipsum Alexandrum praedecessorem et pro tempore existentem Romanum Pontificem ad praesentationem huiusmodi praeficiendas pariter perpetuo reservavit et concessit; et aliàs, prout in binis eiusdem Alexandri praedecessoris litteris desuper sub plumbo, IV. idus aprilis anni Incarnationis dominicae MDCXC. expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur. Subinde vero (postquam dictus Alexander praedecessor ecclesiis de Pekim et de Nankim supradictis de personis sibi et tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum acceptis, et quas memoratus Petrus rex ei ad hoc per suas litteras praesentaverat, de eorumdem Cardinalium consilio auctoritate apostolicâ provideraț, illasque ecclesiis in Episcopos praefecerat et pastores, curam, regimen et administrationem ipsarum ecclesiarum de Pekim et de Nankim eis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo), factâ, sicut accepimus, per ipsum Petrum regem, vigore facultatis sibi ab eodem Alexandro praedecessore ut praefertur attributae, divisione supradictâ, de Pekim, Xantung et Leoatung, necnon Xansi, Nonan, Xensi et Juchuen, cum insulis et terris adiacentibus, Pekinensi; de Nankim vero, Chikiang, Fokien, Kiangsi, Huguang, Queichen et Junaum provinciae dicti regni Sinarum, cum insulis itidem adiacentibus, Nankinensi respective Episcopis praedictis, pro cuiuslibet eorum dioecesi, praemisso, seu forsan alio veriori, quem iisdem praesentibus pro expresso haberi similiter volumus, modo praefinitâ, assignatae remanserunt.

Eorumque dioeceses describuntur.

Dismembratio et commissio, ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut non sine maximâ animi nostri consolatione pariter accepimus, strenuâ et laudabili evangelicorum ministrorum ab eâdem Sede missorum operâ (Deo pios illorum conatus ac labores iuvante) uberiores quotidie in illis partibus animarum fructus in horrea dominica afferantur, novique Ecclesiae Catholicae palmites in dies crescant, ac proinde memorati Pekinensis et Nankinensis Episcopi pastorali muneri exequendo in tot tantisque ac tam amplis sibi creditis regionibus prorsus impares reputarentur, optandumque sit pro magnitudine messis operariorum copiam suppetere, qui non modo eos, qui, relictis erroribus, christianam veritatem agnoverunt, sanâ, fidelique doctrinâ instituere, ac tamquam teneras in vineâ Domini plantas alere ac fovere, sed et alios, qui adhuc in tenebris ambulant, ad verum omnipotentis Dei cultum convertere studeant: hinc est quod nos, misericordiarum Patri et Deo totius consolationis gratias agere non desinentes, qui inter gravissimas et multiplices curas, quas in hisce perturbatissimis christianae reipublicae temporibus pro commisso nobis divinitus apostolicae servitutis officio assidue sustinemus, uberius saltem in longinquioribus orbis terrarum partibus orthodoxae religionis incrementis nos consolari dignatur; et, quia tam iis qui longe, quam illis qui prope sunt, debitores sumus, maximum salutis animarum negotium, quas tanto marium terrarumque spatio disiunctas paternae charitatis vinculum nobis coniungit, sollicitis studiis iuvare ac promovere, necnon christianae religionis et catholicae fidei in partibus praedictis solidiori stabilimento latiorique propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, habitâ super praemissis cum particulari Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, qui iura omnia desuper etiam pro parte supradicti Petri regis deducta diu ac diligenter discusserunt, deliberatione maturâ, de illorum consilio et assensu, ac etiam motu proprio, ac certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictas omnes provincias regni Sinarum memoratis Pekinensi et Nankinensi Episcopis pro eorum dioecesibus, sicut praemittitur, assignatas (exceptis dumtaxat de Pekim ac Xantung et Levantung, quas Pekinensi, necnon de Nankim et Nonan, quas Nankinensi Episcopis supradictis pro cuiuslibet eorum respective dioecesi reservamus, et, quatenus opus sit, eis et eorum cuilibet harum serie assignamus) a praedictis Pekinensi et Nankinensi respective dioecesibus, tenore praesentium, perpetuo separamus et dismembramus, illasque, ac earum clerum et populum, ab omni et quacumque venerabilium fratrum modernorum et pro tempore existentium Peki-

nensis et Nankinensis Episcoporum iurisdictione, superioritate, potestate, correctione, visitatione, regimine, curâ et gubernio, itidem perpetuo eximimus et plenarie liberamus. Ceterum ipsas provincias sic separatas et liberatas, donec spiritualibus illarum indulgentiis per erectionem novorum episcopatuum ab hac Sanctâ Sede provideatur, curae et administrationi vicariorum apostolicorum a nobis et Sede praefatâ pro tempore deputandorum (qui omnes et singulas facultates quae Vicariis Apostolicis in eisdem partibus Sinarum antehac a dictâ Sede deputatis per diversas recolendae memoriae Alexandri VII., Clementis IX., Clementis X. et Innocentii XI. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteras, seu aliàs ab ipsâ Sede concessae et attributae fuerunt, in suis quisque sibi assignandis provinciis exercere possint et debeant) committendas esse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus harum serie decernimus et ordinamus. Districte propterea inhibentes tam supradictis de Pekinensi et Nankinensi Episcopis, quam aliis omnibus et singulis venerabilibus fratribus Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, et aliis Indiarum ceterarumque partium orientalium Ordinariis, seu eorum officialibus vel Vicariis in spiritualibus generalibus, aliisve ministris quibuscumque, ne, sub quovis praetextu, colore, causâ vel occasione, aut vigore cuiuscumque privilegii vel indulti a Sede praedicta emanati, ullum in posterum iurisdictionis actum in earumdem sic separatarum ac dismembratarum, necnon exemptarum et liberatarum provinciarum districtibus exercere audeant quovis modo vel praesumant.

Clausulae.

§ 3. Ac decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis Apostolicae praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac de iure quaesito non tollendo, ceterisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatarum de Pekim et de Nankim, ac aliarum quarumcumque ecclesiarum, etiam metropolitanarum et primatialium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, illarumque praesulibus, capitulis, personis, aliisve quibuslibet, etiam speciali notâ dignis et de necessitate iuris vel facti omnino exprimendis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis de-

cretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, seu ad quascumque personarum etiam regiâ aut archiepiscopali et primatiali aliâve qualibet ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate et potestate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. octobris MDCXCVI., pontificatus nostri anno VI.

XV.

Praecipit Archiepiscopo Goanensi et Episcopis Machaonensi et Malacensi, ut executioni mandent constitutionem Clementis X. circa iurisdictionem Vicariorum Apostolicorum in Oriente (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

A Clemente X. declaratum fuit dictos Vicarios habere iurisdictionem in suis provinciis, et contradictores incurrere certas poenas.

§ 1. Cum, sicut ad nostri pervenit apostolatus auditum (licet felicis recordationis Clemens Papa X. praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras, quarum initium est *Christianae religionis, catholicaeque fidei propagationis opus, etc.*, die VII. iunii MDCLXXIV., de particularis Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio emanatas, auctoritate apostolicâ declaraverit, Episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientis, eorumque ministros et officiales, non posse nec debere exercere actus iurisdictionales super Vicarios Apostolicos ad regna seu provincias Orientis pro religionis et fidei huiusmodi propagatione ab hac sanctâ Sede Apostolicâ missos, quippe eiusdem Sanctae Sedis delegatos, eorumque operarios in provinciis sibi assignatis; sed iisdem Vicariis Apostolicis dictae Sedis delegatis in praedictis provinciis iurisdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuisset a Congregatione eorumdem Cardinalium declaratum; ac contraventores eo ipso in poenas excommunicationis et indignationis Romani Pontificis incurrisse censeri decreverit et aliàs, prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur), nihilominus novissime venerabiles fratres moderni seu tunc existentes Archiepiscopus Goanensis necnon Machaonensis et Malacensis Episcopi, sive potius illorum ministri et officiales, causati forsan, licet erronee, a memoratâ Congregatione Cardinalium aliter fuisse declaratum, ac proinde praefatas litteras non esse amplius executioni demandandas, sive aliis sub praetextibus, venerabilium pariter fratrum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum in regnis Siami, Cocincinae, de Sciampa, Cambogia, aliisque adiacentibus ab eâdem Sede deputatorum iurisdictionem seu illius exercitium impedire praesumpserint, non sine gravi fidelium scandalo, ac infidelium ad fidei catholicae veritatem conversionis, cui eadem Sancta Sedes dictos Episcopos Vicarios Apostolicos destinavit, detrimento:

Praeceptum praedictum sub certis poenis.

§ 2. Hinc est quod nos, supradictas Clementis praedecessoris litteras stricte et inconcusse observari, necnon fidelium operariorum in vineâ Domini strenue ac utiliter laborantium quieti, fideique catholicae praedictae propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de

(1) Ex vet. Bul. de P. F. p. 243, collat. cum orig. in Tab. Congr.

nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Sinarum a nobis specialiter deputatorum consilio, eosdem modernos et pro tempore existentes Archiepiscopum Goanensem necnon Machaonensem et Malacensem Episcopos harum serie paterne monemus, eisque auctoritate apostolicâ in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut dictas Clementis praedecessoris litteras et in eis contenta quaecumque, sub poenis in litteris huiusmodi expressis, exacte et inviolabiliter observent, ac observari curent et faciant; districte propterea inhibentes eis, et per ipsos omnibus illorum ministris et officialibus quocumque nomine nuncupatis, ne in posterum, sub quovis quaesito colore, praetextu, causâ vel occasione, exercitium iurisdictionis eorumdem Episcoporum Vicariorum Apostolicorum eorumque operariorum in regnis Siami, Cocincinae, de Sciampa, Cambogia, aliisque adiacentibus supradictis, impedire audeant quovis modo seu praesumant, donec aliter a praedictâ Congregatione Cardinalium fuerit ordinatum.

Clausulae.

§ 3. Ac decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. octobris MDCXCVI., pontificatus nostri anno VI.

XVI.

Declarat regnum Tunkini separàtum esse a dioecesi Machaonensi atque ab eius iurisdictione exemptum (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Declaratio ut in rubricâ.

§ 1. Ex commissae nobis divinitus apostolicae servitutis munere venerabilium fratrum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum in regno Tunkino ab hac Sanctâ Sede deputatorum eorumque operariorum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, contentionesque omnes, quae inter ipsos et venerabilem fratrem modernum seu pro tempore existentem Episcopum Machaonensem eiusque ministros et officiales quoscumque oriri, necnon maximum catholicae fidei christianaeque religionis propagationi impedimentum adferre possent, e medio tollere cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praepositae super rebus Sinarum a nobis specialiter deputatorum consilio, regnum Tunkini praefatum a dioecesi Machaonensi penitus et omnino separatum ac independens esse et fore, ac proinde Episcopum Machaonensem supradictum eiusque ministros et officiales quoslibet quocumque nomine nuncupatos non posse nec debere, sub quovis quaesito colore, praetextu, causâ vel occasione, ullos in eo iurisdictionales actus exercere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 2. Decernentes pariter, ipsas praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Vicariis Apostolicis praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in-

---

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

violabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. octobris MDCXCVI., pontificatus nostri anno VI.

XVII.

Declarat in constitutione Innocentii XI. circa privilegia et indulgentias Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ comprehendi eorumdem loca Viae Crucis seu Calvarii (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Constitutio Innocentii XI., qua confirmatae fuere litterae Clementis VIII., Pauli V., Urb. VIII. et successorum circa privilegia et indulgentias.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Innocentio Papa XI. praedecessore nostro, ad preces dilecti filii Francisci Diaz a S. Bonaventura tunc commissarii generalis Curiae pro familiâ ultramontanâ Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, super confirmatione quarumdam litterarum apostolicarum eidem Ordini eiusque ecclesiis, confraternitatibus, domibus, locis, ac omnibus et singulis utriusque sexus personis obedientiae seu directioni ministri generalis Ordinis huiusmodi subiectis circa privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum concessionem et communicationem respective concessarum, emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Papa XI.
ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura, carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici concionator et theologus, ac in Romanâ Curiâ pro ultramontanâ familiâ, ministro generali Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum subiectâ, commissarius generalis, quod privilegia, gratiae, concessiones, favores et indulgentiae, etiam plenariae, ac poenitentiarum relaxationes, ceteraque indulta Ordinibus, congregationibus, confraternitatibus, domibus, ecclesiis, locis, benefactoribus, ac omnibus et singulis utriusque sexus personis, obedientiae seu directioni praedicti ministri generalis fratrum Minorum subiectis, olim ab Apostolicâ Sede concessa seu communicata per plurium Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, et praecipue per litteras felicis recordationis Clementis VIII. incipientes *Ratio pastoralis,* etc., anno MDXCV. expeditas, ac Pauli V., quae incipiunt *Iniuncti nobis,* etc., anno MDCIX. concessas, et Urbani VIII., Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum, incipientes *In plenitudinem* etc., tertio idus maii MDCXXV. datas, confirmata et sub aliquibus modificationibus innovata fuerunt. Unde praefatae utriusque sexus personae obedientiae seu devotioni dicti ministri generalis subiectae, quibus memorata communicatio privilegiorum, indulgentiarum et concessionum, tam inter se quam cum aliis Ordinibus, congregationibus et societatibus, etiam Iesu, ac confraternitatibus concessa fuit, iuxta clausulas et prae-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

scriptum dictarum apostolicarum litterarum, et cum restrictionibus in illis appositis, et non aliter, eis usae fuerunt.

Confirmatio præfatarum litterarum, aliarumque insequentium.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut praemissa firmius subsistant et conserventur, praefatus Franciscus commissarius generalis Curiae, praedictas Clementis ac Pauli et praedecessorum litteras, cum clausulis in eisdem contentis, a nobis innovari, et omnes aliorum Romanorum Pontificum successorum concessiones ad favorem dictorum Ordinum, congregationum, confraternitatum, locorum, benefactorum, et aliarum utriusque sexus personarum praedictae obedientiae seu directioni subiectarum expeditas, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Francisci commissarii generalis curiae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione, quam venerabilis etiam frater noster Alderanus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sanctam Sedem protector, eisdem Cardinalibus super praemissis fecit, praedictas Clementis incipientes *Ratio Pastoralis* etc., ac Pauli, quarum initium *Iniuncti nobis* etc., et Urbani praedecessorum, quae incipiunt *In plenitudinem* etc., aliorumque Romanorum Pontificum successorum (1) litteras super praemissis respective emanatas, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocatae, aut sub aliquâ revocatione comprehensae, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac posterioribus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, regularibusque Ordinis praedicti institutis non adversentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. septembris MDCLXXXVI., pontificatus nostri anno x.

Ab hoc Pontifice approbatum fuit decretum Congregationis Concilii, qua declaratum fuit in praedictis litteris comprehendi loca in Oriente.

§ 2. Postmodum vero pro parte eiusdem Francisci nobis exposito, quod a nonnullis praetendebatur in praefatâ communicatione privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum, memoratis personis praedictae obedientiae seu directioni subiectis, sicut praemittitur, concessâ, minime comprehendi loca et ecclesias Terraesanctae, aliarumque partium Orientis existentium extra Ierusalem; ideoque pro eius parte nobis supplicato ut loca et ecclesias huiusmodi ab eâdem communicatione minime excludi declararemus: nos supplicem libellum nobis super praemissis porrectum ad Congregationem venerabilium pariter fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum remisimus pro voto. Ipsa vero Cardinalium Congregatio per suum decretum die XVI. iulii MDCXCV. emanatum, praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris perpensis, censuit, si ita nobis placuisset, praedicta loca et ecclesias Terraesanctae, aliarumque partium (2) Orientis extra Ierusalem, esse comprehensa seu comprehensas in dictis privilegiis, indultis et indulgentiis, servatis tamen in

(1) Videtur legendum *praedecessorum*.

(2) Vocem *partium* add. edit. taurin.

omnibus et per omnia formâ et tenore earumdem litterarum. Factâque nobis subinde per tunc existentem secretarium memoratae Congregationis de praemissis relatione, nos ipsius Congregationis sententiam approbavimus, prout in dicto decreto plenius dicitur contineri.

Petitur similis declaratio pro locis Viae Crucis seu Calvarii.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis denuo nuper exponi fecit, post decretum supradictum adhuc nonnulli dubitent an pia loca Viae Crucis seu Calvarii nuncupata, a personis supradictis adinstar stationum Montis Calvarii vigore diversorum privilegiorum eis ab hac Sanctâ Sede, ut asseritur, concessorum erecta, in communicatione praefatâ comprehendantur: nobis propterea idem Franciscus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Benigne annuit Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ipsum Franciscum amplioris favore gratiae prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de secundodictorum Cardinalium consilio, et attentâ relatione quam dilectus modernus commissarius generalis Curiae dicti Ordinis eisdem Cardinalibus super praemissis fecit, etiam praefata loca pia Viae Crucis seu Calvarii in supradictis Innocentiii praedecessoris litteris comprehendi, ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in litteris huiusmodi concessis et expressis, earum tamen tenore servato, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate secundodictae Congregationis Cardinalium.

§ 5. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. decembris MDCXCVI., pontificatus nostri anno VI.

XVIII.

Revocat privilegia a superioribus religiosis concessa in Indiis Occidentalibus contra Ordinum vel Sanctae Sedis constitutiones (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad pastorale fastigium meritis licet imparibus divinâ dispositione evecti, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut christifideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati iuxta laudabilia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, laetioribus in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis. Illa proinde, quae regulari ipsorum observantiae noxia esse noscuntur, opportunae provisionis nostrae ministerio evellere satagimus, sicut pia orthodoxorum regnum multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis fulgentium vota postulant, et nos, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis felicem progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causa revocationis.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit, in quorumdam Ordinum regularium

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. In Clementis X. const. ed. MDCLXX., die 11 iunii, pontif. I., declarata fuere nonnulla privilegia regularium, et a Clemente XI. const. edit. MDCCXIX., die 7 septembris, pontif. XIX., revocantur privilegia concessa a Nuncio in quibusdam regnis.

provinciis, quae in Indiis occidentalibus et insulis eis adiacentibus eidem Carolo regi subiectis consistunt, is late invaluerit abusus, ut plurimi provinciarum huiusmodi religiosi magisterii aliorumve graduum praerogativis sive etiam variis exemptionibus ac gratiis sibi a suis superioribus contra et praeter regularia Ordinum praedictorum instituta collatis seu concessis fruantur, non sine gravissimo religiosae humilitatis, quam iidem Ordines profitentur, detrimento: nobis propterea eiusdem Caroli regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Revocatio praedicta, a qua eximuntur privilegia apostolica.

§ 2. Nos igitur, qui regularem disciplinam ubique, adeoque etiam in remotioribus ab eâdem Sede partibus, vigere, et omnem illius relaxationis viam praecludere summopere cupimus, de opportuno remedio providere, ac piis ipsius Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et quascumque magisterii aliorumve graduum huiusmodi praerogativas, necnon cuiusvis generis exemptiones ac gratias quomodocumque nuncupatas, quibusvis provinciarum praedictarum religiosis cuiuscumque dignitatis, qualitatis et conditionis, ac cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti existant, quocumque titulo, praetextu, causâ et occasione contra et praeter ordinem congregationum et institutorum quorumlibet, apostolicasve constitutiones hactenus quoquo modo collatas seu concessas, sine ullo tamen eorum praeiudicio qui illas sibi a Sede Apostolicâ conferri seu concedi obtinuerunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, revocamus, cassamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac in futurum dispositiones constitutionum huiusmodi inviolabiliter observari praecipimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti, aliive quilibet in praemissis forsan interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi, nec causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, seu ex aliâ quacumque etiam quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum, Ordinum, congregationum et institutorum praedictorum, eorum monasteriorum, conventuum, collegiorum et domorum regularium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione

de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. ianuarii MDCXCVII., pontificatus nostri anno VI.

XIX.

Sacerdotes, catechistas et populum Tunkini hortatur ut, reiectis ceteris iurisdictionem sibi usurpantibus, unice obediant Vicariis Apostolicis a S. Sede delegatis et decretis S. Congregationis (1).

Dilectis filiis Sacerdotibus, Catechistis, aliisque Christifidelibus regni Tunkini,

INNOCENTIUS PP. XII.

**Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Gratissimae nobis acciderunt literae, quibus saepe significastis ardens vestrum studium erga Religionem catholicam, ad quam peculiari Dei beneficio vocati estis, et in qua solâ salutem aeternam promereri potestis. Gaudemus etiam quod in eâ devotione semper proficitis, et erga S. hanc Sedem, quam Christus Salvator noster magistram constituit omnium Ecclesiarum, debitam geritis reverentiam et observantiam. Verumtamen gaudium nostrum non parum imminutum fuit, ubi audivimus vos plurimum vexatos turbatosque fuisse ob controversias de iurisdictione spirituali, quam nonnulli usurpare contendebant, non sine gravi scandalo et fidei catholicae detrimento in istâ novâ christianitate exortas. Attamen quia salus aeterna nonnisi perseverantibus promittitur, constanter vos in coeptis perseverare oportet, praesertim in obedientiâ debitâ pastoribus vestris legitimis, nempe Vicariis Apostolicis istuc ab hac S. Sede delegatis, quibus ut semper subiaceatis, vehementer hortamur et mandamus. Date enim operam, ut reliqui omnes fideles istius regni eisdem Vicariis Apostolicis obtemperent, ut extinctis tam perniciosis contentionibus, unanimi concordiâ coniuncti Deo vivo et vero fideliter serviatis. Quam quidem concordiam quamprimum futuram non dubitamus, si decreta tam antiqua, quam recenter edita a Congregatione S. R. E. Cardinalium, quibus commissa est a S. Sede eiusmodi negotiorum diiudicatio, accurate omnes exequamini. Ex eâ namque in Dei cultum conspiratione, fiet ut sacri ministri in salutem animarum cùm fructu et sine impedimento incumbant; quod in omnibus de hac vestrâ Ecclesiâ curis nobis proponimus. Atque ut libentius ferventiusque in hoc conveniatis, divinum auxilium imploramus, et apostolicam benedictionem vobis omnibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. ianuarii MDCXCVII., pontificatus nostri anno VI.

XX.

Innovat Const. Clementis X. qua prohibetur Episcopis Indiarum Orientalium iurisdictionem exercere in regionibus Vic. Ap. curae commissis, peculiariter in regnis de Idalean, Golgondae et Magni Mongoli (2).

---

(1) Ex opusc. — *Raccolta di varie principali scritture dei PP. della Compagnia di Gesù e dei Sig. Missionari del clero secolare sopra la controversia delle idolatrie e superstizioni della China.* — Collat. cum Regest. Vat. epistolar. ad principes et alios.

(2) Ex Regest. in Arch. Brev. Simile praeceptum factum fuit Archiepiscopo Goanensi, aliisque, const. ed. MDCXCVI., die 22 octobris, pontif. VI.; de iurisdictione vicariorum vide const. ed. MDCXCVI., die 23 octobris, pontif. VI.; et de electione vicariorum foraneorum in America vide infra const. ed. MDCXCVIII., die 3 maii, pontif. VII.

INNOCENTIUS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

A Clemente X. declaratum fuit dictos Vicarios habere iurisdictionem, et contradictores incurrere excommunicationem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet felicis recordationis Clemens Papa X. praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras, quarum initium est *Christianae religionis catholicaeque fidei propagationis opus, etc.* (die VII. iunii MDCLXXIV. de particularis Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio emanatas), auctoritate apostolicâ declaraverit, Episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientis, eorumque ministros et officiales non posse nec debere exercere actus iurisdictionales super Vicarios Apostolicos ad regna seu provincias Orientis pro religionis et fidei huiusmodi propagatione ab hac Sanctâ Sede Apostolicâ missos (quippe eiusdem Sanctae Sedis delegatos) eorumque operarios in provinciis sibi assignatis, sed iisdem Vicariis Apostolicis dictae Sedis delegatis in praedictis provinciis iurisdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuisset a Congregatione eorumdem Cardinalium declaratum; ac contraventores eo ipso in poenas excommunicationis et indignationis Romani Pontificis incurrisse censeri decreverit; et aliàs, prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; nihilominus venerabiles fratres moderni Archiepiscopus Goanensis, necnon Meliaporensis, Cranganorensis et Coccinensis Episcopi, sive potius illorum ministri et officiales in regnis de Idalean., Goleandae et Magni Mogolis in Indiis Orientalibus, in quibus nuper venerabilem fratrem Petrum Paulum Archiepiscopum Anciranensem Vicarium Apostolicum cum diversis facultatibus et indultis deputavimus, sub diversis praetextibus iurisdictionem exercere praetendant: hinc est quod nos, supradictas Clementis praedecessoris litteras stricte et inconcusse observari, necnon ipsius Petri Pauli Archiepiscopi et Vicarii Apostolici eiusque operariorum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus earumdem Indiarum Orientalium a nobis specialiter deputatorum consilio, eosdem modernos et pro tempore existentes Archiepiscopum Goanensem, necnon Meliaporensem, Cranganorensem et Coccinensem Episcopos, harum serie paterne monemus, eisque auctoritate apostolicâ in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut dictas Clementis praedecessoris litteras et in eis contenta quaecumque, sub poenis in litteris huiusmodi expressis, exacte et inviolabiliter observent, ac observari curent et faciant; districte propterea inhibentes eis, et per ipsos omnibus illorum ministris et officialibus quocumque nomine nuncupatis, ne, sub quovis quaesito colore, praetextu, causâ vel occasione, ullos in regnis de Idalean., Goleandae et Magni Mogolis supradictis iurisdictionales actus exercere, aut inibi eiusdem Petri Pauli Archiepiscopi seu pro tempore existentis in regnis huiusmodi Vicarii Apostolici eiusque operariorum iurisdictionis exercitium impedire audeant quovis modo seu praesumant, donec aliter a praedictâ Congregatione Cardinalium fuerit ordinatum.

§ 2. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in (1) universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et Contrariorum derogatio.

(1) Praeposit. *in* nos addimus.

sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. februarii MDCXCVII., pontificatus nostri anno VI.

XXI.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium, quo declaratur, in constitutione Alexandri VII., de privilegiis provinciarum Reformatorum Strictioris Observantiae in Hispania et Indiis Occidentalibus, comprehendi provinciam Arrabidae in Lusitania (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Epilogus dictae constitutionis, ex qua constat dicta privilegia primo concessa fuisse provinciis S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae in Hispaniâ.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Antonii a Praesentatione ministri provincialis provinciae Arrabidae in Lusitaniâ Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae Reformatorum seu Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod (cum aliàs tunc existentes fratres provinciarum in Hispaniâ et Indiis consistentium dicti Ordinis felicis recordationis Alexandro Papae VII. praedecessori nostro exponi fecissent, quod dudum recolendae memoriae Gregorius XIII. praedecessor pariter noster diversa privilegia fratribus Reformatis provinciarum S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae in Hispania consistentium strictioris observantiae huiusmodi concesserat, quae praesertim respectu fratrum de Observantiâ a similis memoriae Clemente VIII. et Urbano VIII. Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris confirmata fuerant; provinciae vero fratrum Reformatorum strictioris observantiae huiusmodi ad numerum duodenarium cum divini cultus augmento crevisse tunc reperiebatur, ac propterea dicti exponentes privilegia praedicta omnibus provinciis Reformatis supradictis suffragari debere ab ipso Alexandro praedecessore declarari summopere desiderabant) idem Alexander praedecessor, illorum supplicationibus sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, privilegia, memoratis provinciis S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae ut praefertur concessa et confirmata, reliquas omnes provincias fratrum Reformatorum seu Discalceatorum strictioris observantiae huiusmodi in Hispaniâ et Indiis consistentes comprehendere, eisque in omnibus et per omnia suffragari debere declaraverat, et aliàs prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die V. novembris MCDLXV. expeditis uberius dicebatur contineri; et in eâdem expositione subiuncto, quod, licet in dictis Alexandri praedecessoris litteris solum facta fuerit mentio provinciarum in Hispaniâ et Indiis consistentium, sub nomine tamen provinciarum Hispaniae etiam provinciae Lusitaniae comprehendebantur, easque sub nomine huiusmodi comprehensas intelligi, ex binis piae memoriae Gregorii PP. XV. praedecessoris pariter nostri in eâdem formâ Brevis emanatis litteris, in quibus dictae Arrabidae et aliae quae in Lusitaniâ existunt provinciae dicti Ordinis inter alias Hispaniarum provincias eiusdem Ordinis recensentur, apparebat, immo id (2) ipsum ex praedictis Alexandri praedecessoris litteris colligi videbatur, eâ ratione, quod, nisi Arrabidae et aliae Lusitaniae provinciae praedictae sub nomine provinciarum Hispaniae et Indiarum huiusmodi, ad quarum favorem dictae litterae emanaverant, comprehenderentur, dictus duodenarius provinciarum Reformatarum numerus minime subsisteret, cum tunc temporis duodecim provinciae huiusmodi in Hispaniâ et Indiis praedictis non reperirentur, prout ex authenticis instrumentis eidem Congregationi Cardinalium exhibitis constare dicebatur; insuper fundatio dictae provinciae Arrabidae tempore S. Petri de Alcantara initium habuisse, et anno MDLXI., uno videlicet et amplius saeculo priusquam dictae Alexandri praedecessoris litterae emanarent, absoluta fuisse reperiebatur, ipsaque provincia in ordine antiquitatis et collocationis provinciarum per constitutiones generales dicti Ordinis et in quadam earum compilatione relato tertia numerabatur, atque adeo dubium non erat quin eadem Arrabidae provincia una esset ex illis decem, ad quas dicta privilegia, sicut prae-

Rationes pro comprehensione dictae provinciae Arrabidae.

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Male edit. Main. legit *ad* pro *id*.

mittitur, extensa fuerant; unde superiores generales dicti Ordinis pro tempore existentes ipsam Arrabidae et reliquas provincias huiusmodi in eorumdem privilegiorum fruitione, uti sub illorum extensione comprehensas, inconcusse semper conservaverant; ideoque pro parte eiusdem Antonii ministri provincialis praefatae Congregationi Cardinalium supplicato ut dictam provinciam Arrabidae sub praefatâ privilegiorum extensione comprehensam esse, ipsisque privilegiis gaudere debere declarare dignaretur: emanavit a praedictâ Cardinalium Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum, et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, audito patre ministro generali praedicti Ordinis, et attentis narratis, censuit ac declaravit praefatam provinciam Excalceatorum Arrabidae esse comprehensam in enunciato Brevi extensivo sacrae memoriae Alexandri VII. Romae, die XIV. martii MDCXCVII. — G. Card. CARPINEUS. M. Archiepiscopus Athenarum ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Antonius minister provincialis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Antonio gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. maii MDCXCVII., pontificatus nostri anno VI.

XXII.

Confirmat statuta pro tribus seminariis in dioecesi Angelopolitanâ (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Ortus et progressus dictorum seminariorum a Ioanne de Palafox erectorum et ab Emmanuele absolutorum Episcopis Angelopolitanis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Emmanuel Episcopus Angelopolitanus, quod aliàs, nempe anno MDCXLIV., bonae memoriae Ioannes de Palafox et Mendoza, dum vixit, Episcopus Angelopolitanus, eius antecessor, tria seminaria iuvevum bonis litteris imbuendorum, unum videlicet sub S. Petri principis Apostolorum, alterum sub S. Ioannis, ac reliquum sub S. Pauli Apostoli respective invocationibus, a quorum uno ad aliud, iuxta scientiarum in illis tradendarum ordinem, transitus fieret, congruâ eis reddituum assignatione factâ, comparatâque bibliothecâ decenter munitâ ac publicae commoditati expositâ, ad formam sacrorum canonum, et praesertim decretorum Concilii Tridentini, obtentoque desuper clarae memoriae Philippi IV.,

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

dum vixit, Hispaniarum regis catholici consensu, reservato tamen ei ipsorum seminariorum iurepatronatu, erexit, instituit et fundavit, eorum erectionem huiusmodi a felicis recordationis Innocentio PP. X. praedecessore nostro, per eius litteras desuper in simili formâ Brevis die XXII. maii MDCXLVIII. expeditas, confirmari et approbari obtinuit, prout in publico super praemissis confecto instrumento fusius apparere ac in dictis Innocentii praedecessoris litteris uberius respective dicitur contineri. Postmodum vero dictus Emmanuel Episcopus praedictum seminarium S. Pauli, quia illud nondum perfectum reperiebatur, nec ei de necessariis pro sufficienti iuvenum in eo educandorum habitatione ac ceteris ad victum et decorem pertinentibus provisum erat, perfici curavit, eique congrue providit, necnon, pro ordinariis seu extraordinariis illius expensis supportandis, mille et quingentas patacas auri communis monetae illarum partium ipsius rectori ex communibus redditibus praedictorum seminariorum Ss. Petri et Ioannis ab eorum administratore et thesaurario annis singulis persolvendas, cum cautelis et circumstantiis in similibus apponi solitis, applicavit, ac insuper declaravit et decrevit quod totus dicti seminarii S. Pauli situs cum eius terrenis et confinibus, prout ex plantâ, instrumentis et titulis situs huiusmodi proprietatem demonstrantibus constare dicitur, ad ipsum seminarium S. Pauli legitimo et proprietario titulo spectaret, ac proinde in eo, tamquam in proprio eiusdem seminarii fundo, aedificari posset quidquid de cetero pro maiori illius commodo et utilitate construi expediens fuisset. Ceterum pro felici prosperoque dicti seminarii S. Pauli, et collegialium in eo pro tempore commorantium, necnon praedictorum seminariorum Ss. Petri et Ioannis regimine et gubernio, tam idem Emmanuel Episcopus quam dictus Ioannes similiter Episcopus eius antecessor nonnulla statuta et ordinationes respective fecerunt seu ediderunt, quae ex publico die XXIX. aprilis MDCXC. et aliis itidem publicis desuper confectis instrumentis, in quibus uberius contineri dicuntur desumpta, et in capitula distributa, sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

De numero collegialium Sancti Pauli.

I. Quod collegialium numerus in dicto seminario S. Pauli pro tempore commorantium non excedat octavum.

De bibliothecario.

II. Quod bibliothecarii munus personae habili et idoneae, per Ordinarium Angelopolitanum pro tempore existentem eligendae, tum pro obsequio personarum ad bibliothecam accedentium, cum pro illius conservatione, librorum notitiâ, et assistentiâ, demandetur, quae teneatur diebus ferialibus indispensabiliter bibliothecae assistere.

De oneribus collegialium Sancti Pauli.

III. Quod collegiales S. Pauli teneantur collegialibus Ss. Petri et Ioannis theologiae scholasticae et moralis conclusiones praesignare quae ab eisdem sustinendae erunt, et deficiente collegiali theologo in collegio S. Ioannis artium conclusionibus praesidente, quae conclusiones ter in hebdomadâ sustinendae erunt, ac toties quoties opus fuerit, eis praesidere debeant; necnon dicti collegiales S. Pauli obligati sint ad legendum, cathedrasque philosophiae et theologiae regendum, ac grammaticam et rhetoricam eos edocendum semper et quandocumque ob absentiam, infirmitatem, aliudve legitimum impedimentum praedictorum seminariorum cathedratici et magistrorum qui praedictarum cathedrarum gubernio assistere nequiverint; a qua assistentiâ collegiales S. Pauli praedicti nullatenus excusentur; dictique collegiales S. Pauli, quotiescumque grammaticam, rhetoricam, philosophiam vel theologiam supplendo defectum et absentiam magistrorum aliis duobus collegiis legerint, et collegiales edocuerint, pro ratâ temporis suppleverint, expensas sive alimenta collegio restituere non teneantur, etiamsi beneficia obtinuerint, sed proportionabiliter pro mercede laboris eis condonetur restitutio.

IV. Quod si dicti collegiales ob huiusmodi assistentiam cuilibet alteri obligationi sint adstricti, imposterum liberati et exempti omnino remaneant.

De receptione et numero collegialium Sancti Petri.

V. Idem Episcopus orator, inhaerendo erectioni per dictum praedecessorem aliàs factae, statuit formam in dictâ fundatione statutam, necnon constitutiones ab eodem praedecessore emanatas, tam videlicet circa receptionem collegialium seminarii S. Petri, qui usque ad triginta circiter recipiantur, quique praecipue pauperes filii patrimoniales legitimi et naturales, ac oriunde novarum Hispaniarum, et praedictae dioecesis, si existant, sin minus, aliarum viciniorum dioecesum.

VI. Idem praedecessor aliàs statuit, quod nobiles et divites non excludantur, dummodo solvant centum viginti patacas monetae illarum partium quolibet anno, et in eis concurrant qualitates relatae.

VII. Quod ceteris praeferantur filii eorum qui servitia regi aliàs exhibuerint seu exhibeant.

De eorum studiis.

VIII. Quod collegiales, qui ingredientur in seminarium S. Petri, sint in aetate duodecim annorum, inibique remaneant usque ad decimum septimum seu decimum octavum annum, et discant grammaticam et rhetoricam.

De studiis collegialium Sancti Ioannis.

IX. Quod exinde transeant ad collegium S. Ioannis, ibique maneant donec philosophiam ac sacros canones didicerint.

De studiis collegialium Sancti Pauli.

X. Quod abinde transeant ad praedictum collegium S. Pauli, ut praxim sacramentorum et rerum quae ad perfectionem optimi ecclesiastici sunt necessaria discant (1) ad effectum ut perfecte idonei ad beneficia et officia curata ceteraque munia ecclesiastica obeunda evadant, quique assistere debeant certis temporibus servitiis ecclesiae cathedralis ac divinis officiis interesse.

De privilegiis collegialium Sancti Pauli.

XI. Quod si collegiales divi Pauli sacerdotali charactere initiati fuerint, et assistant moralibus conferentiis aliisque exercitiis ecclesiasticis, eis ad maiorem splendorem et augumentum a dicto collegio subministrabitur illud quod sufficiens erit etiam ad graduationem baccalaureatus in artibus, et in maiori facultate in eodem collegio remaneant tamquam hospites more collegiorum Hispaniae, obligatione tali, ut si postea redditus ecclesiasticos et beneficia ecclesiastica obtinuerint, et commode restituere poterunt id quod illo temporis spatio dispenderunt, ab ipsis sit faciendum; et eodem modo teneantur sacerdotes praedicti ad rationem centum quinquaginta patacarum pro quolibet anno, quod non solum ex debito conscientiae, positâ beneficii assecutione, verum etiam et iustitiae, qua compelli possint, restituere teneantur collegio expensas ad rationem taxatam a fundatore.

De bibliothecâ.

XII. et ultimo. Quod ex eâdem bibliothecâ superius relatâ per praedecessorem praedictum sufficienter libris aliisque necessariis refertâ ac munitâ, idem praedecessor prohibuit, ne libri huiusmodi quavis de causâ vel praetextu ab eâ ullatenus extrahantur.

Confirmatio relatorum statutorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Emmanuel Episcopus capitula, statuta et ordinationes huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Emmanuelis Episcopi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ dilecti filii nostri Petri Matthaei eiusdem S. R. E. Cardinalis Petruccii nuncupati, a Congregatione eorumdem Cardinalium ad huiusmodi negotium examinandum deputati, revisione, praeiserta capitula, statuta et ordinationes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, seminariorum praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse de-

(1) Verbum *discant* addimus.

rogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die x. septembris MDCXCVII., pontificatus nostri anno VII.

XXIII.

Confirmat et innovat plurima decreta Congregationis Concilii super celebratione missarum, unâ cum illorum declaratione, approbatione et innovatione eiusdem Congregationis (1).

INNOCENTIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Decreta Congregat. Concilii auctoritate Urbani VIII. anno MDCXXV., iunii XXI. edita.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prodierunt decreta tenoris infrascripti, videlicet:

« I. Aliàs super celebratione missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicae licentiâ, necnon super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et religiosorum numero ultra redditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo, emanarunt ab hac sacrâ Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate per felicis recordationis Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributâ, quamplura decreta tenoris sequentis:

Causae decretorum.

» Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeant satisfieri, et tamen nova onera missarum in dies suscipiantur; indeque fiat ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac christifideles, gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cum his malis maximum inter cetera fomentum praebeat aut quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a superioribus reductum iri, aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumptâ, plerumque nuda remaneant onera missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis ut non facile inveniantur qui velint huic se muneri subiicere, et redditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui ut sacerdos pro necessariâ suâ sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur: sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum e christianâ republicâ convellere atque eradicare, auctoritate sanctissimi domini nostri Urbani divinâ providentiâ Papae VIII. sibi specialiter attributâ, infrascripta decreta edidit:

Nemo reducat onera missarum.

I. Ac primo districte prohibet atque interdicit ne Episcopi in dioecesanâ synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspectâ, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

Tot celebrentur missae, quot praescribuntur pro datâ eleemosynâ.

II. Deinde, ubi pro pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua et exigua, sive ab uno sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus ac locis piis quibuscumque, tam saecularibus quam regularibus, sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat et praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent, et ad restitutionem tenentur.

Privilegia omnia revocantur.

III. Id vero ut deinde observetur exactius, sacra Congregatio eâdem auctoritate

---

(1) Ex Arch. in Secret. Brev. In Innocentii XI. const. ed. MDCLXXXVI., die 4 maii, pontif. XII., agitur de missis defunctorum; et in huius Pontificis const. ed. MDCXCIX., die 24 aprilis, pontif. VIII., de missis parochorum. Etsi istae const. pertineant ad communem disciplinam, tamen cum ea de quibus disponunt observanda sint etiam in missionibus et necessario sciri debeant, eas referimus.

revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis ac locis piis tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Non diminuatur eleemosyna accepta.

IV. Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesiâ removere volens, prohibet sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retentâ, celebrandam committat.

Pecuniae et bona mobilia relicta pro missis perpetuis investiantur.

V. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis tepidiores ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nullâ aut parvâ sint utilitate coniuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus tam saecularibus quam regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, sub poenâ interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrendâ, a die realis acquisitionis statim deponi debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressâ et individuâ mentione oneris quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona immobilia auctoritate apostolicâ deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eâdem poenâ, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat. Ad haec sacra Congregatio quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum tam saecularium quam regularium superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi vel eius generalis vicarii, regulares vero sine generalis vel provincialis consensu et licentiâ in scriptis et gratis concedenda; alioquin saecularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso: regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activae ac passivae, absque aliâ declaratione, incurrat. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illâ *Eleemosyna pro missis,* vel aliâ simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

Superiores caute concedant facultatem pro suscipiendis missis perpetuis.

VI. Episcopus vero, seu eius vicarius, aut generalis vel provincialis, ubi de licentiâ pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus cuique ecclesiae, monasterio aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit illius sacerdotes tam novo oneri suscipiendo quam antiquis iam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant ut redditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiuscumque civitatis vel provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse redditur os.

Ne familia religiosorum excedat redditus coenobiorum, nec in posterum augeatur sine licentiâ Congregationis Concilii.

VII. Postremo illustrissimi patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infectâ radice pullulare ex maiori regularium numero quam ferant redditus et eleemosynae cuiusque monasterii, inhaerentes summorum Pontificum ac sacri Concilii Tridentini decretis hac de re editis, sanctissimi domini nostri auctoritate praecipiunt ac mandant omnibus et singulis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum ac domorum regularium, bona immobilia possidentium vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti existentium intra fines Italiae et insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet,

in qualibet provinciâ, adhibitis duobus aut tribus regularibus sui Ordinis vel Congregationis probatioribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones, tam communes monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habitâ ratione, diligenter et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueverunt absorbere; eaque omnia scripto fideliter exarata idem superior, cuius interest, in proximo capitulo seu congregatione generali vel provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo seu congregatione deligendis proponat, qui, computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis et obventionibus universis, et oneribus ut supra detractis, sedulo examinent quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis aliisque necessariis servientibus in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari, iuxta regionis et proprii instituti morem, victum et vestitum et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari; tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet capitulo seu congregationi exhibeant, ut in illo, diligenter omnibus discussis, cuiusque familiae monasterii, conventus, ac domus regularis in singulâ quaque provinciâ certus earum tantum personarum numerus patrum capitularium voto praefigatur, quae redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint. Ne vero superiores, qui id praestare debent, serius aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat sacra Congregatio, ut, infra annum post proximum capitulum generale vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant; numerumque familiae singulorumque conventuum, monasteriorum et domorum huiusmodi regularium, capituli seu congregationis generalis vel provincialis sententiâ et auctoritate praefinitum, iidem superiores, tam generales et provinciales omnes, quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augumenti redditiuum, absque sacrae ipsius congregationis licentiâ; superiores autem huiusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum ut supra praescriptum quovis modo augere praesumpserint, vel (1) privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae et passivae, et ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolicâ infligendis poenis sacra Congregatio subiacere voluit et declaravit.

Coenobia erigenda sint capacia duodecim religiosorum.

VIII. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium nullibi recipiatur, nisi, praeter alia ad id requisita, in singulis huiusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi seu religiosi degere, et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum decreti felicis recordationis Gregorii XV. hac de re editi; alioquin monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimode iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Haec decreta sexto quoque mense in publica missa perlegantur.

» Porro, ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem abeant, superiores locales cuiusque monasterii, conventus, ac domus regularis curare atque efficere tenentur, sub poenâ privationis officii vocisque activae et passivae ipso facto incurrendâ, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest feriâ secundâ post dominicam Adventus, et feriâ sextâ post octavam Corporis Christi, praesentes ordinationes in publicâ mensâ perlegantur.

Clausulae.

» Omnibus tam ecclesiasticis personis cuiuscumque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis, quocumque honore et potestate praeditis, praesentia decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdictâ.

» Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula in praesentibus decretis contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum Mendicantium

(1) Particula *vel* delenda videtur.

quam non Mendicantium, militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario et individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum et aliorum quorumcumque tam saecularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mari magno* seu *Bullâ aureâ* aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, sacra Congregatio, Sanctitatis Suae auctoritate, specialiter et expresse derogat; ceterisque contrariis quibuscumque.

» Et ne praemissorum ignorantia a quoquàm praetendi possit, voluit eadem sacra Congregatio ut praesentes ordinationes, in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, omnes, ad quos pertinet, ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent; utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae die XXI. iunii, MDCXXV. — COSMUS Card. DE-TORRES. PROSPER FAGNANUS sacrae Congregationis secretarius ».

Dubia Congregationi Concilii proposita circa relata decreta.

« II. Excitatis autem super praemissorum decretorum intelligentiâ seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memoratâ Congregatione, simili auctoritate illi a praefato Urbano Papa VIII. specialiter attributâ, responsiones seu declarationes inferius apponendae.

De reductione missarum.

I. Super primo S. Congregationis decreto de celebratione missarum, quo prohibetur ne Episcopi in dioecesanâ synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo, reducant onera illa missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, quaeritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? et quid, si permittatur Episcopo in fundatione ut possit huiusmodi onera moderari?

De praescripto numero missarum pro datâ eleemosyna.

II. Super secundo eiusdem congregationis decreto, quo cavetur ut celebrentur tot missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint, quaeritur, an verba illa *praescriptae fuerint* intelligenda sint de praescriptione factâ ab offerente vel ab Ordinario?

III. An, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam, iuxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur missas illis ab offerente praescriptas celebrare?

IV. An sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii seu cappellae, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere, et unico missae sacrificio utrique oneri satisfacere?

V. Posito quod testator relinquat ut celebrentur pro eius animâ centum missae, absque ullâ praescriptione eleemosynae, quaeritur, an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

De privilegiis revocatis.

VI. Super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciat, quaeritur an verba *in futurum suscipiendis* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

De diminutione eleemosynae.

VII. Super quarto eiusdem Congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retentâ, celebrandam committat, quaeritur, an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

X. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solitâ pro celebratione missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis quibus missas celebrandas committunt; an satis sit ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

De missis manualibus et quotidianis.

XI. Super quinto eiusdem Congregationis decreto, quo inter cetera statuitur per haec verba *eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant, etc.*, quaeritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii qui acceptis non satisfecerunt; et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XII. Quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat ut sacerdos missam celebret cum primum poterit?

XIII. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

XIV. An in hoc decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in ecclesiis in die Commemorationis Omnium Sanctorum, et vulgo dicuntur *Casse dei morti?*

XV. An administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus ecclesiae et devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

XVI. Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum et piorum locorum tam saecularium quam regularium superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausulâ generali *et aliis ad quos pertinet,* supplicatur pro opportunâ declaratione.

De numero religiosorum in singulis coenobiis.

XVII. Super septimo eiusdem sacrae Congregationis decreto, quo cavetur ut in singulis monasteriis religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commode possit sustentari, quaeritur, an ubi haec praefixio facta iam fuit in vim similis decreti sanctae memoriae Pauli V., absque tamen computatione reddituum cuiusque religiosi, sit denuo facienda, necne?

XVIII. An novitii, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in monasteriis, in quibus, habitâ ut supra praefixione numeri, commode ali non possunt?

De coenobiis erigendis.

XIX. Super ultimo, quo cavetur ut nullibi recipiantur conventus regularium, nisi, praeter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere et competenter sustentari valeant, itaut alioquin subsint iurisdictioni ordinariae, quaeritur an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem missarum, comprehendat eas religiones, quae non consueverunt onera missarum recipere, ut sunt religiones Capuccinorum ac Societatis Iesu?

Ultimo. An idem decretum, ubi disponit, *ut nullibi recipiantur monasteria, nisi, etc.,* habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam ».

Declarationes seu responsiones ad supradicta dubia.

« Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate sibi a sanctissimo domino nostro attributâ, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad I. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ullâ impensâ id statuet quod magis in Domino e re esse iudicaverit. Verumtamen, si in ipsâ beneficii erectione expresse cau-

tum fuerit ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere et moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad II. Esse intelligenda de praescriptione factâ ab eo qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem (1) vel provinciae.

Ad III. Teneri.

Ad IV. Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii seu cappellae, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eâdem missâ utrique obligationi satisfacere.

Ad V. Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam quae respondeat oneribus missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad VI. Ita esse intelligenda.

Ad VII. Respondit, permittendum non esse ut ecclesiae ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae; et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad VIII. Non habere locum, sed satis esse ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad X. Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad XI. Respondit, non prohibere absolute; ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad XII. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen eleemosynam pro aliarum missarum celebratione offerens (2) id sciat et consentiat ut illae tunc demum celebrentur cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad XIII. Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua missarum celebrandarum sine licentiâ Episcopi vel eius generalis vicarii, aut generalis vel provincialis.

Ad XIV. Comprehendi.

Ad XV. Non posse nisi de consensu eorum qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad XII.

Ad XVI. Comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Ad XVII. Numeri praefixionem esse iterum faciendam, servatâ formâ ultimi decreti hac de re editi.

Ad XVIII. Esse admittendos ad professionem, si aliâs habiles existant, ac deinde in aliquo alio monasterio eiusdem religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad XIX. Censuit comprehendere.

Ad ultimum. Habere locum extra Italiam.

COSMUS Cardinalis DE TORRES. — PROSPER FAGNANUS sacrae Congregationis secretarius ».

Causae novorum decretorum Congregationis Concilii auctoritate Innocentii XII. anno MDCXCVII., die XXIII. novembris edit.

« III. Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelae et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum huiusmodi detestabiles abusus e christianâ republicâ pro viribus evellere, ac opportune providere, ut, sublatis fraudibus, ac emendatâ negligentiâ, piae disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo maior gloria et ecclesiis praestantior cultus reddatur, praeviâ auctoritate per sanctissimum dominum nostrum Innocentium divinâ pro-

(1) Videtur deesse *civitatis* vel *loci*.

(2) Vocem *offerens* ed. Taurin. addit.

videntiâ Papam XII. ei specialiter attributâ, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputatâ, et postea in generali huiusmodi Cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita, examinata edidit.

Confirmatio et innovatio relatorum decretorum et resolutionum.

I. In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus et singulis etiam speciali et individuali notâ seu expressione dignis penitus observari et omnimodae executioni demandari decernit, sancit et praecipit.

De condonatione, reductione, compositione onerum missarum.

II. Insuper ut in re tanti momenti consultius, ac maiori, ut par est, circumspectione procedatur, si qui forsan fuerint vel sint, qui, suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, missarum celebrationem omittunt sub malitiosâ vel irrationabili spe earumdem condonationem vel reductionem a Sede Apostolicâ vel compositionem a reverendâ fabricâ S. Petri de Urbe obtinendi; Congregatio praefata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eâdem Sede nonnisi ex rationabili causâ seu aequâ commiseratione, compositiones vero a dictâ fabricâ, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causâ pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illâ: ***Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, aliàs gratia nullo modo suffragetur***, admitti consuevisse et solere. Quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones seu spes, ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in alium quam praefatarum missarum usum seu satisfactionem, et quascumque alias, directas vel indirectas, immediatas vel mediatas, contraventiones seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, iniustas et illicitas, illasque omnino reprobat, damnat et interdicit.

De receptione et tabulâ onerum missarum.

III. Cumque huiusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli rectores, superiores et ministri quarumcumque tum saecularium tum regularium ecclesiarum, seu earum capitula, ne onera, seu missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant. Utque id ipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum: quorum implemento si moraliter et intra praescriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint; alias missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales, per se vel per interpositas personas, quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant; et ulterius tali casu in eâdem tabellâ similiter exprimant, se se propterea aliis missis acceptandis et celebrandis impares esse.

De duobus libris onerum missarum.

IV. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte et diligenter annotare et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes huiusmodi in praefatis respective libris, simili distinctione et diligentiâ, tam praefati a quibus rationes debent reddi, quam superiores quibus reddendae erunt, describere seu annotare sive describendas vel annotandas respective curare.

De capsâ eleemosynarum missarum pro regularibus.

V. Quibus semper salvis, debeant ulterius regulares praedicti omnes et quascumque eleemosynas tum manualium tum perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsâ particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione missarum coram patribus discretis seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

Poenae in contravenientes circa praemissa.

VI. Quod si praedicti, ad quos iura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et superiores tum saecularium

tum regularium ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus saeculares poenam suspensionis incurrant, regulares vero voce activâ et passivâ ac gradibus et officiis, quae obtinent, ipso facto et absque aliâ declaratione privati sint et intelligantur, necnon ad huiusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint et intelligantur.

De expositione et lectione relatorum decretorum et declarationum.

VII. Porro, ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula ecclesiarum saecularium illa retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cuiuscumque monasterii, conventus ac domus regularis curare et efficere teneantur, sub poenâ privationis officiorum quae obtinent, vocisque activae et passivae, ipso facto incurrendâ, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feriâ secundâ post primam dominicam Adventus, et feriâ sextâ post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae tum insertae seu confirmatae tum in praesens factae ordinationes, unâ cum dictis declarationibus, in publicâ mensâ perlegantur.

De curâ Ordinariorum circa executionem praemissorum.

VIII. Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis et in ecclesiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini sibi subiectis missae eâ qua par est fide et diligentiâ celebrentur, et cuncta et singula decreta huiusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum iustitiam recurrentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus et modis quos expedire et convenire toties quoties iudicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversentur.

De eâdem curâ superiorum regularium.

IX. Caveant etiam respective omnes regulares tum subditi tum superiores quicumque, nedum locales, sed etiam provinciales et generales, ne missarum celebratio et omnium decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praeiudicio illarum quibus missae sunt applicandae, et cum magno christifidelium scandalo, quoquomodo omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur, alioquin, ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum quae obtinent, necnon inhabilitationis ad huiusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

De fide celebrationis missarum a superioribus in capitula exhibendâ.

X. Curent propterea praefati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii, seu cuiuscumque domus regularis subscriptam et iuratam, quod omnibus et singulis tum perpetuis tum manualibus missarum oneribus seu obligationibus, ad limites et tenorem praesentium decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum, vel, deficiente aliquâ modicâ satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, eâ adiectâ et omnino adimplendâ conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis capitulis seu congregationibus omnino habere non valeant.

De attestatione visitatorum, quod suo muneri satisfecerint circa praemissa.

XI. Praeterea provinciales, vicarii et visitatores provinciarum seu congregationum debebunt in fine eorum regiminis superioribus generalibus in formâ probante ostendere quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus et singulis conventibus seu monasteriis vel domibus regularibus provinciae seu congregationis de omnibus et singulis oneribus et obligationibus ac insimul satisfactionibus missarum exactam et diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective poenarum in decretis contentarum processerint, et de adimplemento, circa ea quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; aliàs ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittuntur.

De executione praemissorum quoad superiores et officiales ceterorum locorum piorum.

XII. Ceterum, quia etiam ad quamplures archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitia, altaria, cappellas, oratoria et ecclesias, ac alia loca et opera pia quomodolibet nuncupata (quae cuicumque curae seu regimini aut administrationi vel directioni laicorum cuiuslibet gradus, status, conditionis et praeeminentiae etiam speciali et individuali notâ dignorum

dumtaxat, vel quorumcumque ecclesiasticorum et laicorum huiusmodi mixtim commendata, annexa seu quomodocumque commissa vel attributa sunt) onus seu cura celebrationis missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet: hinc, salvis semper iis, quae in praeinsertis decretis continentur, omnes et quicumque huiusmodi archiconfraternitatum, societatum, congregationum, hospitalium, altarium, cappellarum, oratoriorum et ecclesiarum, ac aliorum locorum et operum piorum rectores seu administratores vel directores, et alii huiusmodi officiales, necnon ii, ad quos cura tabellae et librorum in praemissis spectat, tabellarum libros et haec decreta respective, iuxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis, ad quos pertinet, reddere, sub poenis arbitrio, et, in subsidium, excommunicationis, teneantur.

Interdicta facultas interpretandi et dispensandi.

XIII. Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis, cuiuscumque Ordinis, status, gradus, regulae, congregationis, societatis, conditionis et dignitatis existant, quam laicis quocumque honore et potestate praeditis, omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenas in huiusmodi decretis relaxandi, seu quoquomodo circa praemissa dispensandi, omnis et quaecumque facultas sit penitus interdicta.

Clausulae.

» Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula in huiusmodi decretis contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium, militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, et congregationum, societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario, et in individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum et aliorum quorumcumque tam saecularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mari Magno* seu *Bullâ aureâ* aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent praesentibus (1) adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio, Sanctitatis Suae auctoritate, specialiter et expresse derogat; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, die XXIII. nov. MDCXCVII.

IOSEPH Card. SACRIPANTES, praefectus.

FERDINANDUS NUPTIUS
Sacrae Congregat. secretarius ».

Causa confirmationis.

§ 2. Quocirca, cum dilectus filius noster Ioseph tituli S. Mariae Transpontinae S. R. E. presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis praefectus, praefata decreta nobis retulerit, nos, considerantes eadem et singula omnia decreta, eâ qua decet maturitate digesta et examinata, ac in vim apostolicae auctoritatis, eidem Congregationi specialiter ut praefertur attributae, peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, necnon constitutionis nostrae munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, inserta decreta, omniaque et singula in eis contenta, tenore praesentium, auctoritate apostolicâ, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus; quinimo, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, omnia et singula, in supradictis decretis contenta, de novo statuimus, decernimus et ordinamus, ac ab omnibus et quibuscumque, etiam speciali et individuâ notâ dignis, omnino exacte et perpetuo servari volumus, sancimus et mandamus.

(1) Edit. taurin. addit *pro expressis habens, quibus quoad ea quae praesentibus.*

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, cum omnibus et singulis inibi contentis, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis Apostolicae Nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis, quae praefata Congregatio, auctoritate per eiusdem recordationis Urbanum PP. VIII. et respective per nos illi specialiter attributâ, decrevit non obstare, quae pariter et iterum nos, tenore praesentium, non obstare decernimus et mandamus; quibus omnibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter et expresse derogamus: ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentes litterae in valvis Ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, curiaeque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent; pariterque, ut earumdem praesentium transumptis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, statuti, decretorum, ordinationis, voluntatis, sanctionis, mandatorum et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXCVII., x. kalendas ianuarii, pontif. nostri an. VI.

XXIV.

Confirmat decretum Congregationis S. Officii de vicariis foraneis, aut aliis ab Ordinariis Americae in locis a curiâ episcopali ultra duas dietas distantibus pro statu libero contrahentium eligendis (1).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Decretum dictae Congregationis.

§ 1. Pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici exponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir modernus comes de Altamira, eiusdem Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam orator, quod, cum ipse, dicti Caroli regis nomine, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede praedictâ specialiter deputatorum exposuisset, ipsi Carolo regi innotuisse scandala in partibus Americae eidem Carolo regi subiectis vigentia, eo quia, Ordinariis earumdem partium indistincte omnes suos subditos matrimonium contrahere volentes ad probandum suum statum liberum in cuiuslibet eorum curiâ episcopali compellentibus, ii, qui a curiâ huiusmodi longe aberant, post conclusum matrimonii tractatum, sive quia testes, qui ad curiam praedictam accedere vellent, non inveniebant, sive quia pecuniis pro illuc deducendis testibus huiusmodi necessariis carebant, matrimonio minime celebrato, cum scandalo et peccato in mutuâ consuetudine et commercio perseverabant; ac proinde dictus comes memorati Caroli regis nomine Congregationi praefatae supplicasset, quatenus, ad eiusmodi inconvenientia tollenda, Ordinariis praedictis praeciperet, ut, quoad loca a curiâ episcopali ultra duas dietas distantia, parochialium ecclesiarum rectoribus, sive aliis personis sibi benevi-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

sis, facultatem recipiendi probationes super statu libero matrimonia contrahere volentium concederent, itaut, probationibus huiusmodi sic factis, ad matrimonii celebrationem deveniri valeret: emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Feriâ quartâ, die IX. aprilis MDCXCVIII., in congregatione generali Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in conventu S. Mariae super Minervam, coram eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis, lecto retroscripto memoriali, eminentissimi et reverendissimi domini Cardinales generales inquisitores praedicti annuerunt praedictae instantiae, et mandarunt quod per dominos Episcopos deputentur, ad hunc effectum, vel vicarii foranei, vel alii eis benevisi. IOSEPH BARTHOLUS Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint et serventur exactius illa quae apostolici muniminis praesidio roborantur, nobis propterea praedicti Caroli regis nomine supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, piis eiusdem Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit, in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac costitutionibus et ordinationibus apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur praesentibus ipsis, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. maii (1) MDCXCVIII., pontificatus nostri anno VII.

XXV.

Patriarchae nationis Armenorum commemorat fidei professionem a S. Silvestro per S. Gregorium Illuminatorem ad Armenos missam, ad quam profitendam eum cum Episcopis et populo invitat (2).

Venerabili fratri Nahabiet totius nationis Armenorum,

INNOCENTIUS PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Graves, etsi non insuetos, moerores ingerit animo pontificio frequens recordatio maximarum calamitatum, quibus florentissima olim et huic S. Sedi obsequentissima gens Armenorum tamdiu misere conflictatur; illos tamen non parum lenire potuerunt fraternitatis tuae literae ad nos datae, quibus tu quidem, vir egregius ac tot populorum et sacrorum Antistitum late Praesul, eximiam tuam in nos et eamdem Sedem observantiam luculenter significas, Romanam Ecclesiam, cui nos licet immeriti praesidemus, matrem appellas, ac ex hisce Salvatoris fontibus, qui apud nos sunt, aquas in aeternam vitam salientes tibi tuisque deposcis. Quare fraternitatatem tuam, ac quod D. N. Iesu Christi Vicario in humilitatis nostrae Personâ religiose exhibes,

(1) Edit. Main. in textu habet *martii*, sed ad marg. legit *maii*.

(1) Ex Reg. Vat. epistolar. ad principes et alios, fol. 89.

obsequium praecipuo caritatis affectu complectimur, pontificium patrocinium, quod nunc benevolentissime pollicemur, in omnibus, quae se offerent, occasionibus plane repraesentaturi. Etsi enim longis terrarum mariumque spatiis a regionibus istis absumus, vigilibus tamen curis paternae dilectionis, quo inclytam nationem vestram prosequimur, rebus vestris praesto esse non praetermittimus. Hinc quoties Armenos Episcopos devotionis ergo, debitumque obedientiae tributum Apostolorum Principi ac nobis humiliter persolvendi causâ ad hanc almam Urbem accedere contingit, eos hic perbenigne excipi et congrue ali curamus, quin imo nec quibusvis aliis eiusdem nationis hominibus apostolicae caritatis argumenta deesse patimur, quibus scilicet non modo in temporali nostrâ ditione .quamcumque molestiam inferri districte prohibemus, sed eos inibi, praesertim vero in Urbe praefatâ, in qua Romani Pontifices praedecessores nostri, gentis vestrae commodis ac pietati consulentes, hospitium insimul et ecclesiam, in qua vestri ritus sacra catholico more libere ac decenter perageretis, designarunt, amanter recipi et debitâ humanitate foveri omnino volumus. Illustria profecto haec sunt pontificii amoris in Armenam nationem testimonia, a qua proinde illud vicissim nobis optandum superest, ut S. huic Apostolicae Cathedrae constanter adhaerere studeat, nec ab huius petrae soliditate deinceps abduci ullo modo patiatur, adeo ut Ecclesia vestra omnino consentiat cum Ecclesiâ latinâ in professione catholicae fidei, in eâ scilicet professione, quam san: me: Silvester Papa praedecessor noster per manus B. Patris Gregorii Illuminatoris tunc Romae degentis ad Armenos ceterosque orientales populos deferri pro suâ solicitudine curavit: quae sane professionis forma mirifice congruit traditionibus ac doctrinae praeclarorum veterum scriptorum, qui in regionibus istis antehac eximie floruerunt.

Confidimus autem, te a divinae gratiae ineffabili lumine illustratum iri, ita ut reiectis falsis, quae a nonnullis contra Apostolicam Sedem istic vulgantur, opinionibus, atque inspectâ, prout decet venerabilem prudentiam tuam, rerum veritate, exciteris ad inquirendam et assequendam perfectam cum Capite unionem, ut ita nos invicem te in unitate spiritus, quemadmodum praeteritorum Pontificum praecipue vero memorati Silvestri exemplo vehementer cupimus, in paternum sinum excipiamus. In hanc itaque adeo salutarem unionis perfectae curam, ven. frater, toto pectore diligenter incumbe, fratres et universos filios in Christo tuos hortari, monere, confirmare ne desinas, ut illis et ipsi tibi perennem in caelo gloriam, et, si placuerit Domino, tranquilliorem et paratiorem huius quoque vitae dirigendae rationem aliquam impetrare queas; cum enim a piae matris ubere ductuque descivisse malorum omnium, quae in vos irruerunt, origo et radix prima fuerit, existimare par est, ad eamdem reditu miserias, quibus obstricti nunc estis, accersi benedicente Domino, plane posse.

Interim scire te volumus, nos ex animo gavisos fuisse, ubi intelleximus saevam in te excitatam tempestatem, imperante Domino ventis, iam resedisse, teque feliciter ac magnâ tui nominis gloriâ inimicorum insidias evasisse, nec dubitamus, si pia mens atque voluntas, quam ostendisti, firma tibi et stabilis permanserit, quin misericordiarum Pater Deus, qui facit mirabilia magna solus, nova adhuc et uberiora gaudia nobis de rebus tum spiritualibus tum temporalibus vestris in melius conversis benigne praebiturus sit, quod ab eius infinitâ clementia summis precibus postulamus. Ceterum ut paternae nostrae in te voluntatis luculentiora habeas argumenta, mittimus ad te pietatis non minus, quam doctrinae laude praestantem virum dilectum filium Cacciaturum Arachiel presbyterum Armenum, qui sensus tibi nostros, imo potius Romanae Ecclesiae, in cuius sinu educatus fuit, uberius explicabit: interea vero tanquam praedictae voluntatis qualecumque pignus, munuscula quaedam ad te perferri curavimus. Ac fraternitati tuae totique nationi Armenorum tuorum propitium et aspirantem Deum omnipotentem exposcimus, apostolicamque benedictionem ex omni cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die III. maii MDCXCVIII., pontificatus nostri anno VII.

XXVI.

Confirmat duo decreta ministri generalis circa hospitium in coenobio de Aracaeli de Urbe pro fratrum provinciarum Indiarum Occidentalium Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia (1).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus de Leon frater expresse professus provinciae Ss. XII. Apostolorum in regno Peruviae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, cum aliàs ipse (qui, ut asserit, lector iubilatus ac Officii inquisitionis dicti regni qualificator, necnon causae canonizationis B. Francisci Solani, dum vixit, eiusdem Ordinis professoris, in Romanâ Curiâ procurator et secretarius generalis dicti Ordinis existit) ex eleemosynis provinciarum Indiarum Occidentalium ipsius Ordinis hospitium quoddam in conventu S. Mariae de Aracaeli nuncupato de Urbe, Ordinis huiusmodi, pro religiosis dictarum provinciarum privative ad alios construere intenderet, eâque de causâ venerabili fratri Bonaventurae Poërio Archiepiscopo Salernitano, qui tunc ministri generalis eiusdem Ordinis munere fungebatur, supplicem libellum super praemissis porrexisset tenoris qui sequitur, videlicet:

Supplex libellus secretarii generalis pro construendo hospitio, quod primo inservire debeat fratribus Indiarum Occidentalium, deinde aliis cum facultate commissarii generalis.

« Reverendissime pater. Exponitur humiliter reverendissimae paternitati vestrae pro parte fratris Nicolai de Leon, lectoris iubilati, sacrae Inquisitionis qualificatoris, excustodis et prioris provinciae XII. Apostolorum *del Perù,* in hac Romanâ Curiâ causae canonizationis B. Francisci Solani procuratoris, et actualis secretarii generalis Ordinis, devoti paternitati vestrae reverendissimae oratoris, qualiter, ruinam minante et ex hac causâ ab architecto recognitâ et vere ruinosâ et collabente repertâ cellâ quae a quinquaginta annis et ultra inservierat et usque modo inservit pro habitatione procuratoris pro tempore supradictae causae B. Francisci Solani, quod totum reverendissimae paternitati vestrae patet, ad praecavendam huiusmodi habitationis imminentem ruinam, orator, habito super hoc, nedum praefatae suae provinciae, sed et aliarum Occidentalium Indiarum, ac insuper bonae memoriae patris Iuliani Cumillas praedecessoris et reverendissimi patris Antonii de Cardona actualis Indiarum commissarii generalis, maturo consilio et assensu ac voluntate, habitationem ipsam demoliri decrevit, aliamque a fundamentis in ampliorem et commodiorem formam ex eleemosynis earumdem provinciarum ad huiusmodi effectum collectis redigere et erigere perpendit. Verum, quia provinciae praefatae eleemosynas huiusmodi nullatenus profundere intendunt, nisi etiam, ut par est, super hoc accedat consensus, confirmatio et approbatio vestrae paternitatis reverendissimae, ac insuper quod novum aedificium eiusque cellae perpetuis futuris temporibus stare et inservire debeant pro habitatione dumtaxat reverendissimi patris commissarii generalis Indiarum pro tempore et (2) earumdem provinciarum religiosorum, si et quatenus quacumque de causâ sive quomodocumque Romam accedere et permanere contingat, ac insuper quod aedificium ipsum sic erectum eiusque cellae perpetuis futuris temporibus sub curâ et dispositione reverendissimi patris commissarii generalis Indiarum pro tempore existentis manere debeant, et in eo (casu quo Romae non adessent religiosi praedictarum provinciarum qui primo et principaliter in ipso domicilium habere debent privative ad alios) nullus omnino, cuiusvis gradus, dignitatis et conditionis sive cuiuscumque nationis, familiae seu provinciae sit, inibi recipi possit, nisi ad effectum huiusmodi ab eodem reverendissimo patre commissario generali Indiarum licentiam seu facultatem in scriptis exhibendam obtinuerit: hoc itaque totum humillime supplicat orator per paternitatem vestram reverendissimam confirmari, approbari et respective mandari atque inhiberi; ac insuper, pro maiori horum notitiâ, observantiâ et executione, petit idem orator a vestrâ paternitate reverendissimâ, quatenus dignetur permittere et mandare, ut eidem habitationi sive hospitio lapis superimponatur cum sequenti inscriptione, si ita in Domino sibi benevisum fuerit. Quod, etc.

Inscriptio: Ne habitationis inopiâ religiosi ex Indiis Occidentalibus Romam accedentes hinc inde vagari cogerentur, admodum reverendus P. F. Nicolaus de Leon,

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Coniunct. *et* nos addimus.

lector iubilatus, sanctissimae Inquisitionis regni Peruani qualificator, provinciae XII. Apostolorum de Lima excustos et prior, necnon canonizationis B. Francisci Solani in Curiâ procurator, et secretarius generalis Ordinis, remotâ parvulâ et pene collabente cellâ, quae vix procuratori causae eiusdem B. Francisci Solani satis erat, ex eleemosynis provinciarum praedictarum, ad hunc effectum collectis, habitationem hanc et hospitium a fundamentis de assensu superiorum generalium extruxit anno Domini MDCXCVI. »;

Decretum dicti ministri generalis, quo annuit cum adiectione poenarum in contravenientes.

Idem Bonaventura Archiepiscopus tunc minister generalis super supplici libello huiusmodi decretum edidit tenoris sequentis, videlicet: « Frater Bonventura Poërius, sacrae theologiae lector iubilatus, ac totius Ordinis nostri patris Sancti Francisci minister generalis et servus, necnon auctoritate sanctissimi domini nostri Innocentii Papae XII. commissarius apostolicus, etc., oratoris precibus, utpote fraternae religiosaeque charitati conformibus, ut hospitium pro religiosis provinciarum Indiarum Occidentalium dumtaxat, et in eodem loco, ubi usque modo habitavit et adhuc de praesenti habitat procurator causae canonizationis nostri B. Francisci Solani, dirutâ prius ac demolitâ antiquâ cellâ inibi existente, hospitium, in meliorem atque ampliorem formam a novis fundamentis construendum, erigi possit, vigore praesentis nostri decreti facultatem et assensum nostrum benigne indulgemus et concedimus, atque adeo id exequi iniungimus et mandamus. Quandoquidem vero pro huiusmodi aedificio supradictae provinciae Indiarum Occidentalium independenter ab aliis eleemosynas necessarias subministraverint; ideo primo et principaliter earum religiosis Romam quacumque de causâ accedentibus hospitalitati inservire debebit, quod firmiter observari praecipimus: pro tempore autem, quo earumdem provinciarum fratres Romae non reperirentur, pariter mandamus ut in eodem hospitio nullus, quavis de causâ aut motivo, cuiusvis nationis, familiae vel provinciae, sive cuiuscumque gradus, dignitatis, et conditionis existat, omnino ad cohabitandum recipiatur, nisi a patre reverendissimo commissario generali Indiarum (cui hospitii curam et dispositionem committimus) facultatem et licentiam in scriptis exhibendam ad hunc effectum obtinuerit, sub poenis proprietariorum vocisque activae et passivae ipso facto incurrendis, aliisque gravioribus ad arbitrium patris superioris generalis, tam aliter quam ut praefertur permittentibus, quam respective sustinere praetendentibus: itaut semper ex nunc et in futurum, ut aequum est, pro fratribus earumdem provinciarum, quae eleemosynas subministraverunt primo et principaliter, privative ad alios, hospitium ipsum stare et inservire debeat. Praeterea ad maiorem huius determinationis nostrae observantiam et subsistentiam, libenter concedimus, lapidem cum supra scriptâ, sive aliâ clariori, idem tamen referente, inscriptione, eidem hospitio superimponi. Permittentes oratori, si et quatenus opus fuerit ad maiorem validitatem et efficaciam, ut praedictorum omnium et singulorum a sanctâ Sede Apostolicâ bullam confirmationis procurare et obtinere valeat; quibuscumque non obstantibus, etc. Datum Romae, hac die XXV. februarii MDCXCVII. — Frater BONAVENTURA POËRIUS, magister generalis et commissarius apostolicus. — *Loco † sigilli.* De mandato suae paternitatis reverendissimae, frater I. MARIA DE S. CRUCE secretarius generalis Ordinis ».

Decretum alterum ministri generalis, quo relatum confirmatum fuit post constructum hospitium.

Subinde vero, cum idem Nicolaus dilecto filio Matthaeo a S. Stephano, moderno ministro generali Ordinis praedicti, exposuisset, se hospitium praedictum iam construxisse, ac proinde toto decreti supradicti tenore inserto eidem supplicasset ut illud confirmare dignaretur: emanavit ab eodem Matthaeo ministro generali aliud decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Frater Matthaeus a S. Stephano, sacrae theologiae lector iubilatus, ac totius Ordinis sancti patris nostri Francisci minister generalis, etc. Attentis oratoris precibus in hoc retroscripto libello ad nos directo contentis, eisdem omnino annuendum esse censemus. Hinc est quod, insistendo vestigiis reverendissimi patris Bonaventurae Poërii, nostri in officio praedecessoris, suprainsertum decretum, ab illo summâ maturitate, ponderositate et prudentiâ factum, tenore praesentium approbamus, ratihabemus et confirmamus, praecipientes in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis in eodem contentis, omnibus nobis subordinatis praelatis et subditis, ne illud quovis modo infringant vel infringi permittant, sed inviolabiliter observent, et taliter faciant observari. Datum Romae ex Aracaeli, die XXI. septembris MDCXCVII. — Frater MATTHAEUS

a S. Stephano minister generalis. — *Loco † sigilli.* De mandato suae reverendissimae paternitatis, frater Ioannes Maria de S. Cruce secretarius generalis Ordinis ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Nicolaus decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Nicolaum specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis provinciarum et conventus praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. augusti MDCXCVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XXVII.

Mandat quod in provinciâ S. Ioannis Baptistae in regno Peruano Ordinis Praedicatorum serventur constitutiones capitulorum generalium circa successionem fratrum coniunctorum in prioratibus (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Referuntur constitutiones et causae mandati.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Salzedo frater expresse professus provinciae S. Ioannis Baptistae in regno Peruano Ordinis Praedicatorum, quod (cum dilectus etiam filius Didacus Moratto prior provincialis dictae provinciae, in novissimo illius capitulo provinciali die XXIV. iulii MDCXCVII. celebrato, ad officium prioris provincialis huiusmodi electus, eiusque procurator ad hanc almam Urbem missus, varia consilia et conatus meditarentur, ut ipsius Didaci fratres secundum carnem dicti Ordinis professores ad succedendum ei in dicto officio habilitari obtinerent; ipse vero Hieronymus, ad eamdem Urbem, ut illorum consilia huiusmodi praeveniret pariter missus, nobis supplicasset, ut, quo inordinationibus quae in proximo et aliis subsecuturis electionibus priorum provincialium provinciae praedictae praesertim ex praetensâ habilitatione huiusmodi oriri poterant occurreretur, constitutiones praedicti Ordinis, per quas expresse prohiberi dicitur ne frater fratri secundum carnem in eodem provincialatus aut prioratus officio immediate succedere valeat, omnino observari debere decerneremus, nosque supplicem libellum nobis super hoc porrectum ad Congregationem infrascriptorum Cardinalium remisissemus) ipsa Congregatio Cardinalium dilecto etiam filio magistro generali dicti Ordinis rescripsit pro omnimodâ observantiâ decretorum capitulorum generalium tam in imminenti quam in aliis in futurum peragendis electionibus.

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

Preces patris Hieronymi Salxedi.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut conservationi regularis disciplinae in dictâ provinciâ peramplius consultum sit, non tantum generaliter decretum capitulorum generalium huiusmodi, sed insuper specialiter earum constitutionum seu ordinationum, per quas disponitur ut non solum fratres secundum carnem, verum etiam alii quicumque primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu inter se coniuncti seu se attinentes, sibi invicem in prioratibus sive provincialibus sive conventualibus immediate succedere nequeant, observantiam in provinciâ huiusmodi demandari necesse sit, attento praesertim quod priores provinciales dictae provinciae pro tempore electi, ex privilegio a Sede Apostolicâ, ut asseritur, concesso, ante obtentam confirmationem electionis de ipsorum personis factae, ipsam provinciam statim gubernare incipiant, adeoque, cum litterae pro tempore existentis magistri generalis Ordinis praedicti super confirmatione huiusmodi nonnisi post duos annos a tempore secutae electionis decursos illuc perveniant, nullum malis, quae hoc intermedio tempore ex immediatis fratrum vel aliorum consanguineorum aut affinium successionibus huiusmodi oriri possunt, remedium ab ipso magistro generali adhiberi possit; ac proinde dilectus pariter filius modernus procurator generalis dicti Ordinis memoratas constitutiones seu ordinationes, quas, ut his malis occurratur et regulari disciplinae prospectum sit, in dictâ provinciâ observari, sicut praemittitur, necesse est, ex diversis capitulis generalibus Ordinis praedicti collegerit, et in relatione suâ dictis Cardinalibus super praemissis factâ enunciaverit ac recensuerit, nempe: « in capitulo Vallisoletano anno MDCV. celebrato, ordinatione XLV., mandatum reperiri ut in provinciis Indiarum dicti Ordinis duo secundum carnem fratres sibi invicem in prioratibus tam provincialibus quam conventualibus nullo pacto succedant, eorumque electiones contra ordinationes huiusmodi formam factas eo ipso irritas et nullas declarari et decerni; ac id ipsum etiam antea in capitulo Romano, ordinatione XX., pro provinciâ Lombardiae Ordinis praedicti statutum fuisse; quinimo in capitulo Veneto, anno MDXCII. habito, ordinatione XXXI., pro provinciâ S. Thomae seu Apuliae Ordinis huiusmodi disponi ut primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu inter se coniuncti seu se attinentes sibi in officiis provincialibus vel prioratibus non succedant; idque pariter in capitulo Valentino anno MDXCVI. congregato pro provinciâ Fainacliae eiusdem Ordinis demandari »: nobis propterea dictus Hieronymus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio laudatarum constitutionum.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Hieronymi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dictum procuratorem generalem super praemissis audiverunt, consilio, enunciatas constitutiones capitulorum generalium Ordinis supradicti in memoratâ provinciâ S. Ioannis Baptistae in regno Peruano, itaut fratres illius tam in primo quam in secundo gradu coniuncti in officiis priorum tam provincialium quam conventualium immediate succedere nequeant, observari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae S. Ioannis Baptistae ac Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litte-

ris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. octobris MDCXCIX., pontificatus nostri anno IX.

XXVIII.

Confirmat decretum provinciae S. Evangelii in Novâ Hispaniâ Ordinis Minorum de Observantia Recollectorum de eligendo uno definitore eiusdem provinciae (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Decretum refertur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae S. Evangelii nuncupatae in Novâ Hispaniâ Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum, quod (cum in constitutionibus generalibus dicti Ordinis disponatur, ut in singulis capitulis provincialibus provinciarum familiae ultramontanae eiusdem Ordinis pro tempore celebrandis unus religiosus ex statu Recollectionis Ordinis huiusmodi assumatur et in definitorem omnino eligatur, haecque dispositio in dictâ provinciâ usu recepta reperiatur, inter fratres vero, qui de Observantiâ dicuntur, in eâdem provinciâ existentes, quaedam vigeant partialitates, quas fratres de Observantiâ praedicti etiam inter ipsos exponentes introducere tentarunt) iidem exponentes, agnoscentes partialitates huiusmodi eorum quieti et religiosis institutis repugnare, non solum eas omnino reiecerunt, verum etiam, quo firmius sua iura tuerentur, curarunt ut die XIII. decembris MDCXCVI. totâ provinciâ praedictâ illiusque definitorio consentientibus et subscribentibus, inter alia ederetur decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Item determinatum fuit, quod, quia semper sancta Recollectio istius provinciae definitorem perpetuo teneat, conformiter ad nostras leges eligatur semper unus definitor Recollectionis absque eo quod attendatur ad aliquam partialitatem; et casu, quo vel ex morte vel ex aliâ quacumque causâ definitoris Recollectionis votum vacaret, statutum generale de hoc puncto pertractans servabitur ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, variis artibus et coloribus decretum huiusmodi in maximum Recollectionis inter exponentes praefatos stabilitae praeiudicium eludi ac, saltem indirecte, averti tentatum fuerit; ac proinde dicti exponentes illud, quo perpetuam roboris obtineat firmitatem, nec a quoquam, sub quovis praetextu, directe vel indirecte, convelli, aut prave detorqueri unquam possit, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum etiam filium commissarium generalem Curiae dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores,

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. decembris MDCXCIX., pontificatus nostri anno IX.

XXIX.

Concedit indulgentiam plenariam per modum suffragii in die communionis generalis a patribus Iesuitis fieri solitae semel in mense christifidelibus regni Angliae (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Concessa fuit praedicta indulgentia in aliquâ mensis dominicâ pro omnibus locis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus provincialis provinciae Angliae Societatis Iesu, quod aliàs omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam dictae Societatis, vel quamcumque aliam saecularem ecclesiam ubicumque existentem, unâ ex dominicis cuiuslibet mensis qua communio generalis sollicitudine dilectorum filiorum clericorum regularium eiusdem Societatis, et quoad ecclesias saeculares de licentiâ Ordinariorum locorum illarumque rectorum consensu, ibidem ageretur, devote visitassent, et iisdem dominicis in aliquâ ex praedictis ecclesiis sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, ibique pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissio, quam animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migravissent, per modum suffragii applicare possent, auctoritate apostolicâ concessa reperitur, et aliàs prout in apostolicis desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenore praesentium pro plene et sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus, uberius asserit contineri.

Extensio pro regno Angliae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plures Societatis huiusmodi presbyteri per diversas catholicorum in regno Angliae degentium domos, ad hoc ut eis consulatur, ministrando illis sacramenta, verbum Dei praedicando, ac in viâ salutis dirigendo, clam tamen, propter severissimas regni praedicti leges id vetantes, mitti consueverint; verum multi ex iisdem christifidelibus inter se habitatione distent, nec ad omnes presbyteri praefati iisdem diebus dominicis accedere valeant; ac propterea idem provincialis opportune in praemissis a nobis provideri summopere desideret: nos, piis ipsius provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus christifidelibus nunc et pro tempore in dicto regno Angliae commorantibus, qui quocumque die, quo eis id commodum fuerit, curâ et operâ presbyterorum dictae Societatis in eodem regno pro tempore missionariorum, semel dumtaxat quolibet mense, in aliquâ ecclesiâ seu oratorio regni praefati, ubi missa licite celebretur, idem sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ibique sicut praemittitur oraverint, ut supradictam plenariam indulgentiam et remissionem, quam pariter animabus fidelium defunctorum applicare possint, lucrentur in omnibus et per omnia, perinde ac si praemissa in unâ ex dominicis praefatis iuxta dictarum litterarum praescriptum peregissent, servatâ tamen in reliquis earumdem litterarum formâ et dispositione, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit,

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Aliae indulgentiae extant in Alexandri VIII. const. edit. MDCXC., die XXX. martii, pontif. I.; et in Benedicti XIII. constit. edit. MDCCXXVI., die XXIII. septembris, pontif. III.

nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. martii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

XXX.

Abbatem Generalem monachorum Aethiopum docet, viam salutis, quam monachi se a saeculo abducentes quaerunt, non inveniri nisi in Ecclesiâ catholicâ, ad quam proinde illum cum suis invitat, mittens fr. Franciscum de Salemme ut eis doctrinam eiusdem Ecclesiae tradat (1).

Dilecto filio Generali Monachorum Aethiopum Ordinis S. Antonii

INNOCENTIUS PP. XII.

Dilecte fili, salutem et lumen divinae gratiae.

Praecipua pontificiae solicitudinis vota cum sint divini cultus amplificatio et ani-

---

(1) Ex Regest. Vat. epist. ad principes et alios, fol. 227. Ex eodem pro historia depromimus epistolas ad Regem Aethiopiae et ad Archiepiscopum, fol. 225-226.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Illustri ac Potentissimo Regi Aethiopiae.
Illustris ac Potentissime Rex, salutem et lumen divinae gratiae.

Quod ad sublime terrenae dignitatis fastigium celsitudinem tuam Deus Opt. Max., qui Rex est regum et Dominus dominantium, evexerit, tibique fecerit nomen grande, quod nedum populi, quos longe lateque moderaris imperio, revereantur, sed exterae quoque, quantumvis dissitae, nationes in honore habeant, eidem profecto Largitori bonorum omnium acceptum referre debes, ac proinde pronum docilemque animum ad eumdem probe recolendum exhibere. Nos itaque, qui, licet immerentes, Dei ipsius vices gerimus in terris, etsi longo locorum intervallo a te separati, apostolicâ tamen caritate non disiuncti, indeficientibus votis optamus, ut caelesti beneficentiae congrue respondeas, ita ut tibi humanis, quibus frueris, bonis, et his quidem fugacibus ac transitoriis, supernae aliquando felicitates et immortales addantur. Verum quia nemo id assequi potest, nisi hanc Romanam Ecclesiam Principis Apostolorum Sedem, omniumque orbis Ecclesiarum matrem ac magistram agnoscat, eique firmiter adhaereat, pontificiae nostrae solicitudinis partes esse duximus, te etiam atque etiam hortari, ut semitam catholicae veritatis, quae ducit ad vitam, ingrediaris, et maiorem tuorum, qui hanc ipsam veritatem complexi sunt, sequaris exemplum, tuque ipse praebeas ceteris, quo aeternam salutem valeant comparare. Proinde non gravati sumus mittere istuc usque religiosum virum patrem Franciscum Mariam de Salemme Ord. S. Francisci, cuius zelum ac pietatem probe novimus, ad hoc ut puritatem doctrinae, quam Apostolica Sedes iuxta sacrorum Conciliorum decreta, quae a veris christifidelibus reverenter suscepta inconcusse servantur, dilucide explicet, simulque detegat errores, quos humani generis hostis eiusque sectatores temere in animarum perniciem disseminare ausi sunt. Cupimus autem atque a te vehementer exposcimus, ut dictum patrem Franciscum Mariam eiusque socios libenter excipias, et in re tanti momenti humaniter audias, certoque tibi persuadeas, nos unice Dei honorem animarumque pretiosissimo Christi sanguine redemptarum salutem nobis hac in re proposuisse, qui de cetero parati sumus, celsitudinem tuam, eosque omnes qui praefatam veritatem alacriter et sincere susceperint, sicut reliquos omnes catholicos in pontificiae caritatis sinum amanter recipere et fovere. Interim vero omnipotentem Deum propitium ac faventem celsitudini tuae ex animo precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. martii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

Idem ferme scribit Archiepiscopo Aethiopiae.

Venerabili fratri Archiepiscopo Aethiopiae.
Venerabilis frater, salutem et lumen divinae gratiae.

Quoties ad celeberrimam Aethiopum nationem paternae nostrae caritatis oculos convertimus, toties ingemiscimus, nobiscum reputantes uberem ac opimam messem in amplissimis istis regionibus superseminante inimico homine zizania, supremo rerum omnium Domino fuisse praereptam. Intelligere fraternitatem tuam arbitramur, dolorem nostrum in eo versari, quod provinciae istae tot populis refertae, posthabito maiorum exemplo, a sincerae fidei professione declinaverint, et a veritate, quam docet catholica Ecclesia, auditum averterint. Cum autem commissa desuper nobis, licet immerentibus, dominici gregis cura id exigat, ut vigilemus ac apostolicum ministerium impleamus, nihilque proinde nobis aeque cordi sit ac esse debeat, quam ut omnes homines in verae ac intemeratae fidei confessione, quantum in nobis est, iungamus, et coniunctos in eiusdem integritate servemus; idcirco istuc mittere duximus patrem Franciscum Mariam de Salemme Ordinis S. Francisci cum aliquot sociis, qui pro suâ pietate ac doctrinâ ea omnia, quae ad ineundam cum Ecclesiâ catholicâ, extra quam non est salus, unitatem, necessaria esse deprehenduntur, luculenter explicet. Spem interim in Deo habemus, quod tu, quem prono ad sana consilia capessenda animo esse, et multâ apud populos auctoritate praestare censemus, lumen veritatis libenter excipies, ceterisque exemplo eris, ut vinculo caritatis uniantur, et tanquam unius corporis membra sub Christi capite eiusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Apostolorum Principis successore, a quo totius Ecclesiae unitas provenit, coalescant. A fraternitate tuâ interim exposcimus, ut memoratum patrem Franciscum Mariam eiusque socios humaniter audias, eique tuâ ope adsis in iis omnibus, quae ad obeundum ministerium pro aeternâ animarum salute ab eo susceptum duxeris opportuna, dum nos Patrem misericordiarum enixe precabimur, ut mentem tuam caelesti luce perfundat, tibique ea dona impertiatur, quibus post exactum praesentis vitae cursum aeternae felicitatis praemia tibi valeas comparare.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. martii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

marum, quas proprio sanguine redemit Christus, aeterna salus, cogitationes in hunc scopum nostras dirigere, quantum imbecillitas nostra patitur, nunquam intermittimus; probe enim novimus, quam arduam in districto Dei iudicio iniuncti nobis pastoralis muneris reddituri simus rationem. Urget itaque nos officii debitum, ut praeter eam, quae a nobis adhibenda est in custodiendo dominico grege, vigilantiam, sedulam quoque eidem augendo atque amplificando operam impendamus. Cui quidem proposito perficiendo dum totâ animi contentione incumbimus, non postremo loco paternae nostrae caritati tu atque istius Instituti, cui praees, professores occurrunt; si enim, ut par est credere, a saeculo vos abduxit inquirendae veritatis studium, et caelestium rerum meditationi divinoque cultui vacandi desiderium, fraudari vos spe ac optione vestrâ apostolica solicitudo non sinit. Certe una est mundi huius viatoribus tendendi in patriam beatitudinis via, a qua si quis vel minimum aberraverit, inde exulare semper, aeterno cum luctu, cogetur. Et quidem decet, ut sicut unus est Deus ac Dominus, ita unum sit corpus, unus spiritus et una fides, ideoque Christus unitatem pro eis, qui crediturì erant, a Patre summis precibus expostulavit. Constat autem, hanc unitatem, alibi inveniri non posse, quam in soliditate Petrae illius supra quam Deus fundavit Ecclesiam, adversus quam portae Inferi non praevalebunt. Agnovit hanc veritatem aliquando celeberrima natio vestra, et Apostolicae Sedi libenti animo se submisit, rata non aliunde verae fidei praecepta hauriri posse, quam ab hac ipsâ Romanâ Ecclesiâ omnium orbis Ecclesiarum matre ac magistrâ. Proinde nos spem maximam in Deo, qui via, veritas et vita est, merito constituentes, et de prudentiâ ac docilitate vestrâ plurimum nobis pollicentes, mittimus istuc religiosum virum patrem Franciscum Mariam de Salemme Ordinis S. Francisci, pietatis ac doctrinae laude commendatum, qui sinceram atque inconcussam veritatem, quam profitetur ac docet Romana Sedes, iuxta Patrum ac sacrorum Conciliorum auctoritatem vobis aperiat, et ad amantissimae matris sinum vos invitet, ac revocet. Deus, qui fons est lucis, corda vestra illuminet, et ad fruitionem beatitudinis per agnitionem veritatis vos perducat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. martii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

XXXI.

Confirmat decretum Congregationis Rituum circa primatum pro provinciâ S. Didaci fratrum Minorum de Observantiâ Discalceatorum contra fratres Augustinianos in regno Mexicano (1).

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad favorem dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Didaci Novae Hispaniae in Indiis, Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *Mexicana, Praecedentiae.* Remissâ ab auditore sanctissimi domini nostri Innocentii Papae XII. ad sacram Rituum Congregationem causâ praecedentiae inter patres Discalceatos strictioris observantiae Sancti Francisci provinciae S. Didaci, ex unâ, et patres Augustinianos provinciae SS. Nominis Iesu, ex alterâ partibus, in regno Mexicano ultimo loco agitatâ super executione decretorum eiusdem sacrae Congregationis diversis temporibus ad favorem eorumdem patrum Discalceatorum S. Francisci aliàs editorum, et signanter lati sub die III. iunii MDCLXXVI. et per litteras in formâ Brevis datas XIX. iunii eiusdem anni sanctae memoriae Clementis Papae X. approbati et confirmati; propositoque ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Petruccio in eâdem sacrâ Rituum Congregatione infrascripto dubio, videlicet: An fratribus Discalceatis strictioris observantiae Ordinis Sancti Francisci non solum in processionibus solitis, et sub propriâ cruce, sed etiam in concionibus, disputationibus, concurrentiâ praelatorum, aliisque actibus tam publicis quam privatis, interveniente vel non in-

Decretum praedictum circa primatum in actibus tam publicis quam privatis an. MDCC. editum.

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. A Clemente X. const. edit. MDCLXXVI., die III. iunii, confirmatum fuit simile decretum. De primatu inter Minores de Observantiâ et Conventuales vide Innocentii XI. const. edit. MDCLXXXIV., die XIV. aprilis, pontif. VIII.

terveniente familiâ de Observantiâ, competat praecedentia supra fratres Sancti Augustini: Sacra eadem Rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis, partibus acerrime informantibus auditis, respondit: In casu, de quo agitur, praecedentiam competere patribus Discalceatis Sancti Francisci, ac amplius dubium proponi vetuit. Et ita decrevit, et servari ac exequi mandavit, die XIII. martii MDCC.

A. Card. Cybo

B. Inghiramus Secret. ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Iosephus Montoro, praedicti Ordinis fratrum Discalceatorum professor, provinciae S. Didaci custos et procurator, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum (1) Iosephum custodem et procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, amplissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. aprilis MDCC., pontificatus nostri anno IX.

XXXII.

Constitutiones Congregationis Sancti Hippolyti hospitalis pauperum infirmorum in Indiis Occidentalibus confirmat; privilegia et indulgentias concedit (2).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, congregationes christifidelium, pietatis et christianae caritatis operibus ad pauperum infirmorum et convalescentium subventionem et utilitatem laudabili studio incumbentium, paterno caritatis affectu prosequimur, felicique illarum statui, ac ut personae quae tam pium vitae institutum susceperunt, in eâ vocatione, in qua vocatae sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus et favoribus providere studemus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Ortus et progressus dicti hospitalis postea in Congregationem erecti cum suis statutis, adiectione voti obedientiae et hospitalitatis, ac privilegiorum concessione.

§ 1. Dudum siquidem (postquam quondam Bernardinus Alvarez Insula, dum viveret, civitatis Mexicanae in Indiis Occidentalibus hospitale sub invocatione S. Hippolyti martyris, in cuius festivitate olim dicta civitas ab idololatris gentilibus detenta ad christianorum potestatem devenerat, prope et extra muros eiusdem civitatis pro pauperibus christifidelibus infirmis et convalescentibus curandis, aliisque pietatis operibus exercendis, sub certis statutis et ordinationibus de Ordinarii loci licentiâ erigi et fundari curaverat) felicis recordationis Gregorius PP. VIII. praedecessor noster, supplicationibus ipsius Bernardini no-

---

(1) Edit. Main. legit *ipsos*.

(2) Ex Regest. in Arch. Brev. Confirmata fuit erectio dicti hospitalis cum suis statutis a Gregorio XIII. et Sixto V.; a Clemente VIII., const. edit. MDXCVI., die II. aprilis, concessa fuere privilegia et indulgentia hospitali Sancti Ioannis Dei; et const. edit. MDCIV., die I. octobris, pontif. XIII., in congregationem erecta, adiecto voto obedientiae et hospitalitatis. Ab hoc Pontifice const. edit. MDCXCII. die XIV. decembris, pontif. III., concessa fuit indulgentia sicut ceteris hospitalibus.

mine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, erectionem et fundationem hospitalis ac statuta et ordinationes huiusmodi approbavit, illisque perpetuae firmitatis robur adiecit, et aliàs, prout recolendae memoriae Sixti Papae V. similiter praedecessoris nostri litteris, cum praedictus Gregorius praedecessor, antequam eius litterae super praemissis conficerentur, rebus humanis fuisset exemptus, sub plumbo in formâ (1) *Rationi congruit* desuper expeditis, uberius continetur. Postmodum vero piae memoriae Clemens PP. VIII., etiam praedecessor noster, fide dignorum relatione accepto, hospitale praedictum, benedicente Domino, adeo excrevisse ut in praedictarum Indiarum Occidentalium partibus alia hospitalia et similia erecta et fundata extitissent, per quasdam suas in simili formâ Brevis die II. aprilis MDXCVI. emanatas litteras inter alia ordinavit seu concessit, quod omnia et singula hospitalia huiusmodi, tam erecta quam in posterum erigenda, eorumque confratres et pro tempore existentes in eisdem Indiis Occidentalibus, omnibus et singulis gratiis, privilegiis, praerogativis, facultatibus, indultis, indulgentiis, tam spiritualibus quam temporalibus, et favoribus, a similis memoriae Pio V., ac praedictis Gregorio et Sixto praedecessoribus, necnon a quibusvis aliis Romanis Pontificibus, etiam praedecessoribus nostris, hospitalibus Ioannis Dei (eo nimirum in Sanctorum numerum nondum relato, nec Ordine fratrum eiusdem Sancti Ioannis Dei adhuc instituto) tunc nuncupatis regnorum Hispaniarum quomodolibet concessis, uti, frui et gaudere libere et licite possent et valerent in omnibus et per omnia, perinde ac si ipsis nominatim et aeque principaliter concessa fuissent. Ac deinde ipsi Clementi praedecessori, pro parte tunc existentium superioris fratris maioris nuncupati dicti hospitalis S. Hippolyti et confratrum tam eiusdem Sancti Hippolyti quam aliorum sex hospitalium ab eo dependentium, exposito, quod dicta hospitalia sub praedictorum statutorum et ordinationum observatione spatio plurium annorum prospere et feliciter administrata, ac tam spiritualibus quam temporalibus incrementis aucta, et in unam Congregationem S. Hippolyti nuncupatam redacta fuerant; sed successu temporis familiaris experientia ususque quotidianus docuerat, plerosque ipsorum hospitalium confratres, emissis licet de more castitatis et paupertatis votis, in suscepto tamen per eos vitae hospitaliciae instituto, ex eo praesertim quod ipsi perpetuae hospitalitatis et obedientiae votis in aliquo obstricti non essent, minime perseverare; idem Clemens praedecessor, ad supplicationem eorumdem fratris maioris et confratrum, quod de cetero et in perpetuum omnes et singuli dictorum hospitalium confratres, tunc et pro tempore existentes, duo tantum, videlicet hospitalitatis et obedientiae vota emittere deberent, per alias suas litteras, anno Incarnationis dominicae MDCIV., kalendis octobris, pontificatus sui anno XIII., sub plumbo expeditas, statuit, aliaque sub certis modo et formâ disposuit, ordinavit et indulsit, prout in his posterioribus sub plumbo, et praedictis in formâ Brevis ipsius Clementis praedecessoris litteris etiam uberius respective continetur.

Eadem Congregatio in religionem erigitur.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes de Cabrera procurator generalis praedictae Congregationis S. Hippolyti nobis nuper exponi fecit, confratres hospitalium et Congregationis huiusmodi, ex quo dictus Clemens praedecessor eos memorata duo tantum hospitalitatis et obedientiae vota emittere debere, sicut praemittitur, statuit, alia duo praedicta castitatis et paupertatis vota emittere omiserint, seque dictorum dumtaxat hospitalitatis et obedientiae votorum ratione ad perseverandum in hospitalibus et Congregatione praedictis minime teneri existiment; inde vero varia inconvenientia dimanare dignoscuntur; praeterea, quia iuxta posteriores eiusdem Clementis praedecessoris litteras praedictas ad electionem fratris maioris dictae Congregationis celebrandam viginti ex antiquioribus eiusdem Congregationis confratribus, consideratâ et computatâ ipsorum antiquitate a tempore emissorum per eos dictorum duorum votorum hospitalitatis et obedientiae, convocari debent, et nonnunquam inter ipsos antiquiores sic convocandos aliqui modicae peritiae reperiuntur, hinc eveniat ut aliquis minus peritus ad officium fratris maioris huiusmodi aliquando eligatur: ac proinde ipse Ioannes procurator generalis dictam Congregationem in perfectam et formalem religionem sub regulâ Sancti Augustini, itaut illius fratres obedientiae, castitatis et paupertatis, nec-

(1) Forsan deest *incipientibus*.

non hospitalitatis vota in actu eorum professionis regularis emittere teneantur, erigi, ac, loco dictorum viginti antiquiorum confratrum, alios viginti, peritiores scilicet et magis graduatos, dicti fratris maioris electores constitui et deputari, necnon ut tam binas Clementis quam Sixti praedecessorum litteras praedictas, ac gratias, indulgentias, facultates, antelationes, privilegia et indulta, per eas hospitali et Congregationi praedictis concessa et communicata, ad Congregationis sic erigendae favorem innovari, et apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac aliàs in praemissis opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret: nos, eiusdem Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui illud mature perpenderunt, et circa memoratam fratris maioris electionem nihil innovandum esse censuerunt, consilio, praefatam Congregationem Sancti Hippolyti martyris in formalem regularem religionem sub regulâ Sancti Augustini, cum votis solemnibus castitatis, paupertatis et obedientiae, necnon hospitalitatis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; eamque sic a nobis erectam, illiusque confratres, hospitalia, ecclesias et personas quascumque sub immediatâ nostrâ et huius Sanctae Sedis protectione et subiectione suscipimus. Porro gratias, indulgentias, facultates, antelationes, privilegia et indulta praefata, dummodo sint in usu, ac licita et honesta, nec sint revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, aut posterioribus constitutionibus et ordinationibus apostolicis vel regularibus dictae Congregationis sic a nobis erectae institutis non adversentur, auctoritate et tenore praefatis confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Congregationis et hospitalium praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. maii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

XXXIII.

Noviter confirmat constitutiones Congregationis Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus (1).

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

INNOCENTIUS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere, ad ea, per quae christianae charitatis et hospitalitatis opera ubique locorum, ac praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus, opportune promoventur, favorabiliter intendentes, christifidelium congregationes in idipsum laudabili studio incumbentes apostolico favore prosequimur; ac proinde, ea quae pro felici prosperoque illarum regimine et gubernio provide prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Referuntur dictae constitutiones.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Cabrera, procurator generalis Congregationis Caritatis sub titulo S. Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium novissime a nobis in religionem erectae, quod pro felici prosperoque dictae Congregationis regimine et gubernio factae fuerunt nonnullae constitutiones, quae revisae et examinatae, ac in unum collectae sunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

De studiis.

« I. Cum principalis scopus Congregationis sive Ordinis Caritatis sit attendere operibus corporalibus misericordiae versus pauperes infirmos, convalescentes, mentecaptos, aliosque egenos, non debebunt tunc fratres eiusdem attendere studio litterarum; nonnulli tamen cum licentiâ fratris maioris Congregationis operam navare poterunt medicinae et chirurgiae, tamquam artibus necessariis pro propriis ministeriis, dispensando hac in parte Sede Apostolicâ in sacris canonibus generaliter studium dictarum artium religiosis prohibentibus: similiter illi, qui in conformitatem praesentium constitutionum studuerint, ut ad sacerdotium promoveantur, poterunt et debebunt studiis incumbere, et quidem principaliter grammaticae ut linguam latinam bene intelligant, et casibus conscientiae.

De gubernio.

II. Totum Ordinis gubernium residere debebit in uno superiore cum titulo fratris maioris generalis, in quatuor eiusdem consiliariis, et in superioribus localibus, cum titulo fratrum maiorum localium, qui electi esse debebunt in formâ sequenti.

De capitulo generali et electione fratris maioris generalis.

III. In festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli singulo triennio celebrabitur capitulum generale, quod semper congregari debebit in domo S. Hippolyti in Mexico: huic intervenire debebunt et suo tempore vocari viginti antiquiores in professione ipsius Congregationis, qui tamen scribere et legere sciant; et casu quo aliquis seu aliqui istorum legitime essent impediti (quod impedimentum constare faciant fratri generali maiori et consiliariis, qui in hoc stare debeant ipsorum attestationi iuratae, approbatae et subscriptae a fratre maiori illius domus in qua morantur), debebunt opportune vocari et subrogari magis antiani dictae domus S. Hippolyti, qui similiter legere et scribere sciant, itaut nunquam deficiat numerus viginti vocalium. In vigiliâ sanctorum Apostolorum Petri et Pauli frater maior generalis terminabit suum officium, et in capitularium praesentiâ consignabit sigillum et libros fratri maiori S. Hippolyti, qui semper capituli praesidens esse debebit, non tamen in eo votare, si non sit de numero illorum viginti antianorum, et in officio praesidentis durare debebit usquedum canonice electus fuerit maior generalis, qui statim secutâ illius canonicâ electione pro confirmato habeatur. In festo deinde Ss. Apostolorum, audito sacro communicatisque fratribus, congregandi erunt a praesidente in loco et tempore ad electionem destinatis, ibique per vota secreta recepta in urnâ aliquâ a tribus scrutatoribus, qui semper antianiores in professione esse debebunt, fiet electio fratris maioris generalis, et is legitime electus erit qui maiorem votorum partem habere compertus fuerit; cum hoc tamen, quod si electus est de numero votantium, duo ultra medietatem habere debeat vota, si vero de numero non est, unum habere sufficiet, iuxta particularia statuta et usum ab hac Congregatione usque nunc practicatum. Ad effectum, ut quis in fratrem maiorem generalem eligi possit, ad minus aetatis quadragesimum et professionis decimum annum agere debebit, opusque erit quod frater maior fuerit in aliquo hospitali, aut consiliarii, procuratoris generalis infirmariive maioris officium exercitaverit.

De electione consiliariorum et procuratoris generalis.

IV. Post maioris fratris generalis electionem immediate eligantur quatuor consiliarii aetatis maturae, prudentes et instituti zelantes, et eo ipso modo eligantur, quo fratrem maiorem generalem eligi debere

dictum fuit, et inter hos observabitur praecedentia non secundum ordinem electionis, sed secundum professionis antianitatem. Et post hos immediate eâdemque formâ eligetur procurator generalis. In casu discrepantiae inter electores, si per totum diem Sancti Petri non sequatur electio fratris maioris generalis ad occasum solis illiusmet diei, de facto devoluta erit Archiepiscopo Mexicano, et in casu absentiae Archiepiscopi aut sedis archiepiscopalis vacantis, illius vicario generali aut capitulari. Similiter per eamdem rationem si in toto die electionis fratris maioris generalis, aut saltem in die sequenti, non fuisset secuta electio consiliariorum et procuratoris generalis, aut alicuius eorum, incontinenti devoluta erit talis electio fratri maiori noviter electo. In die sequenti electionem maioris generalis, consiliariorum et procuratoris generalis, fient provisiones aliorum ministrorum et officialium Congregationis, scilicet fratrum maiorum hospitalium, infirmariorum maiorum, magistri novitiorum, medici et chirurgi; et hae fieri debeant a solo fratre maiori generali cum suis consiliariis, qui non solum in istâ, verum in omnibus aliis occasionibus, in quibus tractari debeant graviores res Congregationis, habebunt votum tam consultivum quam etiam decisivum, aequale in omnibus voto fratris maioris generalis; ita et taliter ut illud subiectum in dictis electionibus habeatur pro electo, et illa sententia praevaleat, in quo (1) et in qua seu quibus concurrat maior pars; et in casu quo aliquis istorum deficeret, et remanerent solummodo quatuor votantes, et forent divisi in partes aequales, votare debebit procurator generalis. Alia deinde officia minora cuiuscumque hospitalis, ut sunt procuratoris, sacristae, dispensatoris, ianitoris, eleemosynarii, vulgo *cercatore,* provideri debebunt a fratre maiori hospitali. In casu diuturnae infirmitatis aut necessariae absentiae fratris maioris generalis, possit iste subrogare praesidentem, qui, durante dicto impedimento, Congregationem regat et gubernet, et interesse debebit primus consiliarius; et in casu obitus aut depositionis illiusmet fratris maioris generalis, idemmet primus consiliarius succedere debebit in gubernio illius pro toto eo tempore, quod pro triennio finiendo supererit; post quod congregetur capitulum generale pro novâ electione, et non prius: et casu quo durante dicto triennio vitam cum morte commutaret consiliarius aliquis aut procurator generalis, aut frater maior cuiusdam domus, frater maior generalis cum consiliariis provideat dicta officia de personâ idoneâ, quae quidem durare seu continuare debebit solummodo usque ad tempus proximi capituli generalis, quia tunc omnes officiales renovari debebunt, aut eligendo novos, aut confirmando antiquos, cùm evidens Congregationis utilitas adfuerit; frater autem maior generalis, qui triennium suum compleverit, nullo modo reeligi possit ad idem officium, nisi post aliud triennium, et similiter procurator generalis, nisi in casu quo is electus fuisset cum omnium voto; et aliter faciendo, electio nulla et irrita sit.

De novis domibus et visitatore.

v. Fundari non possit nova domus aut hospitale seu xenodochium absque Ordinarii licentiâ, in conformitatem decretorum sacri Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, et sine consensu capituli generalis, et in casu urgenti, qui fundationem differre non permittat usque (2) ad dictum capitulum, sine fratris maioris generalis eiusque consiliariorum consensu; non acceptetur nova domus, si non possit saltem substentare, ultra fratrem maiorem localem, quatuor fratres et unum sacerdotem, et domus sint simplices et humiles absque curiositate; inter domos fundatas et fundandas primum semper occupet locum illa S. Hippolyti Mexicana, quae ordinaria erit residentia fratris maioris generalis illiusque consiliariorum; debebit autem dictus frater maior generalis visitare saltem singulis annis per se aut alium visitatorem delegatum omnes domus Ordinis distantes a Mexico non plusquam tercentum milliaribus, et remotiores semel saltem durante eius triennio.

De oneribus domus S. Hippolyti.

vi. Similiter ad dictam domum Sancti Hippolyti spectabit mittere pauperes infirmos et convalescentes ad terram de Huastepet, et providere eis de mulis et omnibus necessariis ad effectum recuperandi salutem; similiter dictae domus erit mittere ad hortum Veraecrucis provisiones et necessarios ministros ad recipiendum, ut dicitur, flottam navium ab Hispaniis advenientem, ad conducendos pauperes et infirmos ad hospitalia, ibique eos sanandos cum applicatione omnium possibilium ca-

(1) Voces *in quo* nos addimus.

(2) Edit. Main. legit *utque* pro *usque*.

ritativorum tractamentorum, prout laudabiliter usque nunc practicatum fuit, cum opus hoc sit proprius et principalius huius instituti usque a primaevâ sua fundatione.

De administratione et dispensatione bonorum.

vii. Omnia bona tum mobilia tum stabilia provenientia a legatis piis aut eleemosynis, aliâve aliâ parte, administrentur ab officialibus Congregationis destinatis ab illius superioribus, et adhibeantur seu applicentur ultra necessariam fratrum et sacerdotum necessariorum substentationem pro beneficio infirmorum, convalescentium, aliorumque pauperum attinentium ad hospitalia; et si redditus aut eleemosynae superabundarent in aliquo hospitali, applicentur in beneficium aliorum pauperum verecundorum indigentium, iuxta prudentem directionem fratris maioris generalis, eiusque consiliariorum; nec fratres habere possint, nec praetendant rem aliquam in particulari, sed omnes vivant in perfectâ vitâ communi, eo modo quo praescribitur in decretis Clementis VIII., et praecipitur in Bullâ Pauli V.; legata pia cum obligatione celebrationis missarum acceptentur et adimpleantur iuxta formam praescriptam a decretis Urbani VIII. *De celebrat. miss.*, et a Bullâ sanctissimi domini nostri.

De alienatione bonorum.

viii. Nec administratores bonorum hospitalium istorum, aut superiores illorum, aut ullus quilibet Congregationis superior possit ea alienare absque licentiâ saltem Ordinarii, servatâ formâ iuris et sacrorum canonum; qui Ordinarius in dictorum bonorum alienatione interponere poterit suam auctoritatem tamquam delegatus Sedis Apostolicae, stante non facili ad eamdem recursu. Nullus recipiatur in Congregatione, nisi cum licentiâ fratris maioris generalis, et habeat saltem annos decem et octo completos, et non plusquam ad minus quadraginta, nisi foret persona pietatis singularis aut magnae utilitatis; nullum habeat impedimentum canonicum, sit animo et corpore bene dispositus, ut se totum implicare possit in auxilium cuiusvis generis infirmorum. Recipiantur novitii, concurrente maiori parte votorum professorum domus novitiatus, quae esse debeat domus S. Hippolyti. Poterit tamen frater maior generalis cum unanimi assensu et arbitrio eius consiliariorum destinare aliquam aliam domum pro loco novitiatius, si ob maiorem religionis propagationem id necessarium foret. Non possint novitii removeri a domo novitiatus nisi post professionem; nullus admittatur ad professionem, nisi denuo acceptatus fuerit a duobus tertiis votorum fratrum professorum domus illius in qua novitiatum agit, et novitiatum egerit per annum integrum et non interruptum, iuxta sacrum Concilium Tridentinum. Unusquisque emittere debebit professionem in manibus fratris maioris generalis, aut illius, cui ab eodem talis functio expresse commissa fuerit, et professionis forma erit sequens: *In nomine SS. Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ego N. N. facio professionem, et promitto Deo et gloriosae Virgini et omnibus Sanctis et vestrae caritati, frater N. frater maior generalis, aliisque vestris successoribus, castitatem, paupertatem, hospitalitatem perpetuam, et obedientiam iuxta regulam Sancti Augustini et constitutiones Ordinis Caritatis S. Hippolyti, usque ad mortem.*

De habitu.

ix. Vestes exteriores fratrum omnes sint de unâ et eâdem re, ex panno coloris pardi, simplici et vili, et exiguae expensae, in formâ quae (1) gestant de praesenti; tunica tangat calcaneos, caputium sit unitum scapulario, et hoc brevius tunicâ sex digitis, pallium brevius scapulario, pileus similis illi quem gestant fratres minores Sancti Francisci, calcei grandes et simplices, cinctura seu zona ex corio larga et longa. Faciant resplendere sanctam paupertatem in fabricis, cellis, suppellectilibus, victu, et in omnibus aliis rebus; recordando quod illorum redditus sunt omnes ordinati ad beneficium pauperum.

De mensâ et clausurâ.

x. Omnes tam superiores quam inferiores, cum sani sunt, comedant in communi refectorio, et contenti sint iisdemmet cibis, absque alicuius rei differentiâ. In mensâ perpetuum et indispensabile sit silentium cum lectione librorum spiritualium; nunquam fratres emaneant e domo comedendi causâ, multo minus dormiendi, nisi in aliquo inevitabili casu: et in hoc sit valde cautus superior. In domibus istius Ordinis perpetua sit clausura, nec unquam intrare possint feminae.

De operibus piis.

xi. Ultra mandata statuta (2) ab Ecclesiâ, servanda cum omni punctualitate et rigore, ieiunent fratres omnibus diebus veneris totius anni, et in Adventu etiam diebus lunae et mercurii, si ob infirmitatem aut extraordinarium laborem non fuis-

(1) Potius *quâ* vel *quam*.

(2) Forsan *ieiunia statuta*.

set quis a superiore dispensatus. Singulis diebus faciant per duas horas orationem, unâ de mane et aliâ de sero. Et unaquaeque istarum horarum implicata erit partim in oratione vocali, et partim in oratione mentali; et in illâ de sero comprehendatur etiam examen conscientiae. Singulis diebus audiant missam. Frequentent sanctissima sacramenta Poenitentiae et Communionis, itaut saltem duabus vicibus in mense, ultra Paschalis, Pentecostes, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini solemnitates, confiteantur et communicent. Observent silentium in oratorio, refectorio, dormitorio et cellis; et in aliis locis, minus quo fieri poterit, loquantur.

De fratrum conditione.

XII. Fratres huius Ordinis esse debent laici. Permittimus tamen quod unus ipsorum tantummodo pro quolibet hospitali possit esse promotus ad omnes ordines sacros, servatis omnibus de iure servandis, et cum expressâ fratris maioris generalis licentiâ, dummodo ante promotionem ad sacerdotium habeat saltem sex annos professionis. Fratres illi qui in posterum ita promoti fuerint, incapaces erunt superioritatis et officiorum maiorum religionis, scilicet officii fratris maioris generalis, consiliarii, procuratoris generalis, et fratris maioris localis, sed officium illorum erit celebrare sanctum missae sacrificium et administrare sacramenta. Omnes tamen sacerdotes, tam praesentes quam futuri, ob gradus illorum honorabilitatem, in omnibus actibus communitatis habeant primum locum post fratrem maiorem generalem, consiliarios, procuratorem generalem et fratrem maiorem domus.

De statutorum et ordinum natura.

XIII. Hae sunt constitutiones inviolabiliter observandae, ita et taliter, ut nullo modo a superioribus religionis alterari possint, nec minus a capitulis generalibus. Declaramus nihilominus, pro quiete conscientiarum religiosorum, quod non intendamus eos obligare ad aliquam culpam, nisi in iis rebus contentis in ipsis, quae aliàs sunt statuta et respective prohibita a lege divinâ aut humanâ; et pro conservandâ ceterum eâdemmet quiete conscientiae religiosorum, ordinamus pariter et declaramus quod ordines superiorum aut generales aut locales non obligent subditos sub peccato mortali, nisi sint facti in scriptis, in materiâ gravi, et praemissâ aliquâ monitione, et expressi sint per verba significantia praeceptum in virtute Spiritus Sancti et obedientiae. Demum capitulum generale auctoritatem habeat declarandi dubia quae occurrere possent in intelligentiâ praesentium constitutionum, facere statuta et ordinationes pro bono religionis gubernio iuxta necessitates quae occurrere poterunt cum tempore, dummodo ista non sint (1) contraria sacris canonibus et constitutionibus apostolicis nec praesentibus constitutionibus, nec habeant vigorem constitutionum, si, post factas ordinationes supradictas in uno capitulo generali, non fuerint successive confirmata (2) a duobus aliis capitulis immediate subsequentibus, et ulterius approbatae ab Archiepisc. Mexicano ».

Confirmatio relatarum constitutionum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes procurator generalis constitutiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnes et singulas constitutiones praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiungimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, vel pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores

(1) Edit. Main. legit *sit*.

(2) Cohaerentius lege vel *confirmatae*.

iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. iunii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

XXXIV.

Confirmat decretum Cardinalis protectoris pro alternativâ in provinciâ S. Ioannis evangelistae insularum Azorum sub regno Portugalliae Ordinis Minorum de Observantiâ.

INNOCENTIUS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Haec alternativa stabilita fuit in capitulo provinciali habito an. MDCXC. circa electionem provincialis et celebrationem capituli.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Antonii de Pillar, fratris expresse professi Ordinis Minoris S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac commissarii et procuratoris provinciarum S. Ioannis evangelistae insularum Azorum sub regno Portugalliae eiusdem Ordinis, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod in capitulo provinciali dictae provinciae, anno MDCXC. celebrato, pro quiete ipsius provinciae decretum et stabilitum fuerat alternativam electionem ministri provincialis eiusdem provinciae (ita scilicet ut pro uno, ex fratribus insularum S. Michaëlis et S. Mariae, pro altero vero triennio, ex fratribus *Terzeras* nuncupatis aliarumque adiacentium insularum provinciae huiusmodi assumendus est) observari debere; successive etiam stabilitum fuerat, capitulum provinciale eiusdem provinciae semel in S. Michaëlis et S. Mariae, et semel in *Terzeras* insulis praedictis celebrandum esse; sed cum, post unius triennii lapsum, definitorium provinciae praefatae congregatum fuisset, in eo statutum extiterat ut memorata alternativa, quoad celebrationem capituli provincialis huiusmodi, visitatoris dictae provinciae et ipsius definitoris arbitrio relinquerentur: et in eâdem expositione subiuncto, quod (cum posterius statutum huiusmodi ad turbandam religiosam dictae provinciae tranquillitatem tenderet, et per illud ea, quae in supradicto capitulo provinciali, sicut praemittitur, decreta et stabilita fuerant, contemnerentur et everterentur; ideoque ipse Antonius et dilectus pariter filius minister provincialis eiusdem provinciae, praevidentes graves et inevitabiles perturbationes suborturas fore, si praenarrata dicti capituli provincialis decreta et stabilimenta non observarentur, venerabili fratri Michaëliangelo Archiepiscopo Tarsensi, in Portugalliae et Algarbiorum regnis nostro et apostolicae Sedis Nuncio, supplicavissent ut illa approbaret et confirmaret, praefatum vero definitoris statutum aboleret et irritaret) ipse Michaëlangelus Archiepiscopus et Nuncius, cum cognovisset quantum inde religiosae quietis provinciae praefatae proventurum esset, praeviis debitis informationibus per suas litteras die IX. decembris anni proxime praeteriti expeditas eadem decreta et stabilimenta confirmaverat, dicta vero statuta specialiter et ex se derogaverat, et aliàs, prout in dictis litteris praefatae Cardinalium Congregationi exhibitis uberius dicebatur contineri: ac proinde pro parte Antonii et ministri provincialis praefatorum ipsi Congregationi Cardinalium supplicato ut praedictis litteris, pro firmiori illarum subsistentiâ stabilique dictae provinciae pace et quiete, confirmationis robur adiun-

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

Decretum sacrae Congregationis.

gere dignaretur: eadem Congregatio Cardinalium per suum decretum die XVIII. iunii proximi praeteriti emanatum, audito super praemissis dilecto etiam filio procuratore generali Ordinis praedicti, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Alderani Episcopi Ostiensis eiusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati, Ordinis supradicti apud nos et Sanctam Sedem Apostolicam protectoris, desuper ipsis Cardinalibus factâ, supplicem libellum sibi super iisdem praemissis porrectum benigne remisit eidem Alderano Episcopo Cardinali et protectori, ut, veris existentibus narratis, et quatenus expedire censuisset, petitam confirmationem pro suo arbitrio et prudentiâ concederet. Unde ipse Alderanus Episcopus Cardinalis et protector decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Alderanus, miseratione divinâ Episcopus Ostiensis et Veliternensis, S. R. E. Cardinalis, Cybo, sacri collegii decanus et totius Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem protector. Utentes arbitrio per antescriptum decretum nobis a sacrâ Congregatione remisso, verisque compertis narratis, oratorum precibus benigne inclinati, tenore praesentium, auctoritate eiusdem sacrae Congregationis, petitam confirmationem concedimus et impartimur. Datum Romae XIX. iunii MDCC.

A. Cardinalis CYBO.

I. M. DE GAIS secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum a memorato Alderano Episcopo Cardinali et protectore editum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X. iulii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

CLEMENS XI.

CONSTITUTIO I.

Sanat in radice, quoad utrumque forum, matrimonia in Indiis contracta vi dispensationum a presbyteris Societatis Iesu vel ab Ordinariis hactenus concessarum, in quibus concedendis ipsi excesserint tempus vel terminos facultatum queis instructi fuerant (1).

CLEMENS PAPA XI.
ad futuram rei memoriam.

In apostolicae dignitatis fastigiis cum potestatis plenitudine, meritis licet imparibus a Domino constituti, christifidelium etiam in remotissimis ab hac S. Sede partibus existentium actus mentis nostrae acie collustrantes, ad ea, per quae conscientiarum quieti opportunis rationibus consulatur, perpetuis studiis intendimus et pastoralis officii nostri partes paternâ caritate desuper interponimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Sane cum ad apostolatus nostri notitiam pervenerit, nonnullos ex presbyteris Societatis Iesu in Indiis tam Orientalibus quam Occidentalibus commorantibus, et forsan nonnullos illorum partium Ordinarios, quibus alias a Sede Apostolicâ facultas dispensandi cum neophytis earumdem partium in quocumque seu quibusvis a iure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus coniunctis seu se attinentibus, ad effectum contrahendi inter se matrimonia seu in iam, etiam scienter, contractis remanendi, sub certis modo et formâ tunc expressis concessa fuerat vigore seu praetextu facultatis huiusmodi cum pluribus personis super praenarratis impedimentis, bonâ quidem fide sed nulliter, sive ex eo quod facultas praedicta eis concessa iam expiraverit, sive ex eo quod ipsi facultate huiusmodi pro neophytis Indis, sicut praemittitur, concessa et cum iis qui non erant originarii per omnes eorum lineas, quive pro una dumtaxat parte ab Indis originem trahebant, vulgo *Quarterones* nuncupatis vel qui octavam partem vel proavum vel proaviam habebant vulgo *Puchveles* vocatis ausi fuerint dispensasse: cumque revera *Quarterones* et *Puchveles* huiusmodi neophytorum Indorum appellatione minime comprehendi venn. fratres nostri S. R. E. Cardinales in totâ Republicâ Christianâ generales Inquisitores adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputati novissime responderint, ac proinde considerantes matrimonia per easdem personas praetextu dispensationum huiusmodi contracta nulla et invalida fuisse et esse:

§ 2. Nos omnium et singulorum qui matrimonia huiusmodi contraxerant statui et conscientiarum quieti in praemissis opportune consulere volentes, ipsosque et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, et poena a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine omnia et singula matrimonia praetextu dispensationum praedictarum super praedictis impedimentis per dictos presbyteros seu etiam Ordinarios partium huiusmodi memoratis personis praetextu facultatis huiusmodi quandocumque concessarum, alias tamen rite et legitime contracta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revalidamus ac omnino revalidata esse volumus, illaque in posterum, revalidationis nostrae huiusmodi vigore, vim, robur, effectum et efficaciam validorum et legitime contractorum matrimoniorum, et perinde ac si illa et illorum quaelibet ab illorum initio et in eorum radice valida ac legitima, et praeviâ sufficienti dispensatione apostolicâ rite, valide et legitime contracta, celebrata et solemnizata fuissent, habere et obtinere, omnesque et singulos, qui dicta matrimonia sic contraxerunt, ut in eorum matrimoniis huiusmodi, absque eo quod illi nec quisque illorum matrimonium de novo contrahere seu novum consensum praestare ullo modo debeant aut teneantur, remanere

(1) Epist. et Brev. Selectio, T. I., pag. 65.

et in eis perseverare libere et licite possint ac debeant: prolesque ex huiusmodi matrimoniis susceptae, et suscipiendae, legitimae et pro legitimis quoad utrumque forum dici censeri et haberi ac reputari pariter debeant, motu, scientiâ, potestatis plenitudine similibus, apostolicâ auctoritate praeditâ harum serie decernimus et declaramus, supplentes quoscumque defectus ex nullitate et insufficientiâ dispensationum huiusmodi provenientes;

§ 3. Ac similiter decernentes omnes et quoscumque, qui matrimonia sicut praetenditur contraxerunt, desuper a quoquam quavis auctoritate ac sub quovis praetextu, colore, capite, vel ex quacumque causâ et quantumvis iuridicâ et legitimâ propterea molestari, perturbari, impediri aut inquietari nullatenus unquam posse neque debere: sicque per quoscumque iudices *etc.* quibuscumque *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II. aprilis MDCCI., pontificatus nostri anno I.

II.

Confirmat decretum Cardinalis protectoris de procuratoribus et definitoribus generalibus duarum provinciarum in insulis Philippinis Congregationis Hispaniae eremitarum Discalceatorum Ordinis S. Augustini (1).

CLEMENS PAPA XI.

ad futuram rei memoriam.

Ex decretis definitorii generalis restitutum fuit suffragium dictis procuratoribus generalibus provinciarum Sancti Nicolai et Candelariae.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Ioannis Antonii a S. Augustino procuratoris generalis provinciae S. Nicolai de Tolentino in insulis Philippinis Congregationis Hispaniae fratrum eremitarum Ordinis S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod (cum procuratores generales dictae S. Nicolai ac Candelariae alterius provinciae, in praedictis insulis Philippinis, seu Terrâfirmâ, eiusdem Congregationis Hispaniae, coram tribunalibus nomine suarum provinciarum comparere, omniaque illarum bona administrare soliti, ex religiosis litterarum scientiâ praeditis et magis benemeritis eligi consuevissent, vocemque et votum sive suffragium in capitulis provincialibus dictarum provinciarum antehac semper habuissent, sed paucis ab hinc annis voto huiusmodi carerent, hinc vero multa inconvenientia sequerentur) capitulum et definitorium generale dictae Congregationis decreverat, ut deinceps procuratores praedicti dictum votum sive suffragium semper haberent, et aliàs prout in patentibus litteris desuper emanatis uberius dicebatur contineri; porro in omnibus capitulis generalibus dictae Congregationis Hispaniae, ab anno MDCLXXII. usque ad annum proxime praeteritum celebratis, a generali definitorio decretum pariter fuerat, ut cuilibet dictarum duarum provinciarum unus definitor generalis, sicut omnibus aliis provinciis Hispaniae eiusdem Congregationis, concederetur, itaut, si aliquis earumdem duarum provinciarum filius aptus et idoneus in Hispaniâ reperiretur, is assumi, sin minus, ex fratribus praedictarum provinciarum Hispaniae duo definitores generales huiusmodi pro dictis duabus provinciis eligi deberent; ac proinde ipse Ioannes Antonius (attento quod decretum huiusmodi, ne hae duae provinciae suis definitoribus in capitulis generalibus dictae Congregationis Hispaniae defraudatae remanerent, sed ut sic definitorium generale perfectum et completum redderetur, convenientissimum esset) illud, ac aliud praenarratum decretum ad favorem praedictorum generalium emanatum, auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium confirmari, ac concedi ut dictae duae provinciae suos definitores generales huiusmodi cum voce et praeeminentiis, sicut omnes aliae praedictae provinciae Hispaniae, ac dicti procuratores generales vocem pariter et votum sive suffragium in omnibus memoratis capitulis provincialibus haberent, summopere desiderabat: eadem Congregatio Cardinalium, attentâ relatione dilecti filii nostri Iosephi Renati dictae S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupati, praedicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, sibi super praemissis factâ, per suum decretum die XVIII. februarii proxime praeteriti editum, eidem Iosepho Renato Cardinali et protectori benigne remisit, ut, veris existentibus narratis, et quatenus

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. De privilegiis procuratorum generalium in Romanâ Curiâ vide Innocentii XI. const. ed. MDCLXXVII., die XI. dec., pont. II.; et de privilegiis commissariorum vide sequentem.

expedire censuisset, praedictum decretum definitorii generalis pro suo arbitrio et prudentiâ approbaret atque confirmaret. Unde ipse Iosephus Renatus Cardinalis et protector in vim facultatis sibi sic attributae suum quoque in praemissis decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Cardinalis protectoris auctoritate sibi a Sacra Congregatione delegatâ editum confirmans memorata decreta capitulorum.

« Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro S. R. E. Diaconus Cardinalis Imperialis et totius Ordinis Sancti Augustini protector. — Vigore commissionis et facultatis a sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium emanatae, et de veritate ac rationabilitate expositorum satis instructi, confirmamus supradictum decretum capituli et definitorii generalis Congregationis Discalceatorum S. Augustini Hispaniae et Indiarum, et concedimus ut procuratores generales provinciarum S. Nicolai de Tolentino in Philippinis et Candelariae in Terrafirmâ habere semper possint et habeant votum et vocem in omnibus capitulis provincialibus suarum provinciarum. Pariter confirmamus aliud decretum seu decreta eiusdem capituli generalis, et concedimus ut pro qualibet dictarum provinciarum S. Nicolai et Candelariae eligatur unus definitor generalis, prout in aliis provineiis Hispaniae, qui inter ceteros definitores generales annumeretur, iisdemque privilegiis, iuribus et facultatibus potiatur. Volumus autem ut praefati duo definitores eligi debeant ex filiis dictarum provinciarum S. Nicolai et Candelariae respective, quatenus tempore electionis reperiantur in Hispaniâ aliqui ex iis apti et idonei ad munus definitoris suscipiendum; sin minus, eligantur alii ex provinciis Hispaniae pro supradictis provinciis definitores. Quae quidem decreta, sic ut supra auctoritate iam dictâ a nobis confirmata et approbata, perpetuis temporibus observari volumus et mandamus; non obstantibus quibuscumque. Sic, etc. Datum Romae ex aedibus nostris, hac die XXVIII. februarii MDCCI. (1). — I. R. Card. IMPERIALIS ».

Confirmatio decreti Cardinalis protectoris.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ioannes Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Ioannis Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum a memorato Iosepho Renato Cardinali et protectore editum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, duarum provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XV. aprilis MDCCI., pontificatus nostri anno I.

III.

Confirmatur decretum Cardinalis protectoris de privilegiis commissariorum

---

(1) Edit. Main. legit *1704*.

duarum provinciarum in insulis Philippinis eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum Congregationis Hispaniae (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Ex decreto definitorii generalis concessum fuit suffragium, ac etiam exemptiones exprovincialium, commissariis dictarum provinciarum Sancti Nicolai et Candelariae.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Ioannis Antonii a S. Augustino procuratoris generalis provinciae S. Nicolai de Tolentino in insulis Philippinis Congregationis Hispaniae fratrum eremitarum Ordinis Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod (cum capitulo et definitorio generali dictae Congregationis Hispaniae proxime celebrato convenientissimum visum fuisset, ut commissariis, qui ex insulis praedictis ad Hispanias ad deducendos religiosos pro instruendis fidelibus illarum partium in mysteriis (2) Fidei mitti solebant, aliquod praemium assignaretur, alioquin nullus religiosus inveniretur qui, propter viginti sex millium et amplius milliarium dictarum insularum ab Hispaniâ distantiam, tam longum iter suscipere vellet) decreverat, ut commissarii tam dictae S. Nicolai quam Candelariae alterius provinciae in praedictis insulis, seu Terrafirmâ, eiusdem Congregationis Hispaniae, qui (3) statim atque in Hispaniam praemissorum causâ pervenissent, exemptionibus exprovincialium, ac voce et voto sive suffragio in omnibus capitulis provincialibus earumdem provinciarum perfrui valerent, quibus tamen uti nequirent, si in Hispaniâ diutius remanerent et in easdem provincias congruo tempore reverti nollent; ideoque pro parte eiusdem Ioannis Antonii eidem Cardinalium Congregationi supplicato, ut decretum huiusmodi, quo iidem religiosi ad sponte exercendum hoc charitatis opus invitabantur, approbare et confirmare dignaretur: eadem Congregatio Cardinalium, attentâ relatione dilecti filii nostri Iosephi Renati eiusdem S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, sibi super praemissis factâ, per suum decretum die XVIII. februarii proxime praeteriti editum, eidem Iosepho Renato Cardinali et protectori benigne remisit, ut, veris existentibus narratis, et quatenus expedire censuisset, praedictum decretum definitorii generalis pro suo arbitrio et prudentiâ approbaret et confirmaret. Ipse vero Iosephus Renatus Cardinalis et protector, in vim facultatis sibi sic attributae, suum quoque in praemissis decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Cardinalis protectoris auctoritate Congregationis editum confirmans decretum definitorii.

« Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus Cardinalis Imperialis et totius Ordinis Sancti Augustini protector. Vigore suprascriptae commissionis et facultatis a sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium emanatae, et de veritate et rationabilitate expositorum satis instructi, confirmamus supradictum decretum capituli et definitorii generalis Congregationis Discalceatorum S. Augustini Hispaniae et Indiarum, et concedimus ut commissarii, quos provinciae S. Nicolai de Tolentino in Philippinis et Candelariae in Terrafirmâ mittunt in Hispaniam ad deducendos in easdem provincias religiosos qui illuc fideles instruant et in vineâ Domini laborent, vocem et votum habeant in capitulis provincialibus suarum provinciarum, necnon honoribus, privilegiis et exemptionibus eorum qui fuerunt provinciales in omnibus et per omnia fruantur et gaudeant, statim ac in Hispaniam pervenerint; quibuscumque in contrarium non obstantibus. Volumus autem, ut, si praedicti commissarii congruo tempore in suas provincias non redierint, itaut integrum missionis suae munus actualiter non expleverint, statim eadem privilegia, honores et immunitates amittant, iisdemque privati et spoliati ipso facto sint et esse intelligantur, quacumque causâ, colore vel praetextu non obstantibus. Et ita, etc. Datum Romae ex aedibus nostris hac die XXVIII. februarii MDCCI. — I. R. Cardinalis IMPERIALIS. » — *Loco* † *sigilli*.

Confirmatio decreti Cardinalis protectoris.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ioannes Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Ioannis Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter

(1) Ex eodem Reg. De procuratoribus et definitoribus dictarum provinciarum vide const. praec.; item sequentem, ubi agitur de vocalibus in capitulis.

(2) Edit. Main. legit *ministeriis*.

(3) Vox *qui* redundans videtur.

expedire censuisset, praedictum decretum definitorii generalis pro suo arbitrio et prudentiâ approbaret atque confirmaret. Unde ipse Iosephus Renatus Cardinalis et protector in vim facultatis sibi sic attributae suum quoque in praemissis decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Cardinalis protectoris auctoritate sibi a Sacra Congregatione delegatâ editum confirmans memorata decreta capitulorum.

« Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro S. R. E. Diaconus Cardinalis Imperialis et totius Ordinis Sancti Augustini protector. — Vigore commissionis et facultatis a sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium emanatae, et de veritate ac rationabilitate expositorum satis instructi, confirmamus supradictum decretum capituli et definitorii generalis Congregationis Discalceatorum S. Augustini Hispaniae et Indiarum, et concedimus ut procuratores generales provinciarum S. Nicolai de Tolentino in Philippinis et Candelariae in Terrafirmâ habere semper possint et habeant votum et vocem in omnibus capitulis provincialibus suarum provinciarum. Pariter confirmamus aliud decretum seu decreta eiusdem capituli generalis, et concedimus ut pro qualibet dictarum provinciarum S. Nicolai et Candelariae eligatur unus definitor generalis, prout in aliis provineiis Hispaniae, qui inter ceteros definitores generales annumeretur, iisdemque privilegiis, iuribus et facultatibus potiatur. Volumus autem ut praefati duo definitores eligi debeant ex filiis dictarum provinciarum S. Nicolai et Candelariae respective, quatenus tempore electionis reperiantur in Hispaniâ aliqui ex iis apti et idonei ad munus definitoris suscipiendum; sin minus, eligantur alii ex provinciis Hispaniae pro supradictis provinciis definitores. Quae quidem decreta, sic ut supra auctoritate iam dictâ a nobis confirmata et approbata, perpetuis temporibus observari volumus et mandamus; non obstantibus quibuscumque. Sic, etc. Datum Romae ex aedibus nostris, hac die XXVIII. februarii MDCCI. (1). — I. R. Card. IMPERIALIS ».

Confirmatio decreti Cardinalis protectoris.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ioannes Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Ioannis Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum a memorato Iosepho Renato Cardinali et protectore editum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ingnoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, duarum provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XV. aprilis MDCCI., pontificatus nostri anno I.

III.

Confirmatur decretum Cardinalis protectoris de privilegiis commissariorum

---

(1) Edit. Main. legit *1704*.

duarum provinciarum in insulis Philippinis eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum Congregationis Hispaniae (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Ex decreto definitorii generalis concessum fuit suffragium, ac etiam exemptiones exprovincialium, commissariis dictarum provinciarum Sancti Nicolai et Candelariae.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Ioannis Antonii a S. Augustino procuratoris generalis provinciae S. Nicolai de Tolentino in insulis Philippinis Congregationis Hispaniae fratrum eremitarum Ordinis Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod (cum capitulo et definitorio generali dictae Congregationis Hispaniae proxime celebrato convenientissimum visum fuisset, ut commissariis, qui ex insulis praedictis ad Hispanias ad deducendos religiosos pro instruendis fidelibus illarum partium in mysteriis (2) Fidei mitti solebant, aliquod praemium assignaretur, alioquin nullus religiosus inveniretur qui, propter viginti sex millium et amplius milliarium dictarum insularum ab Hispaniâ distantiam, tam longum iter suscipere vellet) decreverat, ut commissarii tam dictae S. Nicolai quam Candelariae alterius provinciae in praedictis insulis, seu Terrafirmâ, eiusdem Congregationis Hispaniae, qui (3) statim atque in Hispaniam praemissorum causâ pervenissent, exemptionibus exprovincialium, ac voce et voto sive suffragio in omnibus capitulis provincialibus earumdem provinciarum perfrui valerent, quibus tamen uti nequirent, si in Hispaniâ diutius remanerent et in easdem provincias congruo tempore reverti nollent; ideoque pro parte eiusdem Ioannis Antonii eidem Cardinalium Congregationi supplicato, ut decretum huiusmodi, quo iidem religiosi ad sponte exercendum hoc charitatis opus invitabantur, approbare et confirmare dignaretur: eadem Congregatio Cardinalium, attentâ relatione dilecti filii nostri Iosephi Renati eiusdem S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, sibi super praemissis factâ, per suum decretum die XVIII. februarii proxime praeteriti editum, eidem Iosepho Renato Cardinali et protectori benigne remisit, ut, veris existentibus narratis, et quatenus expedire censuisset, praedictum decretum definitorii generalis pro suo arbitrio et prudentiâ approbaret et confirmaret. Ipse vero Iosephus Renatus Cardinalis et protector, in vim facultatis sibi sic attributae, suum quoque in praemissis decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Cardinalis protectoris auctoritate Congregationis editum confirmans decretum definitorii.

« Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus Cardinalis Imperialis et totius Ordinis Sancti Augustini protector. Vigore suprascriptae commissionis et facultatis a sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium emanatae, et de veritate et rationabilitate expositorum satis instructi, confirmamus supradictum decretum capituli et definitorii generalis Congregationis Discalceatorum S. Augustini Hispaniae et Indiarum, et concedimus ut commissarii, quos provinciae S. Nicolai de Tolentino in Philippinis et Candelariae in Terrafirmâ mittunt in Hispaniam ad deducendos in easdem provincias religiosos qui illuc fideles instruant et in vineâ Domini laborent, vocem et votum habeant in capitulis provincialibus suarum provinciarum, necnon honoribus, privilegiis et exemptionibus eorum qui fuerunt provinciales in omnibus et per omnia fruantur et gaudeant, statim ac in Hispaniam pervenerint; quibuscumque in contrarium non obstantibus. Volumus autem, ut, si praedicti commissarii congruo tempore in suas provincias non redierint, itaut integrum missionis suae munus actualiter non expleverint, statim eadem privilegia, honores et immunitates amittant, iisdemque privati et spoliati ipso facto sint et esse intelligantur, quacumque causâ, colore vel praetextu non obstantibus. Et ita, etc. Datum Romae ex aedibus nostris hac die XXVIII. februarii MDCCI. — I. R. Cardinalis IMPERIALIS. » — *Loco † sigilli.*

Confirmatio decreti Cardinalis protectoris.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ioannes Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Ioannis Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter

(1) Ex eodem Reg. De procuratoribus et definitoribus dictarum provinciarum vide const. praec.; item sequentem, ubi agitur de vocalibus in capitulis.

(2) Edit. Main. legit *ministeriis*.

(3) Vox *qui* redundans videtur.

annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, a memorato Iosepho Renato Cardinali et protectore editum ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, duarum provinciarum, ac Congregationis et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. aprilis MDCCI., pontificatus nostri anno I.

IV.

Concedit Congregationi Caritatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus privilegia Ordinum Mendicantium et Clericorum Ministrantium Infirmis (1).

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut, paternam sacrarum religionum et congregationum christianae caritatis et hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium et institutum, quo, labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuent et ferventius exequantur, liberalibus gratiarum et privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Rationes pro dictis privilegiis obtinendis, unà cum precibus procuratoris generalis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ioannes de Cabrera, procurator generalis Congregationis Caritatis sub titulo S. Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium a felicis recordationis Innocentio Papa XII. praedecessore nostro in religionem erectae, nobis nuper exponi fecit, fratres dictae Congregationis ab ipso illius initio multiplicia atque insignia pietatis et christianae charitatis opera erga pauperes et infirmos in eorum hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio, exercuerint, et in dies exercere non desinant; quo vero illa semper impensius et indefessi obeant et continuent, ipse Ioannes procurator generalis plurimum cupiat gratias et privilegia Ordinum Mendicantium et Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quae aliàs recolendae memoriae Urbanus Papa VIII. praedecessor pariter noster Ordini tunc Congregationi nuncupatae fratrum S. Ioannis Dei communicavit et concessit, praedictae Congregationi Caritatis, quae (ut asseritur) in suis regularibus institutis cum dicto Ordine Sancti Ioannis Dei maxime convenit, illiusque fratribus et locis a nobis pariter communicari et concedi:

Concessio praedictorum privilegiorum, dum-

§ 2. Nos, eamdem Congregationem Caritatis et pia illius instituta confovere et

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Eadem privilegia concessa fuerunt Ordini S. Ioannis Dei ab Urbano VIII. constitut. edit. MDCXXIV. die XX. iunii, pontif. I. Huius Congregationis privilegia et indulgentiae confirmata fuere ab Innocentio XII. constitut. edit. MDCC., die XX. maii, pontif. IX.; et aliud privilegium de ordinibus suscipiendis extat constitutione sequenti.

modo sint in usu, et non adversentur constitutionibus ecclesiasticis vel Congregationis.

promovere, ac proinde dictum Ioannem procuratorem generalem ac dilectos etiam filios fratres Congregationis huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem Ioannis procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Thomae Mariae Ferrarii tituli S. Clementis eiudem S. R. E. presbyteri Cardinalis S. Clementis nuncupati, praedictae Congregationis Caritatis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis dictis Cardinalibus factâ, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, ceterasque gratias, praeeminentias et indulta cuiusvis generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint, dummodo tamen sint in usu et non sint revocata, vel sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis aut apostolicis constitutionibus et ordinationibus vel memoratis regularibus dictae Congregationis Caritatis institutis non adversentur, praedictis Ordinibus Mendicantium et Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eorumque conventibus, domibus et aliis locis regularibus, ac Ordinum et Congregationis huiusmodi generalibus, praesidentibus, et quibusvis aliis superioribus, praelatis et capitulis, etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, prioribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, et quibusvis eorum regularibus personis tam in Urbe quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum instituto, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu per nos et successores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt et concedentur, ac quibus de iure, usu et consuetudine, vel privilegio, seu concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliâs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, ad praedictam Congregationem Caritatis, et singula illius hospitalia, domos et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos et quascumque regulares personas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus, illaque eis communicamus, et de novo concedimus, ac suffragari volumus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Constituuntur huius constitutionis executores.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis et fratrum dictae Congregationis Caritatis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem plenum earum effectum sortiri et obtinere, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem, sub quovis praetextu et causâ, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari, quinimo, quidquid in contrarium attentari vel fieri contingat, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet et rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras et poenas ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam

iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinum et Congregationis Clericorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. iunii MDCCI. pontificatus nostri anno I.

V.

Concedit fratribus Congregationis Caritatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus facultatem suscipiendi ordines omnes extra tempora, et non servatis interstitiis (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Ratio pro dicta facultate obtinendâ.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Ioannes de Cabrera, procurator generalis Congregationis Caritatis sub titulo Sancti Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium a felicis recordationis Innocentio Papa XII. praedecessore nostro in religionem erectae, nobis nuper exponi fecit, per constitutiones dictae congregationis, subinde ab eodem Innocentio praedecessore specifice confirmatas et approbatas, statuatur, ut in singulis hospitalibus seu domibus ipsius Congregationis unus dumtaxat frater presbyter esse possit, et id quidem (quia scilicet varia, et praesertim vilia, infirmis exhibenda ministeria, promptius ac decentius per fratres laicos obeuntur) plurimum expediat; verum, eveniente in aliquo ex dictis hospitalibus seu domibus unici illius fratris presbyteri obitu, futurum sit, ut, donec alius frater dictae Congregationis ad omnes sacros subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ordines promoveatur, et in defuncti locum subrogetur, si tempora ad dictorum sacrorum ordinum susceptionem a iure statuta expectanda ac interstitia a sacro Concilio Tridentino designata servanda erunt, toto eo tempore hospitale seu domus huiusmodi absque presbytero religioso remaneat, et interim ministerio presbyteri saecularis, assignato illi ex bonis in hospitalitatem erogandis stipendio, et non sine religiosae quietis periculo, uti debeat; ac propterea ipse Ioannes procurator generalis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Facultas praedicta conceditur.

§ 2. Nos, eiusdem Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cen-

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Vide constitutionem praecedentem et Innocentii XII. constit. ed. MDCC., die XXI. maii, pontif. IX. In Innocentii XIII. const. edit. MDCCXXII., die VII. augusti, pontif. II., confirmantur statuta Congregationis.

suris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum filium nostrum Thomam Mariam Ferrarium tituli S. Clementis eiusdem S. R. E. presbyterum Cardinalem S. Clementis nuncupatum, dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, super praemissis audiverunt, consilio, ut, quandocumque memoratus unicus frater presbyter cuiuscumque ex dictis hospitalibus seu domibus ab humanis decesserit, alius frater expresse professus praedictae Congregationis, in illius locum subrogandus, clericali charactere, si illo nondum insignitus sit, insigniri, et ad quatuor minores, quatuor feriatis vel non feriatis, seu unicâ, et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio, arbitrio Ordinarii definiendo, interpolatis) etiam extra tempora ad id a iure statuta, ac interstitiis a dicto Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex sacris ordinibus praedictis antequam ad alium promoveatur se minime exercuerit, dummodo nullum canonicum ei obstet impedimentum, ipseque ad id idoneus reperiatur, ac servatis aliàs servandis, de superiorum suorum licentiâ promoveri, et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Caritatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. iunii MDCCI., pontificatus nostri anno I.

VI.

Innovat literas Urbani VIII., Innocentii X. aliorumque Pontificum pro eleemosynis in orbe catholico colligendis ad Locorum Sanctorum conservationem (1).

CLEMENS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, etc. (2).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. novembris MDCCI., pontificatus nostri anno I.

---

(1) Ex Bull. Part. Terraesanctae ed. Rom.

(2) Reliqua omittimus, quia const. eadem est ac illa edita supra pag. 154, solo mutato nomine petentis, qui tunc fuit *Bernardus ab Ecclesiâ de Observantiâ Terraesanctae commissarius generalis.*

iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinum et Congregationis Clericorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. iunii MDCCI. pontificatus nostri anno I.

V.

Concedit fratribus Congregationis Caritatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus facultatem suscipiendi ordines omnes extra tempora, et non servatis interstitiis (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio pro dicta facultate obtinendâ.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Ioannes de Cabrera, procurator generalis Congregationis Caritatis sub titulo Sancti Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium a felicis recordationis Innocentio Papa XII. praedecessore nostro in religionem erectae, nobis nuper exponi fecit, per constitutiones dictae congregationis, subinde ab eodem Innocentio praedecessore specifice confirmatas et approbatas, statuatur, ut in singulis hospitalibus seu domibus ipsius Congregationis unus dumtaxat frater presbyter esse possit, et id quidem (quia scilicet varia, et praesertim vilia, infirmis exhibenda ministeria, promptius ac decentius per fratres laicos obeuntur) plurimum expediat; verum, eveniente in aliquo ex dictis hospitalibus seu domibus unici illius fratris presbyteri obitu, futurum sit, ut, donec alius frater dictae Congregationis ad omnes sacros subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ordines promoveatur, et in defuncti locum subrogetur, si tempora ad dictorum sacrorum ordinum susceptionem a iure statuta expectanda ac interstitia a sacro Concilio Tridentino designata servanda erunt, toto eo tempore hospitale seu domus huiusmodi absque presbytero religioso remaneat, et interim ministerio presbyteri saecularis, assignato illi ex bonis in hospitalitatem erogandis stipendio, et non sine religiosae quietis periculo, uti debeat; ac propterea ipse Ioannes procurator generalis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Facultas praedicta conceditur.

§ 2. Nos, eiusdem Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cen-

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Vide constitutionem praecedentem et Innocentii XII. constit. ed. MDCC., die XXI. maii, pontif. IX. In Innocentii XIII. const. edit. MDCCXXII., die VII. augusti, pontif. II., confirmantur statuta Congregationis.

suris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum filium nostrum Thomam Mariam Ferrarium tituli S. Clementis eiusdem S. R. E. presbyterum Cardinalem S. Clementis nuncupatum, dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, super praemissis audiverunt, consilio, ut, quandocumque memoratus unicus frater presbyter cuiuscumque ex dictis hospitalibus seu domibus ab humanis decesserit, alius frater expresse professus praedictae Congregationis, in illius locum subrogandus, clericali charactere, si illo nondum insignitus sit, insigniri, et ad quatuor minores, quatuor feriatis vel non feriatis, seu unicâ, et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio, arbitrio Ordinarii definiendo, interpolatis) etiam extra tempora ad id a iure statuta, ac interstitiis a dicto Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex sacris ordinibus praedictis antequam ad alium promoveatur se minime exercuerit, dummodo nullum canonicum ei obstet impedimentum, ipseque ad id idoneus reperiatur, ac servatis aliàs servandis, de superiorum suorum licentiâ promoveri, et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Caritatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv. iunii MDCCI., pontificatus nostri anno I.

VI.

Innovat literas Urbani VIII., Innocentii X. aliorumque Pontificum pro eleemosynis in orbe catholico colligendis ad Locorum Sanctorum conservationem (1).

CLEMENS PP. XI.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, etc. (2).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. novembris MDCCI., pontificatus nostri anno I.

---

(1) Ex Bull. Part. Terraesanctae ed. Rom.

(2) Reliqua omittimus, quia const. eadem est ac illa edita supra pag. 154, solo mutato nomine petentis, qui tunc fuit *Bernardus ab Ecclesiâ de Observantiâ Terraesanctae commissarius generalis.*

VII.

Carolum Thomam Maillard de Tournon constituit Patriarcham Antiochenum (lat. rit.), ac simul Visitatorem Apostolicum in Sinis et in Indiis Orientalibus cum potestate Legati a latere, indultâ ei facultate retinendi beneficia ecclesiastica, quibus iam fruitur (1).

Dilecto filio Carolo Thomae Maillard ex Marchionibus de Tournon electo Antiocheno,

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei

salutem et apostolicam benedictionem.

Onerosa pastoralis officii nobis, licet immeritis, divinâ dispositione commissa solicitudo requirit, ut inter cetera, quae undique confluunt negotia, quibusve noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem Ecclesiarum quarumlibet praesertim patriarchalium, quae vacationis incommoda deplorare noscuntur, solertius intendamus, ut eis, cum vacaverint, pastores accedant idonei, et ministri providi deputentur, qui Ecclesias ipsas, non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis.

§ 1. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium, etiam patriarchalium, tunc vacantium et in posterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Postmodum vero patriarchali Ecclesiâ Antiochenâ, quae in partibus infidelium consistit et cui bo. mem. Michael Angelus Mattei ultimus illius Patriarcha, dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius Michaelis Angeli Patriarchae, qui in Romanâ Curiâ debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem eiusdem Ecclesiae celerem et felicem, in qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne Ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te presbyterum Taurinensem I. U. D. et in theologiâ magistrum, cubicularium nostrum ad honorem, fidem catholicam expresse professum, omniaque alia requisita habentem, qui, ut accepimus, de nobili genere procreatus existis, cuique apud nos ob grata familiaritatis obsequia, quae nobis hactenus impendisti et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, de nobilitate generis, literarum scientiâ, vitae munditiâ, honestate morum, spiritualium providentiâ et temporalium circumspectione, aliisque multiplicibus virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis: quibus omnibus debitâ meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, Ecclesiae Antiochenae praefatae de personâ tuâ nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de fratrum eorumdem consilio, apostolicâ auctoritate providemus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Antiochenae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firmâ fide fiduciâque conceptis, quod, dextera Domini tibi assistente propitiâ, praedicta Ecclesia Antiochena sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

§ 2. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris promptâ devotione suscipiens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod Ecclesia ipsa Antiochena gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Nos enim tibi, donec Ecclesia praedicta Antiochena ab infidelibus detinebitur, ut ad illam accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, apostolicâ auctoritate praedictâ indulgemus.

(1) Ex App. Bul. P. de Prop. Fide vol. I., pag. 356.

§ 3. Praeterea te in Visitatorem Apostolicum in Sinarum aliisque Indiarum Orientalium regnis cum potestate etiam legati de latere destinamus.

§ 4. Nec non, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, tecum, quod etiam postquam in vim provisionis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi possessionem regiminis et administrationis dictae Ecclesiae Antiochenae, et illius mensae patriarchalis bonorum seu maioris partis eorum assecutus fueris, et munus consecrationis susceperis, una cum eadem Ecclesiâ Antiochenâ, quamdiu illi praefueris, omnia et singula beneficia ecclesiastica, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, quae in titulum, commendam vel administrationem, aut alias quomodolibet obtines, ac pensiones annuas super fructibus, reditibus et proventibus ecclesiasticis, quas percipis, ut prius, quoad vixeris, retinere et obtinere ac percipere, et de illis disponere libere et licite possis, apostolicis ac Conciliorum etiam generalium constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae Antiochenae, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, nequaquam obstantibus, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, de specialis dono gratiae dispensamus. Decernentes propterea eadem beneficia non vacare, neque pensiones huiusmodi cessare aut extinctas esse, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem, quod beneficia praedicta debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura, si quae illis immineat, nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCI., nonis decembris, pontificatus nostri anno I.

VIII.

Concedit fratribus Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus exemptio a processionibus publicis (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam christifidelium christianae erga pauperes infirmos convalescentes charitatis et hospitalitatis operibus iuxta laudabilia eorum instituta pie et fructuose incumbentium curam gerentes, ne ipsi a salutaribus operibus et institutis huiusmodi ullatenus avertantur, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Causae petitae concessionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii confratres Congregationis Bethlehemitarum nuncupatae hospitalium pauperum convalescentium in Indiis Occidentalibus, quod (cum ipsi, iuxta eorum constitutiones a felicis recordationis Innocentio Papa XI. praedecessore nostro specifice confirmatas, hospitalitatem erga pauperes infirmos et convalescentes exercere, illisque inservire debeant; verum contingat, ut, dum ipsi exponentes processionibus publicis, quae pro tempore peraguntur, intersunt, praedicti pauperes convalescentes ope et assistentiâ destituti remaneant; idque eo magis eveniat, quod non ita in illarum partium ac in Italiae aliarumque Europae regionum conventibus religiosorum numerus frequens sit, adeoque dividi non possit, ut et dictorum convalescentium necessitatibus et memoratis processionibus comitandis sufficiat) dicti exponentes opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent.

Concessio exemptionis a publicis processionibus.

§ 2. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quo-

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Constitutiones, privilegia et indulgentiae huius confraternitatis, in Congregationem erectae, extant in Innocentii XI. const. ed. MDCLXXXVII., die XXVI. martii, pont. XII.; et in huius Pontificis const. ed. MDCCVII., die XXVIII. iulii, pont. VII., eidem conceduntur privilegia Mendicantium et Ministrantium Infirmis.

modolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, omnibus et singulis memoratae Congregationis superioribus, confratribus et personis nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi de cetero (ne ab iis, quibus ad infirmorum et convalescentium in ipsius Congregationis hospitalibus degentium subventionem et utilitatem sedulo vacant, ministeriis distrahantur) processionibus supradictis, quacumque ex causâ, ex more, vel consuetudine, aut aliàs pro tempore faciendis, vel a quibusvis Ordinariis locorum indicendis, interesse minime teneantur, nec ad id ubique locorum per Ordinarios huiusmodi, seu alias quascumque personas, quavis auctoritate vel superioritate fungentes, inviti seu nolentes cogi vel compelli possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congretionis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII. iunii MDCCII., pontificatus nostri anno II.

IX.

Confirmat constitutionem Innocentii XII. de primatu pro provinciâ S. Didaci Novae Hispaniae Minorum de Observantiâ Discalceatorum contra eremitas S. Augustini provinciae Nominis Iesu (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Litterae Innocentii PP. XII. confirmantes decretum editum a sacrâ Rituum Congregatione, quo decernitur fratres Minores Discalceatos de Observantiâ S. Didaci Novae Hispaniae praecedere debere fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini provinciae SS. Nominis Iesu.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Innocentio PP. XII. praedecessore nostro emanarunt ad favorem dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Didaci Novae Hispaniae in Indiis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet: *Innocentius PP. XII. ad futuram rei memoriam.* Emanavit nuper, etc. (2).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. aprilis MDCC., pontificatus nostri anno IX.

Confirmatio praedictae constitutionis Innocentii XII. cum deputatione executorum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Paulus Lopez, frater expresse professus ac definitor et procurator generalis provinciae et Ordinis praedictorum, nobis nuper exponi fecit, praedicti Archiepiscopus Mexicanus et antiquior canonicus metropolitanae ecclesiae Mexicanae, quibus dictus Innocentius praedecessor executionem praeinsertarum suarum litterarum demandaverat, easdem litteras executioni demandare neglexerint seu renuerint, ac interea fratres secundodicti Ordinis apud nos recursum habuerint ut causam huiusmodi cum dubiorum distinctione iterum ad eamdem Congregationem Cardinalium examinandam

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Reliqua vide supra pag. 192.

remitteremus; nos vero recursum huiusmodi per quoddam rescriptum die xv. octobris proxime praeteriti iussu nostro emanatum reiecerimus, ac religiosos praedictos eisdem praeinsertis litteris omnino parere mandaverimus; ac proinde idem Paulus definitor et procurator generalis, illas apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, necnon debitae executioni demandari, plurimum desiderent: nos, ipsum Paulum definitorem et procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac earumdem praeinsertarum litterarum executionem dilectis etiam filiis inquisitoribus contra haereticam pravitatem in civitate Mexicanâ auctoritate praefatâ deputatis, cum facultatibus et auctoritatibus ac aliàs modo et formâ in praeinsertis litteris huiusmodi contentis et expressis, dictâ auctoritate, harum serie, committimus et demandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes et praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiv. novembris MDCCII., pontificatus nostri anno II.

X.

Concedit facultatem utendi altari portatili, et absolvendi a casibus reservatis in quibusdam partibus infidelium, fratribus Discalceatis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniae (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Idem concessum fuit cum aliis in Africâ ab Urbano VIII.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Urbano Papa VIII. praedecessori nostro pro parte tunc existentis procuratoris generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniarum exposito, quod Congregatio praedicta, iuxta laudabile ipsius institutum, eius religiosos in Africam (ut christifideles inibi sub miserâ Turcarum servitute constitutos, quos poterant, ab illâ eximere quaerebant, eosque in Domino consolabantur, ecclesiastica sacramenta illis administrabant, ac eorum denique animarum saluti, quibus poterant rationibus, incumbere valebant) mittere intendebat, memoratus Urbanus praedecessor, ut iidem religiosi in commisso sibi munere huiusmodi ad eorumdem christifidelium spiritualem fructum utilius sese exercere valerent, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, religiosis mittendis huiusmodi quod altare portatile cum debitâ reverentiâ et honore, super quo, in locis Africae dumtaxat, honestis tamen et congruis, etiam non sacratis, et, cum temporis qualitas id exegisset, etiam antequam illucesceret dies, circa tamen diurnam lucem, in dictorum captivorum et aliorum

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

fidelium in dictis locis degentium praesentiâ, missas et alia divina officia celebrare, omnesque et singulos eorumdem locorum utriusque sexus christifideles, ipsorum confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque excessibus et delictis, etiam in Bullâ die Coenae Domini legi solitâ contentis, ac pro commissis per eos et eorum quemlibet poenitentiam iniungere salutarem; necnon his qui peccata sua confessi et de illis corde contriti fuissent, ac sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, quoties id fecissent, toties plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino elargiri libere et licite valerent, apostolicâ auctoritate facultatem impertitus fuit. Necnon eosdem, qui durâ servitute in illis partibus oppressi pro tempore fuissent, quotiescumque ab Ecclesiâ Romanâ illius thesauros reserari, et generales peccatorum remissiones per Romanos Pontifices, etiam praescriptâ fidelibus ad illas assequendas formâ, et statuto tempore in eisdem adiecto, proponi contigisset, cum primum illarum ad eosdem captivos notitia pervenisset, aliqua agendo, quae naturali libertate privatum verisimile erat facere posse, illas omnes consequi, quae alii christifideles tempus et formam exacte in illarum concessione tradita observantes consequuti fuissent, eâdem auctoritate voluit et declaravit, et aliâs prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XX. ianuarii MDCXXVI. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Extendit ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut procurator generalis dictae Congregationis nobis nuper exponi fecit, eâdem Congregatione Germaniae et Poloniae regnis subinde propagatâ, fratres eiusdem Ordinis, in novis conventibus regnorum huiusmodi commorantes, Constantinopolim, ad Tartariae partes, aliaque infidelium loca, ad captivos huiusmodi redimendos, sese conferre soleant, ac proinde ipse procurator generalis, praedictas Urbani praedecessoris litteras ad loca huiusmodi a nobis extendi et ampliari, plurimum desideret: nos, piis ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri in almâ Urbe Vicarii in spiritualibus generalis (1) super praemissis eisdem Cardinalibus factâ, fratribus dicti Ordinis, ad loca infidelium huiusmodi sese conferentibus, ut altari portatili utantur, et a casibus reservatis in eisdem locis infidelium dumtaxat, cum dependentiâ tamen a nunc et pro tempore existentibus Vicariis Apostolicis a Sede Apostolicâ deputatis, absolvere possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in eiusdem Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. novembris MDCCIII., pontif. nostri anno III.

XI.

Prorogat ad aliud septennium facultatem pluries concessam Vicariis Apostolicis Sinarum ordinandi indigenas latinum

---

(1) Edit. Main. legit *generali*.

tantum legere scientes, commutandi illis officium divinum in alias preces, eosque ordinandi absque titulo (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Praedecessorum concessionem enarrat.

§ 1. Dudum fel. rec. Alexander PP. VII. praedecessor noster postquam tres Episcopos Vicarios Apostolicos in partibus Sinarum deputaverat, ut in eisdem partibus sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita fides catholica ibidem firmius, benedicente Domino, radicari valeret, praefatis Episcopis Vicariis Apostolicis cum christifidelibus dictarum partium indigenis, sibi respective uti Vicariis Apostolicis huiusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere possent, eisque canon missae ac formulae sacramentorum Ecclesiae declararentur, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines, servatis alias servandis, promoveri, et promoti in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite possent et valerent, dispensandi; nec non recitationem officii divini, horarum scilicet canonicarum, eisdem christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum linguâ arbitrio suo commutandi, facultatem auctoritate apostolicâ ad septennium dumtaxat concessit, et alias prout in ternis ipsius Alexandri praedecessoris literis in simili formâ Brevis desuper die IX. septembris MDCLIX., et die XX. septembris MDCLX. respective expeditis uberius continetur.

§ 2. Et subinde eidem Alexandro praedecessori pro parte duorum ex praefatis Episcopis Vicariis Apostolicis exposito, dictum septennium versus finem iam labi, bona vero stabilia Sinensium ad possidentes absolute non spectare, sed illorum dominos esse reges, illosque dicta bona quibus libitum est vitâ durante concedere, ac proinde super huiusmodi bonis perpetui patrimonii titulum pro ordinandis ad sacros ordines per eorum parentes seu alios in illis partibus assignari non posse; dictus Alexander praedecessor septennium praefatum ad alios septem annos a fine eiusdem septennii computandos dictâ auctoritate prorogavit: praeterea praefatis et aliis duobus Episcopis Vicariis Apostolicis in partibus praedictis pariter deputatis, ut ipsi tam residuo primo dicti septennii quam aliis septem annis, ut praefertur, prorogatis durantibus, clericos memoratarum partium indigenas, etiam absque titulo, servatis tamen alias tam ex sacrorum canonum quam ex praefatarum literarum praescripto servandis, ad sacros etiam presbyteratus ordines promovere libere et licite valerent, facultatem elapsis septem annis prorogatis huiusmodi illico expiraturam, eâdem auctoritate impertitus est, prout in aliis ipsius Alexandri praedecessoris literis pariter in formâ Brevis die XIII. martii MDCLXV. emanatis plenius etiam continetur.

§ 3. Ac postmodum rec. me. Clemens IX., Clemens X. et Innocentius XI. Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, facultates eisdem Episcopis Vicariis Apostolicis a praefato Alexandro praedecessore ad septennium prorogatas et de novo concessas respective, ut praefertur, ad alia tria septennia, nempe quilibet eorum ad unum septennium, successive extenderunt, prout in eorum literis similiter in forma Brevis die XIII. octobris MDCLXIX. die XXIII. octobris MDCLXXIII. et die XVI. aprilis MDCLXXX. respective expeditis, quarum et praedictarum Alexandri praedecessoris literarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, uberius expressum reperitur.

§ 4. Nunc autem nos christianae Religionis et catholicae fidei in partibus praedictis solidiori stabilimento latiorique propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, dictosque Episcopos Vicarios Apostolicos amplioris favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus, quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, easdem facultates, quae dictis Episcopis Vicariis Apostolicis per praefatas Alexandri utriusque Clementis ac Innocentii praedecessorum nostrorum literas respective concessae et pluries prorogatae seu extensae fuerunt, ad alios septem annos a fine sep-

Ad septennium ipse confirmat.

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide, vol. II., pag. 1, collat. etc.

tennii per Innocentium praedecessorem novissime prorogati computandos, quibus et residuo temporis, ut praefertur, prorogati durantibus, ipsi moderni et pro tempore existentes Episcopi Vicarii Apostolici in partibus praedictis ab hac S. Sede deputati eisdem facultatibus uti et illis, quos ad sacros ordines vigore facultatum huiusmodi promoverint, etiam recitationem officii divini, horarum videlicet canonicarum, in alias preces per eos diebus singulis recitandas ipsorum arbitrio auctoritate nostrâ apostolicâ commutare libere pariter et licite possint et valeant; servatâ tamen et salvâ in reliquis remanente earumdem Alexandri, utriusque Clementis, ac Innocentii praedecessorum formâ et dispositione, auctoritate praefatâ tenore praesentium prorogamus similiter ac extendimus et ampliamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus et singulis illis, quae in praefatis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur, ipsis praesentibus, si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II. decembris MDCCIII., pontificatus nostri anno III.

XII.

Concedit privilegia exprovincialium missionariis in Æthiopia Ordinis Minorum de Observantiâ Reformatorum (1).

CLEMENS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iustitiae et aequitatis ratio postulat, ut operarii, in vineâ Domini strenue utiliterque laborantes, praemiis et honoribus decorentur, quibus et ipsi ad constanter in suis laboribus persistendum, et alii ad eiusmodi labores alacriter subeundos stimulentur.

Concedit ut in rubricâ.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, fratres missionarii Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum in Æthiopiam pro tempore deputati, sive illuc ex Europâ se conferendo, propter itinerum per aspera et deserta loca montesque agendorum difficultates et pericula, sive ibi commorando, propter immodicos illarum regionum calores et diversi climatis ciborumque insalubrium qualitates eorum naturae contrarias, maximos labores sustineant; quo vero eorum animi ponderi non succumbant, et in susceptis pro catholicae fidei christianaeque religionis propagatione laboribus huiusmodi confirmentur, et defessis seu mercedem emeritis novi semper et alacres strenuique operarii succedant, spe alicuius honoris et praemii sublevandi et excitandi sint: hinc est quod nos, ex commissae nobis caelitus dispensationis munere, illorum honorificentiae consulere volentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praepositae super rebus Æthiopiae specialiter deputatorum consilio, ac motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine dictis fratribus missionariis, ut, post servitium seu ministerium in missione Æthiopiae per duodecim annos dictae Congregationi Cardinalium perseveranter et laudabiliter praestitum, si ad suas proprias dicti Ordinis provincias redire voluerint, reversi, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis et praecedentiis, quibus fratres dicti Ordinis, qui ministri provinciales fuerunt, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si provincialatus munere perfuncti fuissent, ita ut inter ipsos fratres missionarios ac exprovinciales servetur aequalitas, et quoad ordinem praecedentiae sola prioritas sive antianitas paternitatis attendatur, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces exi-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

stere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis eiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI. ianuarii MDCCIV., pontificatus nostri anno IV.

XIII.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium, quo declaratur, provinciales assumptos gaudere omnibus privilegiis provincialium absolutorum eremitarum S. Augustini Discalceatorum Congregationis Hispaniarum et Indiarum (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Causae insequentis decreti.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum Didaci a S. Bonaventura, Vicarii generalis, ac definitorum generalium Congregationis Hispaniae et Indiarum fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod ipsi, ad tollendam omnem litis occasionem, quae in Congregatione Hispaniae et Indiarum huiusmodi oriri posset, plurimum cupiebant ab eâdem Congregatione Cardinalium declarari casum in eorum constitutionibus omissum, an rectores provinciales, quos, propter plures alias causas quam per obitum ministrorum provincialium, nempe ob renunciationem et privationem, ad provincialatus huiusmodi officium assumi contigisset, absolutis eorum officiis, gaudere deberent omnibus et singulis privilegiis et exemptionibus, quibus gaudent provinciales absoluti: emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis pro provincialibus assumptis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, audito patre procuratore generali Ordinis, et attentis narratis, censuit ac declaravit gaudere. Romae XIV. decembris MDCCIII. — G. Cardinalis CARPINEUS — I. F. GRIMALDUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Exprovincialium privilegia concessa fuere procuratoribus generalibus Insularum Philippinarum ab Innocentio XI. const. edit. MDCLXXVII., die XI. decembris, pont. II.; et Vicariis provincialibus Indiarum Orientalium provinciae Portugalliae ab hoc Pontifice const. ed. MDCCVI., die I. februarii, pontif. VI.

spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Congregationis Hispaniae et Indiarum, ac Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. februarii MDCCIV., pontificatus nostri anno IV.

XIV.

Confirmat costitutionem Pauli III. de privilegiis neophytorum sive iudaeorum vel infidelium ad catholicam fidem se convertentium; ordinationesque circa eorum vivendi modum tradit (1).

CLEMENS EPISCOPUS
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium a causis praesentis constitutionis petitum.

Propagandae per universum terrarum orbem Christianae Fidei, cuius illibatum ac perenne depositum Romana in primis servat Ecclesia, pro commissi nobis apostolici muneris debito iugiter intendentes, dum in remotissimas quasque partes Evangelii praecones ablegare satagimus, in eam simul curam diligenter incumbimus, ut quicumque disiectis infidelitatis tenebris ad verum iustitiae solem, qui Christus est, agnoscendum, eo adiuvante, festinant, nullis, quoad fieri potest, humanarum rerum obstaculis impediantur; sicque ad catholicae Ecclesiae gremium ex omni natione, quae sub caelo est, eo frequentior, quo facilior, expediatur accessus. Quamvis enim non temporalium rerum commodo, sed aeternae potius haereditatis intuitu, ad suscipiendam Christi fidem infideles allici oporteat, quin etiam edoceri praecipuam christiani hominis gloriam in eo maxime sitam esse, ut terrena despiciat, existimetque omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini nostri: nihilominus rationi congruum et piae matris Ecclesiae institutis consentaneum arbitramur ita paternam nostram erga eos, qui adhuc in fide parvuli lacte potius quam cibo solido nutriendi sunt, providentiam temperare, ut infirmiores quique a christianae religionis proposito, amittendarum facultatum incurrendaeque prorsus miserae egestatis horrore, non retrahantur; cum potius, iuxta canonicas sanctiones, eos, qui ad fidem veniunt, melioris conditionis esse oporteat post baptismum, quam, antequam fidem susciperent, haberentur, et in illis etiam impleri debeat Christi certa promissio: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.*

Ob quas uti ab aliis Romanis Pontificibus, ita a Paulo III. edita fuit sequens constitutio.

§ 1. Quam quidem ob causam complures Romani Pontifices praedecessores nostri, pro traditâ sibi divinitus, in iis quae ad eiusdem sanctae Fidei favorem et propagationem pertinent, apostolicâ potestate, multa in neophytorum commodum privilegia concesserunt, aliis quoque additis ordinationibus, quibus et indemnitati ipsorum et christianae religionis dignitati et faciliori simul infidelium conversioni consultum foret; praecipue vero felicis recordationis Paulus Papa III. apostolicam constitutionem edidit in haec verba:

Paulus Papa III.
ad perpetuam rei memoriam.

Infideles conversi non amittunt bona.

Cupientes iudaeos et alios infideles quoslibet ad fidem catholicam converti, et praetextu bonorum per eos antea possessorum

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. De hac re vide Gregorii XIII. constit. edit. MDLXXXI., die XIII. septembris, pontif. X.; et const. edit. MDLXXVII., *Vices eius*, die I. septembris, pontif. XIII. pro erectione collegii ecclesiastici adolescentium neophytorum; item Innocentii XI. constit. edit. MDCLXXXI, die VIII. augusti, pontif. V., Clementis XI., ut infra constitut. ed. MDCCIV., die XX. novembris, pontif. IV. *Ex quo in Sinarum*,

ab eadem fide non distrahi, motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, hac in posterum valitura constitutione sancimus, quod cuicumque eorumdem iudaeorum et infidelium ad dictam fidem converti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quaecumque, tam mobilia quam immobilia, intacta et illaesa permaneant. Ita ut etiam filiifamilias et in patria potestate, ut praefertur, constituti, legitima et quacumque portione bonorum patrimonialium aut maternorum, eis de iure seu successione bonorum eis alias debitorum, per eorum parentes fraudari aut privari non possint neque debeant, sed eis integre, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conversi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

Male acquisita restituunt, si personae damnificatae notae sint.

§ 1. Et si bona ipsa ex usura aut illicito quaestu fuerint acquisita, et notae sint personae, quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum), illa eisdem personis omnino restituantur; personis vero non extantibus praedictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiae in pios usus convertenda, bona huiusmodi eisdem iudaeis et aliis infidelibus, in favorem suscepti baptismatis, tamquam in pium usum libere concedimus, eaque apud ipsos sic conversos iudaeos et alios infideles remanere decernimus. Interdicentes, sub divini anathematis poenâ, quibusvis tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, ne ullam super bonis huiusmodi, quovis quaesito colore, molestiam inferant, aut inferri patiantur; sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

Piorum eleemosynis adiuvandi sunt, quatenus sint pauperes.

§ 2. Et quoniam, ut scriptum est, *Qui habuerit substantiam mundi huius et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in ipso?* si ipsi conversionis tempore inopes aut indigentes fuerint, omnes, tam ecclesiasticos quam saeculares, per viscera misericordiae Dei nostri exhortamur, ut ipsis conversis manus porrigant adiutrices; ipsi quoque dioecesani non solum christianos ad subveniendum ipsis exhortentur, sed etiam, tam de redditibus ecclesiarum, prout poterunt, quam de his, quae ad pauperum usus per ipsos convertendos devolvuntur, huiusmodi neophitos sustentare non negligant, ipsosque a detractionibus et contumeliis paterna affectione defendant.

Cives efficiuntur loci in quo baptizantur.

§ 3. Et quoniam per gratiam baptismi cives sanctorum et domestici Dei efficiuntur, longeque dignius existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus ut civitatum et locorum, in quibus sancto baptismate pro tempore regenerabuntur, vere cives sint, et privilegiis ac libertatibus et immunitatibus, quae alii, ratione nativitatis et originis dumtaxat, consequuntur, gaudeant.

In articulis fidei instruantur et cum infidelibus non conversentur.

§ 4. Curent insuper sacerdotes baptizantes et alii sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum quam post, illos in articulis fidei ac legis novae praeceptis, catholicaeque Ecclesiae ritibus diligenter instruere; et tam ipsi quam dioecesani operam dent ne cum aliis iudaeis seu infidelibus saltem per longum tempus conversentur, ne, sicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat.

Cum christianis originariis matrimon. contrahere studeant.

§ 5. Et quoniam, experientia teste, compertum est mutuam ipsorum neophitorum inter se conversationem ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum Ordinarios ut, quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent et studeant neophitos ipsos cum originariis christianis matrimonio copulari.

Ritus antiquae sectae dimittant.

§ 6. Et prohibeant eisdem, sub gravibus poenis, ne mortuos more iudaeorum sepeliant, aut sabbata aliasque solemnitates et antiquae sectae ritus quoquomodo observent, sed et ecclesias et praedicationes, prout alii catholici, frequentent, et in omnibus christianorum moribus se conformes reddant.

Contemptores praedictorum ab inquisitoribus coerceantur.

§ 7. Contemptores autem praedictorum, per sacerdotes, in quorum parochiis degent, aut alios, ad quos, de iure vel antiqua consuetudine, de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscumque, dioecesanis seu inquisitoribus haereticae pravitatis deferant, et invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, per eos taliter puniantur, quod aliis transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus in provincialibus et synodalibus conciliis diligens fiat inquisitio, et tam circa Episcopos et sacerdotes in praemissis negligentes, quam ipsos neophitos et infideles praedictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium.

Redeuntes ad

§ 8. Si quis autem, cuiuscumque gradus

vomitum uti haeretici puniantur. vel praeeminentiae fuerit, huiusmodi neophitos, ne observationem ritus christiani et aliorum praedictorum complectantur, foverit aut defenderit, poenas contra fautores haereticorum promulgatas ipso facto incurrant; neophiti vero si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, et ad vomitum, iudaizantes, redire comperti sint, contra eos, tamquam perfidos haereticos, per Ordinarios locorum, secundum sacrorum canonum instituta, procedatur.

Quibuscumque non obstantibus. § 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, indultis et literis, etiam apostolicis, seu etiam regiis vel imperialibus eisdem iudaeis vel infidelibus quomodolibet concessis, quae, quatenus in detrimentum catholicae fidei, aut nominis christiani, seu aliquorum ex praemissis quomodolibet vergerent, et ad effectum praesentium, cassamus et irritamus, ac cassa et irrita esse decernimus, aliis decretis et constitutionibus apostolicis, quae super praemissis sunt condita, in suo robore duraturis.

Haec constitutio semel in anno in singulis ecclesiis publicetur. § 10. Et ut huiusmodi sanctae constitutionis iugis memoria habeatur, et ne quisquam ipsius ignorantiam praetendere possit, illam per singulas cathedrales et collegiatas ecclesias, aliaque pia loca, in quibus uberior erit fidelium concursus, semel in anno, ad minus, infra divina publicari volumus et decernimus.

Fides eius transumptis detur. § 11. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferre, volumus et etiam declaramus, quod earumdem praesentium transumptis, seu copiis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, ubicumque forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI. martii MDXLII., pontificatus nostri anno VIII.

Causae ob quas a Clemente XI. editur nova constitutio. § 2. Nos igitur, ne tam salubris constitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat, et observantia neglectu cuiuspiam obsolescat, aut etiam fidei, hostium dolo, notitia converti volentibus supprimatur, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, quibus huiusmodi negotium commisimus expendendum, consilio, atque atiam motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem praeinsertam constitutionem; omniaque et singula in eâ contenta, tenore praesentium confirmamus, approbamus et innovamus, eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari perpetuis futuris temporibus debere statuimus et mandamus. Simulque, ad omnis dubitationis umbram penitus removendam, eadem a memorato Paulo praedecessore statuta clarius explicantes, et, quatenus opus sit, etiam amplius extendentes, bona quaelibet adventitia, quocnmque modo talia censeantur, ad filiosfamilias christianam religionem profitentes, utpote a patriae potestatis iugo, quo parentibus infidelibus subdebantur, sacri baptismatis beneficio prorsus exemptos, pleno iure spectare, neque super illis usumfructum aut aliud quodcumque ius praefatis parentibus, quamdiu in infidelitate permanserint, ullo modo competere; e contra vero parentes ipsos aliosque quoscumque, qui conversis eorumque descendentibus aliàs alimenta seu dotem praestare quocumque titulo etiam in subsidium tenerentur, ad eadem alimenta seu dotem illis subministranda pariter teneri et obligatos esse post conversionem eorum, similiter tenore praesentium declaramus, atque etiam et integro statuimus, decernimus et mandamus.

§ 3. Et quoniam infidelium, ac prae ceteris iudaeorum, malitiam eo usque in odium christiani nominis processisse pluries compertum est, ut bona sua occultando, seu in alios transferendo, vel aliàs de illis inter vivos vel etiam in ultimâ voluntate disponendo, filios aliosque consanguineos ad Christi fidem conversos eorumdem bonorum successione, ad quam ab intestato legitime admittendi fuissent, aut etiam spe successionis eiusdem tentaverint: idcirco nos, recolendae memoriae Gregorii PP. XIII. praedecessoris nostri, qui, per suas quasdam sub annulo Piscatoris, die XIII. septembris MDLXXXI., pontificatus sui anno X., datas litteras, huiusmodi malo, utpote in christianae fidei detrimentum cedenti, occurrendum merito censuit, vestigiis inhaerentes, iudaeos quoslibet, sicut et alios infideles, bona sua et iura quaecumque in praeiudicium filiorum aut aliorum consanguineorum, qui aliàs ipsis ab intestato decedentibus successuri essent, et christianam susceperint religionem, quocumque modo alienare seu occultare vel diminuere inter vivos aut in qualibet ultimâ voluntate non Ordinationes ne infideles occultent, vel quocumque modo distrahant bona in fraudem filiorum conversorum, additisque nonnullis provisionibus.

posse; sed potius eadem bona et iura quaecumque (traditâ statim post baptismum legitimâ quibuscumque aliàs post obitum competeret eorumdem) integre conservare teneri et obligatos esse; tamque ipsos quam alios bonorum eorumdem detentores vel occupatores ad illa, seu eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, et de eisdem inventarium legitime faciendum, et de utendo et fruendo, arbitrio boni viri, cavendum, opportunis iuris et facti remediis compelli posse; atque in eorum bonis et iuribus, si in infidelitate decesserint, ipsorum filios seu alios quoscumque consanguineos, ut praefertur, christianos, eodem prorsus modo et iure, nullâ etiam obstante ingratitudinis aut aliâ quantumvis legitimâ exhaeredationis causâ, quam, ob suscepti postea baptismi venerationem, sublatam prorsus esse volumus, succedere debere, ac si iidem iudaei seu alii infideles nullum fecissent aut ordinassent testamentum vel aliam ultimam voluntatem, omnesque et singulas bonorum et iurium, sive inter vivos, sive in ultimâ voluntate, alienationes, distractiones, aut alias dispositiones praedictas in huius nostrae constitutionis fraudem et in odium christianae fidei factas seu potius attentatas censeri, ac nullius propterea roboris et momenti esse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium, sancimus, decernimus et ordinamus.

Item pro desiderio conversionis iudaeorum, ut executioni mandetur constitutio Gregorii XIII. quoad conciones ad hebraeos habendas, et concionatores benigne agant.

§ 4. Ceterum, ne dum providâ sollicitudine temporalia conversis ad fidem commoda comparamus, spirituale animarum lucrum negligere videamur in convertendis, quemadmodum infideles ceteros, qui longe sunt, sacris missionibus institutis, evangelicâ praedicatione instruere non cessamus, ita de iudaeis etiam, qui magno numero inter christianos vivunt, et nostris quodammodo oculis obversantur, aeternâ salute procurandâ praecipue cogitamus. Tristitia enim nobis magna est (fidenter cum Apostolo dicimus) et continuus dolor cordi nostro, dum paterni amoris visceribus miseramur israeliticam gentem, olim Deo amabilem, populum quem elegit Dominus in haereditatem sibi et custodivit quasi pupillam oculi sui; nunc autem (postquam, iudaicâ in summum sceleris erumpente perfidiâ, vere iratus est furore Dominus in populum suum, et usque in finem abominatus est haereditatem suam) velut gregem sine pastore dispersum per invia quaeque et inaquosa misere divagantem, ac verbi Dei, quod illi unicum superest, salutari pabulo destitutum, solo scilicet litterae, quae occidit, a iudaeis cortice degustato, spiritu vero, qui vivificat, ab animalibus hominibus non percepto. Propterea ad eosdem iudaeos in sanctae fidei veritate salubriter erudiendos et trahendos ad Christum, ea omnia et singula, quae de sacris lectionibus seu sermonibus per singulas hebdomadas ad ipsos, ubicumque eorum synagogae fuerint, habendis, memoratus Gregorius praedecessor noster in aliis suis anno Incarnationis dominicae MDLXXXI., kalendis septembris, pontificatus sui anno XIII. editis apostolicis litteris, quarum tenorem pro expresso in praesentibus haberi volumus, sapienter constituta sunt, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolate servari, et, sicubi (1) in desuetudinem abierunt, in usum revocari praecipimus et mandamus; concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerint, specialiter admonentes, iisque etiam in nomine Domini districtius iniungentes, ut memoratos iudaeos non iniuriis, contumeliis aut nimiâ verborum asperitate, quibus in iudaicâ magis perfidiâ obfirmarentur, sed caritate potius et mansuetudine, quam mitis nos et humilis corde Christus edocuit, velut oves errantes ad sanctae Ecclesiae caulas suaviter allicere, et patefactâ ex veterum potissimum, quas venerantur, scripturarum oraculis christianae veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni studio satagant, ut ex iudaicae pravitatis tenebris, quibus obscurati sunt oculi eorum ne videant, Dei omnipotentis operante virtute, liberentur.

Tandem ecclesiarum praelatis, ac saecularibus principibus, omnibusque christifidelibus neophyti commendantur.

§ 5. Postremo iudaeos omnes, ceterosque infideles quoscumque, qui ad baptismi gratiam, Deo donante, pervenerint, omnibus ecclesiarum praelatis, ac saecularibus, etiam principibus, per misericordiae Dei nostri viscera commendamus, ut eos patrocinio foveant, auctoritate adiuvent, potentiâ tueantur, neque ab aliis, praesertim vero a iudaeis aut quibusvis infidelibus, ullâ in re indebite vexari patiantur; universosque ubique terrarum christifideles in unigeniti Filii Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius vice fungimur, nomine hortamur et obsecramus, ne venientes ex infidelitate, praesertim pauperes, despiciant, aut aversentur; sed potius novella

(1) Edit. Main. legit *sicuti*.

huiusmodi Ecclesiae germina officiis ac beneficiis, prout quisque poterit, excolere et irrigare non desint, atque, ut veros in Christo fratres ac domesticos fidei effectos, benigne excipiant, in necessitatibus sublevent, et omni demum christianae charitatis genere prosequantur; ut de suscepto sanctae fidei proposito gaudium ipsorum sit plenum et exultatio, iis vero, qui foris sunt, et adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad eiusdem sanctae matris Ecclesiae gremium properandi desiderium excitetur.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, eisdem non consenserint, aut vocati seu auditi non fuerint, aut aliâ quavis de causâ, quantumvis legitimâ et in corpore iuris causâ, de ullà subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci nullatenus posse; sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere, et ab eis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum quoque et inane quidquid secus super omnibus et singulis praemissis, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, ac ceteris nostris et Cancellariae regulis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, aut alià quavis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris, etiam apostolicis, seu etiam regiis et imperialibus, eisdem iudaeis vel infidelibus quibuslibet, singulis, aut eorum universitatibus, quomodolibet, et ex quibusvis causis, etiam publicis, gravissimis et urgentissimis, atque etiam titulo oneroso, et vim contractûs hinc inde obligatorii inducente, concessis (quae, quatenus in detrimentum catholicae fidei, quam humanis quibusque rationibus quicumque debet praeferre christianus, quomodolibet vergant, et ad effectum dumtaxat praesentium, cassamus et irritamus, ac cassa et irrita esse decernimus), aliisque omnibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, quomodolibet in contrarium praemissorum editis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Decretum annuae publicationis.

§ 8. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus innotescant, quibuscumque locorum Ordinariis, in quorum dioecesibus aliqua iudaeorum synagoga, aut notabilis illorum infidelium numerus reperiatur, iniungimus et mandamus, ut ea omnia, quae a nobis, ut praefertur, constituta et ordinata sunt, ad eorumdem iudaeorum aliorumve infidelium notitiam quotannis, semel seu pluries, et eo modo qui iisdem Ordinariis opportunior visus fuerit, sermone vernaculo deduci faciant et in memoriam revocari; atque, ut nemo prorsus earumdem litterarum ignorantiam allegare valeat, volumus ut illae, seu earum exemplum, ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, ac praefatae Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis Innocentianae, necnon in acie Campiflorae de eàdem Urbe, per aliquem ex cursoribus nostris, prout moris est, publicentur et affigantur, quae sic publicatae et affixae, omnes et singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatae fuissent; quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticà dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae confirmationis,

approbationis, innovationis, declarationis, extensionis statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, ordinationis, praeceptorum, admonitionis, commendationis, irritationis, cassationis, derogationis et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCIV., v. idus martii, pontificatus nostri anno IV.

XV.

Confirmat decretum S. R. et U. Inquisitionis de caeremoniis et ritibus Sinensium (1).

Acta causam rituum seu caeremoniarum Sinensium complectentia:
I. Mandatum seu edictum domini Caroli Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis in regno Sinarum, nunc Episcopi Cononensis.
II. Quaesita ex eodem mandato seu edicto excerpta, sacrae Congregationi Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis proposita.
III. Responsa data iisdem quaesitis a praefatâ Congregatione.
IV. Decretum a sanctissimo domino nostro domino Clemente divinâ providentiâ Papa XI. in eâdem Congregatione die XX. novembris MDCCIV. editum, quo dicta responsa confirmantur et approbantur.

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

I.

MANDATUM SEU DECRETUM

Domini Caroli Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis in regno Sinarum, nunc Episcopi Cononensis.

Carolus Maigrot, sacerdos, Vicarius Apostolicus Fokiensis, sacrae facultatis Parisiensis doctor, sociusque Sorbonicus, omnibus Vicariatus nostri consacerdotibus salutem in Eo qui est omnium vera salus.

Ex quo in Sinarum imperium, Deo favente, appulimus, nobis semper haec Vicariorum Apostolicorum sollicitudinis praecipua pars visa est, ut diversis quaestionibus, de quibus inter missionarios iamdiu controvertitur, finem, si fieri posset, afferrent; sin minus, regulam missionariis traderent, quae, donec Apostolica Sedes controversiam diiudicaret, aequali ab omnibus usu et ratione servaretur. Neque enim, quod saepius gementes conspeximus, sine magno ecclesiarum istarum detrimento accidit, ut Evangelii ministri, in rebus quae ad Dei cultum et idololatriae extirpationem attinent, inter se non consentiant; ut quod alii sine idololatriae labe fieri posse Causae praesentis mandati.

---

(1) Ex Clementis XI. P. M. Bullario Romae edit. MDCCXXIII. ex typ. Cam. Ap. collat. etc. In Innocentii XI. const. ed. MDCLXXXI. die VIII. augusti, pontif. v., editae fuerunt nonnullae ordinationes in causis fidei novorum christianorum in regnis Portugalliae, et Clementis XI. const. ed. MDCCXV., die XIX. martii, pontif. XV., ut infra, praecipitur observantia praesentium decretorum in causâ Sinicâ. Ex eodem Clem. XI. bullario pag. 517 depromimus declarationem a superioribus S. I. SSmo Clem. XI. humiliter oblatam.

DECLARATIO

Reverendissimi Patris Michaelis Angeli Tamburini Praepositi Generalis Societatis Iesu super Postulato unanimiter sibi facto a RR. Patribus Assistentibus Nationum, et Procuratoribus Provinciarum eiusdem Soc. Romae congregatis mense novembri MDCCXI. *Sanctissimo Domino Nostro Domino Clementi XI. Pontifici Maximo humiliter oblata ab eodem P. Praeposito Gen. die* XX. *eiusdem mensis.*

Die XX. *novembris* MDCCXI.

Reverendiss. Pater Michael Angelus Tamburinus Praepositus generalis Societatis Iesu, provolutus ad pedes Sanctiss. D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papae XI. in Palatio Apostolico Quirinali, unâ cum PP. Assistentibus Nationum, ac Procuratoribus singularum Provinciarum dictae Societatis, obtulit Sanctitati Suae per modum supplicis libelli scripturam tenoris, qui sequitur, videlicet:

Foris:

Sanctissimo Domino Nostro Clementi Papae XI.

Pro Praeposito Generali Societatis Iesu.

Intus vero:

Inter Postulata, quae Patres Procuratores missi Romam e singulis Societatis Iesu Provinciis ad consuetam Congregationem Procuratorum indictam in hunc mensem novembrem anni MDCCXI. proposuere, unum fuit prae caeteris summâ oblatum contentione, et acerrimis omnium studiis, votisque commendatum, tanquam longe maximi ad suarum Provinciarum pacem et existimationem momenti.

In hoc Postulato significant Praeposito Generali lacerari Societatis universae nomen indignissimâ accusatione, quae illi maiorem inurit dolorem, quam innumerabiles aliae accusationes, obtrectationes, et calumniae contra eamdem fabricari, et disseminari solitae; et quâ se fatetur ad vivum vulnerari, et pupillam oculi sui tangi.

Accusationem hanc vehementiores Adversarii his verbis informant: *Erga Decreta Pontificia prae caeteris exactam submissionem, caecamque obedientiam buccinant Iesuitae; ab ea tamen prae caeteris deficiunt, dum ad salivam decreta non sunt.... Re-*

non putent, hoc alii christianos facere permittant, aut etiam ad faciendum adhortentur, utque illi ipsi, qui certos usus superstitiosos esse arbitrantur, eosdem pro bono pacis interdum tolerent. E qua mali tolerantiâ malum radices agere atque in dies incrementum accipere diuturnâ experientiâ cognovimus.

---

ligiosos Societatis prae caeteris inobedientes esse Constitutionibus Apostolicis.

Eam ob rem praedicti Patres Procuratores, ad refellendam omni ope tam probrosam, quam a veritate alienam accusationem, simulque ad declarandum Societatis dolorem, cum se tam gravi, tam acerbo vulnere petitam sensit; unâ voce postularunt, ac faciendum iudicarunt, ut solemni, et legitimâ quadam actione, quae vim, et locum obtineret cuiuscumque Apologiae, Praepositus Generalis Societatis nomine totius Ordinis confirmaret, contestaretur, ac declararet, provolutus ad Sanctitatis Suae pedes, et coram Ecclesiâ universâ, constantissimam, immutabilem, invictam totius Societatis Iesu fidem in amplectendis, obeundis et ad ultimum usque spiritum exequendis, quaecumque fuerint a Sede Apostolica praescripta, constituta, et imperata, et nominatim quod spectat ad Decreta per Suam Sanctitatem edita de ritibus Sinensibus tum anno MDCCIV. die XX. novembris, tum anno MDCCX. die XXV. septembris: quae quidem Decreta, etiam prout a Sanctitate Sua explicata, et exposita fuerunt in literis eius nomine scriptis ab illustrissimo et reverendissimo Domino Assessore Sancti Officii ad reverendum admodum Patrem Praepositum Generalem Societatis sub die XI. mensis octobris anno MDCCX. inconcusse et inviolabiliter, sub censuris et poenis ibidem expressis, sine ullâ contradictione, tergiversatione, aut cunctatione, quovis contrafaciendi quaesito colore, aut praetextu penitus sublato, sibi adamussim observanda, et exequenda, sponte et ultro admittit, et amplectitur Societas universa: atque ita obloquentium ora obstructum iri confidit.

Huic Postulato unâ cum Patribus Assistentibus iidem Patres Procuratores Romae convocati propriâ manu subscripsere.

Michael Dias Assistens Lusitaniae.
Andreas Waibl Assistens Germaniae.
Io. Vincentius Imperialis Assistens Italiae.
Guillelmus Daubenton Assistens Franciae.
Ludovicus de Montesdoca Assistens Hispaniae.
Matthias Karski Procurator Lituaniae.
Richardus Plovuden Procurator Angliae.
Stephanus Sczainecki Procurator Poloniae.
Ioseph Vicecomes Procurator Provinciae Mediolanensis.
Carolus Franciscus Demachault Procurator Campaniae.
Carolus Dauchez Procurator Franciae.
Iosephus Preiss Procurator Germaniae Superioris.
Io. Baptista Spinula Procurator Provinciae Romanae.
Antonius Milesius Procurator Provinciae Venetae.
Andreas Dehmaz Procurator Rheni Superioris.
Ioannes Petrus du Fornel Procurator Provinciae Tolosanae.
Gaspar Buhon Procurator Prov. Lugdunensis.
Balthasar Weiman Rheni Inferioris Procurator.
Gavinus Silvester Lecca Procurator Sardiniae.
Ioannes de Bruyn Procurator Flandrobelgii.
Franciscus Rescalli Procurator Austriae.
Ioannes Capeta Procurator Bohemiae.
Dominicus Viva Procurator Neapolitanae.
Ioannes Baptista de Fourmestraux Procurator Gallobelgicae.
Antonius Franciscus Ioseph Provana Procurator Sinensis.

Beatissime Pater

Tam iustis, tam gravibus, ac necessariis PP. Procuratorum Postulatis obsecundans Praepositus Generalis Societatis Iesu ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolutus, quocumque optimo, ac certissimo modo potest, cum omni asseveratione, ac sinceritate, suo, ac totius Societatis nomine profitetur, ac declarat Sanctitati Vestrae, et Sanctae Sedi Apostolicae, constantissimum obsequium, reverentissimam submissionem, et obedientiam caecam, in amplectendis, et exequendis quaecumque per eamdem Sanctam Sedem decreta fuerint, et imperata: iisque potissimum, quae circa Sinicos ritus edita sunt, tum anno MDCCIV. die XX. novembris, tum anno MDCCX. die XXV. septembris. Quae quidem Decreta, etiam prout a Sanctitate Vestra explicata, et exposita fuerunt in literis Sanctitatis Vestrae nomine eidem Praeposito Generali scriptis ab illustrissimo et reverendissimo Domino Assessore S. Officii sub die XI. octobris anno MDCCX. inconcusse et inviolabiliter, sub censuris et poenis ibidem expressis, sine ulla contradictione, tergiversatione, aut cunctatione, quovis contrafaciendi quaesito colore, aut praetextu penitus sublato, sibi adamussim observanda et exequenda, sponte et ultro admittit, et amplectitur Societas Universa. Testatur autem idem Praepositus Generalis hanc esse vocem, hoc votum, hunc spiritum, Societatis Universae: hunc et futurum esse: sicut proculdubio semper fuit.

Quod si quis nihilominus e nostris esset ubicumque terrarum (quod avertant Superi) qui aliter sentiret et loqueretur, aut locuturus esset: nam id omnino praevenire, aut impedire nulla satis potest humana prudentia, in tantâ Subditorum multitudine: declarat, asserit ac profitetur Praepositus Generalis nomine totius Societatis, se iam nunc illum reprobare, repudiare; ac meritâ castigandum poenâ, neque agnoscendum pro vero et genuino filio Societatis: illum tamquam degenerem, et non suum, habebit, uti tales semper habuit, et modo habet Societas, et quantum poterit, semper compescet, comprimet et conteret.

Ea mens, hoc propositum, ea contestatio, Societatis est, quam eius totius nomine deponit ad Sanctissimos Pedes Beatitudinis Vestrae Praepositus ipsius Generalis; ut inde per universam disseminetur, ac spargatur Ecclesiam. Quod si ad exprimendam efficacius Societatis in hac protestatione mentem, inveniri verba possent clariora, et magis significantia aut formulae magis distinctae, disertaeque ad obstruendum omnem cavillationibus et sinistris interpretationibus aditum; intendit, optat, vult Praepositus Generalis, ut ea, quae in hoc scripto adhibet, verba vim omnem aliorum quorumcumque magis idoneorum habeant: faleturque sibi non occurrisse ulla meliora et apertiora, quibus veram et sinceram totius Societatis mentem declararet.

Ex Domo Professâ Romanâ die XX. nov. MDCCXI.

Ita fatetur et protestatur

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS
Praepositus Generalis.

Idem vero Sanctissimus Dominus Noster supradictos Patres Praepositum Generalem, nec non Assistentes Nationum, ac Procuratores Provinciarum eiusdem Societatis, quam Sanctitas Sua in visceribus gerit paternae suae caritatis, benigne excepit: oblatamque sibi declarationem praemissam typis mandari, ac pervulgari posse permisit.

Summum studium in eo condendo adhibitum.

§ 1. Et quidem plerique vicariatûs nostri missionarii, hanc in quaestionibus tanti momenti non sententiarum modo discrepantiam, sed praxis et usus dissimilitudinem tolli magnopere cupientes, nostram, pro eo quo indigni fungimur Vicarii Apostolici munere, sententiam sciscitati sunt, ac, ne continuis conscientiae scrupulis et angoribus premerentur, *aliquid saltem* per interim *a nodis decerni saepius instarunt*. Rerum autem gravitas fecit, ut non ita cito responderimus, atque illi exoptabant: etsi enim iam a multo tempore, bonae memoriae Episcopi Heliopolitani, olim Vicarii Apostolici Fokiensis et Sinarum missionum generalis administratoris, iussu, cum suas nobis vices demandaret, his rebus incumberemus; nova tamen et acrior diligentia, postquam ad Apostolicum Vicariatum a Sanctâ Sede electi fuimus, adhibenda esse visa est. Qua in re id vere affirmare possumus, nihil a nobis sponte praetermissum fuisse, ut, sive ex Sinicis fontibus, sive ex commentariis hoc in genere europaeo idiomate conscriptis, quoscumque habere potuerimus, sive ex eruditorum virorum consortio veritatem indagaremus. Et quod omnium maxime necessarium est, Deum iugi sacrificio et assiduis precibus obsecravimus, ut tenebras nostras illuminaret, et semitas suas, quodque placitum et acceptum est in oculis suis, edoceret.

Praeceptum pro illius executione.

§ 2. Cum itaque decretis et constitutionibus apostolicis sancitum sit ad Apostolicos Vicarios spectare ut iis quae ad cultum divinum et bonos mores pertinent intra suorum Vicariatuum fines provideant, ut hac in parte officio nostro faciamus satis, omnibus et singulis Vicariatus nostri missionariis observanda praecipimus quae sequuntur, *donec aliter ab Apostolicâ Sede decretum fuerit*.

I. Exclusis nominibus europaeis, quae nonnisi barbaro quodam modo Sinicis litteris et vocibus exprimi possunt, Deum optimum maximum longo usu recepto nomine *Tien Chu*, caeli dominum, appellandum esse statuimus, itaut duae aliae Sinicae voces *Tien*, caelum, et *Xang Ti*, supremus imperator, prorsus repellantur; multo minus affirmetur, id quod Sinae praefatis nominibus *Tien* et *Xang Ti* intelligunt, Deum esse quem christiani colimus.

De quibusdam tabellis in ecclesiâ appensis.

II. Districte prohibemus ne in ullâ ecclesiâ tabella quaedam, cui hae duae litterae Caelum Colito, *Xing Tien*, inscriptae sunt, appendatur; et, ubicumque appensa fuerit, intra duos menses auferri mandamus, cum aliis eiusdem sensûs tabellis et versibus, in quibus nomina *Tien* et *Xang Ti* Deo affinguntur; ac (1), nostro quidem iudicio, tum omnes illae tabellae, tum ea in primis quae litteras *King Tien* continet, ab idololatriâ excusari non possint. Tametsi vero non ita certa res esset ac nobis videtur, vel ipsa periculi suspicio ne ab Evangelii ministris abominatio desolationis in loco sacro collocetur, nos ab eiusmodi tabellis deterrere debet; maxime cum experientiâ nobis constet, eos Vicariatûs nostri missionarios, quorum in ecclesiis illae tabellae non habentur, nihilo ad Evangelium praedicandum imparatiores esse, nec minorem quam alii laborum suorum fructum percipere.

De cultu Confucio exhibito.

III. Quaesita super capitibus summo pontifici Alexandro VII. proposita, multis in rebus non esse veridica declaramus, ac proinde missionarios responsis ab Apostolicâ Sede recte quidem et sapienter, at iuxta circumstantias in dubiis expressas datis, inniti non posse ad usitatum apud Sinas Confucii et progenitorum cultum permittendum.

Item de sacrificiis.

IV. Missionarii nullatenus, nullâque de causâ, christianis permittant solemnibus quae semel et iterum singulis annis Confucio et progenitoribus offerri solent sacrificiis seu oblationibus praeesse, ministrare, aut interesse; quas oblationes superstitione imbutas esse declaramus.

De tabellis defunctorum in domibus erectis.

V. Missionarios, qui in locis, ubi Evangelio operam navant, tabellarum in defunctorum honorem privatis in domibus erectarum usum abolere studuerunt, magnopere laudamus, atque, ut eo quo coeperunt pede in posterum pergant, adhortamur. Ubi vero hunc usum tollere difficilius erit, ad hoc saltem res temperamentum revocetur, ut, sublatis litteris *Xin Chu, Xin Goei, Ling Goei*, solummodo defuncti nomen tabellae inscribatur, aut ad summum litterae *Goei* superaddatur: ac, ne huiusmodi tabella, quam in praedictâ formâ, donec Apostolica Sedes de re ipsâ iudicaverit, non omnino reprobamus, superstitiose accipiatur, in loco, ubi tabellae privatis in domibus erigi solent, scripta maioribus characteribus de-

(1) Potius legerem *quum* pro *ac*.

claratio apponatur, in qua, et quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in progenitores pietas esse debeat, enuntietur; cuius declarationis formam ad huius mandati calcem tradidimus; neque tamen prohibemus, aliam eiusdem sensus apponi, si modo prius a nobis approbata fuerit.

De nonnullis propositionibus falsis, temerariis et scandalosis.

vi. Cum nonnulla seu verbo seu scripto evulgari animadvertimus, quae incautos in errorem inducunt, et viam ad superstitionem patefaciunt, v. g.:

« Philosophiam, quam Sinae profitentur, si bene intelligatur, nihil habere legi christianae contrarium;

« Nomine *Taii Kie* sapientissimos priscos Deum causam primam rerum omnium definire voluisse;

« Cultum, quem Confucius spiritibus adhibuit, civilem potius quam religiosum fuisse;

« Librum, quem Sinae *Ie King* appellant, summam esse optimae doctrimae physicae et moralis »:

Haec et similia, uti falso, temere et scandalose dicta scriptave, districte inhibemus, ne in toto Vicariatu nostro disseminentur.

De ratione exponendi in scholis libros Sinicos.

vii. Caveant missionarii, ne, qui christiani Sinicos libros in scholis legunt, atheismum et diversas superstitiones, quibus illi libri tam in textu quam in commentariis scatent, in auditorum animos infundant; sed illos missionarii admoneant ut obvios errores refutent, et, errorum occasione, quae de Deo, de mundi creatione et gubernatione christiana religio tradit, discipulos diligenter edoceant; atque eosdem christianos missionarii frequenter commonefaciant, ne, quod facile contingit, suis in scriptionibus aliquid e scholae litterariae principiis legi christianae contrarium admisceant.

Quid de aliis capitibus tenendum.

Sunt et aliae quaestiones, quas hac vice nondum attingimus, quia, quum memoratis capitibus, quae praecipua sunt, et e quibus alia magnâ ex parte dependent, provisum fuerit, facilius erit quid in ceteris tenendum sit praescribere et in usum inducere.

Poena in contravenientes.

Si quis autem missionarius, quod absit, nullâ habitâ huius declarationis et mandati ratione, intra duos menses memoratas tabellas et versus ab ecclesiis suis aut domibus non auferat, aut intra praefatum tempus manum operi non adhibeat, ut quas praescribimus regulas in usum et morem inducat, concessas ei a nobis et a quocumque alio Vicario et Provicario Apostolico facultates per praesentes revocamus, ac pro tempore praefato revocatas esse declaramus.

Missionarii a culpa liberantur, et ad concordiam excitantur.

Neque tamen hac praesenti declaratione et mandato eos culpare intendimus, qui aliter antea censuerunt, aliamque praxim secuti sunt ab eâ, quam in posterum sequendam esse statuimus; mirum enim videri non debet, si in rebus huiusmodi missionarii omnes unius eiusdemque sententiae non fuerint, et eam unusquisque praxim amplexus sit, quae sibi in Domino magis veritati consona videbatur. Nunc vero in hoc omnes studia nostra conferamus, ut idem sapiamus, ut unanimes uno ore exhibeamus istam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta et immaculata; ac Deus pacis et dilectionis erit nobiscum.

Dat. in oppido Changlo provinciae Fokiensis die xxvi. mensis martii MDCXCIII.

Carolus Maigrot
presbyter, Vic. Apost. Fokiensis.

II.

QUAESITA

In causa rituum Sinensium super mandato seu edicto domini Caroli Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis in regno Sinarum, nunc Episcopi Cononensis, ab eminentissimis ac reverendissimis dominis Cardinalibus specialiter a sanctae memoriae Innocentio Papa XII. deputatis, post varias Congregationes ac longum iurium hinc inde deductorum examen, confecta; primum quidem theologis et qualificatoribus ad id selectis proposita, ac deinde in Congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis discussa et resoluta.

Ortus et progressus causae Sinicae usque ad relatum mandatum Vicarii Apostolici.

Controversiis in imperio Sinico subortis inter missionarios apostolicos, iisque ad Sanctam Sedem delatis sub Innocentio X., Alexandro VII. et Clemente IX., num quaedam, quae a Sinis gentilibus peraguntur praesertim erga Confucium antiquum philosophum et progenitores defunctos, permitti possint iis qui ad christianam fidem conversi fuerint, propterea quod alii ex missionariis affirmarent actiones illas superstitiosas vel idololatricas esse, alii e contra civiles tantum et politicas:

Die xii. septembris MDCXLV. quaesita quaedam in sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide proposita, examinata et reso-

luta fuerunt, approbante sanctae memoriae Innocentio X.;

Alia quoque, in sacrâ Congregatione S. Officii pariter discussa et resoluta, die XXIII. martii MDCLVI. sanctae memoriae Alexander VIII. approbavit;

Et deinde die XX. novembris MDCLXIX. sanctae memoriae Clemens IX. utraque vim habere pro diversâ facti et circumstantiarum expositione declaravit.

At vero, cum eiusmodi controversiae missionariorum non adhuc quiescerent, dominus Carolus Maigrot Vicarius Apostolicus Fokiensis, nunc Episcopus Cononensis, in toto suo Vicariatu quaedam observanda praecepit, donec aliter ab Apostolicâ Sede decretum fuerit, edicto promulgato die XXVI. martii MDCXCIII., et in septem articulos distributo.

Porro, petente eodem domino Maigrot sui mandati confirmationem, sanctae memoriae Innocentius XII. rem ad sacram Congregationem S. Officii diligentissime discutiendam remisit, deputatis ad id quatuor theologis qualificatoribus, videlicet patre domino Ioanne Maria Gabriellio abbate generali Reformatorum S. Bernardi, nunc S. R. E. Cardinali, patre Nicolao Serrano priore generali fratrum Eremitarum S. Augustini, patre Philippo a S. Nicolao exgenerali Carmelitarum Discalceatorum, et patre Carolo Francisco Varesio olim commissario generali Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum.

Utque opportuna quaesita proponerentur, et de facti circumstantiis probe constaret, Sanctitas Sua iussit adesse patrem Ioannem Franciscum a Leonissa Ordinis Minorum de Observantiâ Reformatorum Episcopum Berytensem et Vicarium Apostolicum Hu-Quang, qui, post longam plurium annorum in imperio Sinico moram, huc redux advenit, rerum, quae in illis regionibus peraguntur, oculatae fidei testis, Sinorumque rituum apprime instructus.

Quaesita super dicto mandato Vicarii Apostolici.

Igitur solerti curâ et omnibus serio exacteque perpensis, et additâ facti circumstantiarum plena enarratione, infrascripta efformata fuerunt quaesita super unoquoque ex septem articulis edicti domini Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis, videlicet:

Super primo articulo.

De nominibus europaeis Dei.

I. Quaeritur, an excludi debeant nomina europaea ad significandum Deum optimum maximum.

Nomen enim Deus, aliave vocabula europaea, quibus supremum Ens significatur, sinicis characteribus exprimi vix posse, nullamque rei significatae ideam apud Sinas excitare videntur (A).

De duobus vocibus Sinicis.

II. Quaeritur, an ad significandum Deum optimum maximum repellendae sint voces *Tien*, caelum, vel *Xang Ti*, supremus imperator.

Ratio dubitandi est, quod, licet aliqui missionarii Europaei existimaverint et existiment antiquos Sinas praefatis nominibus *Tien* et *Xang Ti* indigitasse Deum vivum et verum; nihilominus missionarii fere omnes asserunt, quod Sinenses litterati, quae est praecipua in Sinae imperium secta, quatenus eiusdem sectae doctrinam exponunt et sequuntur, saltem a quingentis annis, cum in atheismum deciderint, vel omnes, vel, ut aliquibus videtur, fere omnes, nominibus *Tien* et *Xang Ti* nil aliud nisi caelum materiale et visibile, vel ad summum quamdam caeli virtutem eidem caelo insitam, quam rerum omnium principium seu potius comprincipium esse putant, designant. Unde caelo sic sumpto, quemadmodum et terrae, planetis, montibus et fluviis respective sacrificant; et in regiis urbibus Peching et Nanching templa visuntur, in quibus, statis anni temporibus, praesertim in templo Pechinensi, ipsemet imperator caelo solemne sacrificium offert (B).

III. Quaeritur, an Deus optimus maximus sit appellandus nomine *Tien Chu*, caeli dominus.

De aliâ voce Sinica ad Deum significandum.

Ratio est, quia ab omnibus missionariis Sinensibus vocabulum *Tien Chu* ad significandum Deum optimum maximum longo

(A) Videri possunt supplex libellus procuratoris generalis Societ. Iesu, § *Il primo;* Observantiae P. Dez in mandatum Vicarii Maigrot a patribus Societatis Iesu sacrae Congregationi exhibitae, fol. 108, § *Praevaluit*, part. II., obs. I.

(B) SEMEDO, *Relazione della gran monarchia della China*, part. I., cap. XVII., p. 105, qui solummodo testatur sacrificari caelo; MAFFAEUS, *Historiarum Indicarum* p. 100, ait, quod aliqui caelum praecipue omni studio colendum existimant; IOANNES GUELTER, in libro italico *Notizie varie dell' imperio della China*, pag. 88, testatur sacrificari caelo; Memoriale procuratoris generalis Societatis Iesu sacrae Congregationi exhibitum, § *Il primo*. Videantur LUDOVICUS LE COMPTE in libro gallico *Nouveaux memoir* tom. II., pag. 106, et PATER A LEONISSA in suis responsionibus ad quaesita sacrae Congregationis....; et ad quaesita eminentissimi Casanate....; LONGOBARDUS apud NOVARRETTAM, tom. I., pag. 246.

usu receptum est. Et in hoc partes dissentire non videntur (c).

Rursus de praedictis duabus vocibus Sinicis.

IV. Quaeritur, an, attentis praedictis, liceat affirmare Sinas praefatis nominibus *Tien* et *Xang Ti* intelligere Deum quem christiani colunt.

Super secundo articulo.

De tabellis in ecclesiâ appensis.

I. Quaeritur, an permitti possit appendi in ecclesiis christianorum tabellam inscriptam *King Tien,* Caelum Colito.

Ratio dubitandi est, quia praedicta vox *Tien* nunc temporis a Sinensibus litteratis accipitur pro caelo materiali, ut supra dictum est in ratione dubitandi ad tertium quaesitum super primo articulo (D).

Et quatenus Negative,

II. Quaeritur, an saltem permitti possit cum declaratione, et qua.

Super tertio articulo.

Proponetur quaesitum infra, quia pendet a decidendis in sequentibus.

Super quarto articulo.

De oblationibus seu sacrificiis.

I. Quaeritur, an superstitione imbuta sint solemnia quae semel et iterum singulis annis Confucio et progenitoribus offerri solent sacrificia seu oblationes, itaut iis praeesse, ministrare, aut interesse christianis nullatenus nullâque de causâ permitti possit.

De Confucio litteratorum opinio.

Ratio dubitandi est, respectu Confucii, quia secta litteraria, quae primas obtinet in illo imperio, Confucium non solum uti magistrum, verum etiam uti sanctum colere videtur (E).

De voce, qua designatur Confucii excellentia.

Praeterea in quadam oblatione facienda Confucio, quae describitur in libro seu rituali Sinico *Ta Ming Hoey Tien* nonnullae orationes seu offertoria praescripta sunt, in quibus Confucii virtus caelo terraeque aequiparatur, doctrina antiquis modernisque praefertur, imo, ex quo homines esse coeperunt, nemo illum aequasse dicitur, et quod eius spiritus praeteritos *Xing* seu sanctos excellit. Quod autem haec dictio *Xing* sanctitatem potius quam sapientiam, vel sapientiam simul et sanctitatem significet, infertur ex hoc, quod inter illos qui Confucium praecesserunt, et *Xing* superius appellantur, comprehenduntur saltem nonnulli, de quibus expressis verbis in classicis Sinarum libris dicitur quod post mortem in caelum evolarunt, et in caelis potestatem habent favendi hominibus, eosque etiam Sinenses antiquitus ut sanctos venerati sunt, et hactenus celebrant ut tales. Insuper alibi in libris Sinicis haec habentur: *Xing Jin Chy Chy Ye; ju Iao, Xun, Ven Vang, Cheu Kung, Kung chu:* id est, sanctorum virorum summitas; ut, verbi gratiâ, antiquissimi imperatores Ioa et Xun, rex Ven Vang, princeps Cheu Kung, et Kung chu, seu Confucius. Quod vero hoc etiam in loco dictio *Xing* sanctitatem potius quam sapientiam significet, inferri videtur ex eo quod omnes ante Confucium hoc nomine apud Sinas in supremâ sanctorum serie ab antiquis temporibus referantur, et ut tales ab iisdem Sinensibus semper habiti fuerint, ut constat ex libris eorum classicis; licet apud Sinenses atheos praefata dictio *Xing* in allatis textibus perfectissimum et sapientissimum virum, vel summum perfectionis gradum, ad quem homines, caelo seu naturâ favente, pertingere possunt, significare videatur.

De aedibus Confucio dicatis.

Ipse Confucius in singulis civitatibus aedes habet ei dedicatas, quae gymnasia non sunt, nec aulae tantum esse videntur, sed potius capellae, eo quod Sinice vocentur *Miao,* quo vocabulo idolorum templa designantur, et a nonnullis auctoribus aedes praedictae templa seu fana dicantur (F).

In quibus aedibus extat effigies Confucii, vel saltem tabella cum hac inscriptione: *Sedes spiritus sanctissimi vel sapientissimi protomagistri Confucii,* quae verbis sinicis est huiusmodi: *Cni Xing Sien Sû Kunc chu Xin Goey,* ut testatur pater a Leonissa, qui asserit dictionem sinicam *Xing* non significare tantummodo sanctum, sed aliquando etiam sapientem. Alii prae-

(C) Videri possunt iidem auctores: quibus additur PATER A LEONISSA in suis responsionibus ad quaesita sacrae Congregationis particularis....; et ad quaesita eminentissimi Casanate....

(D) Videri possunt auctores allegati lit. B.

(E) Videri possunt SEMEDO, *Relazione della gran monarchia della China,* part. I., cap. X., pag. 63; KIRCHER, *China illustrata,* par. III., cap. I., fol. 132, et pag. 137, col. 1; DE MARIN, *Hist. de fel. succ.,* lib. I., cap. VIII., pag. 104, qui tamen loquitur de Tunchinensibus; RHODES, in *Catechis.,* pag. 113, et in *Relatione historica de Tunchino,* p. 60; BARTOLI, *La Cina,* lib. I., pag. 74, vers. 12.

(F) Videri possunt FRIGANTIUS et RICCIUS, *De christian. expeditione,* lib. I., p. 118; SEMEDO, part. I., cap. X., p. 63; KIRCHER, *China illustrata,* part. III., cap. I., p. 132, col. 1.

fatam inscriptionem sic latine vertunt: *Sanctissimi et superexcellentissimi.*

De solemnibus oblationibus Confucio peragi solitis.

Mandarini seu gubernatores, ac magistratus urbium, unâ cum litteratorum praefectis, necnon graduatis seu doctoribus litteratis, bis in anno, nempe circa aequinoctium veris et autumni, ibidem solemnem oblationem seu sacrificium peragunt, in quo a ministro et assistentibus cum variis genuflexionibus et inclinationibus, dirigente caeremoniarum magistro, ante tabellam Confucii supra mensam seu altare expositam, candelis accensis, cum odorum suffitu, immolati seu immolandi animalis sanguis ac pili offeruntur, ac deinde terrae infodiuntur, itemque panni serici, qui postea extra templum seu aedem in proximo atrio, accenso igne, comburuntur. Item vinum libatur, occisorum animalium, suis videlicet, caprae, seu cervi, et similium, carnes immolantur, quae inter assistentes et alios, peractâ oblatione seu sacrificio, distribuuntur, et ab omnibus magni fiunt et comeduntur. Ante omnia autem iam a principio Confucii spiritus invitatur, ut adsit, immolatisque fruatur, veniensque ad oblationem certis caeremoniis recipitur, eique, quidquid in sacrificio geritur, tamquam praesenti in tabellâ significatur. Ministris nonnullorum ante sacrificium dierum ieiunia et a thoro coniugali abstinentia publico ritu praescripta sunt. Hostias immolandas, fuso in earum auriculis probandi causâ liquore quodam, seu vino calido, seligunt. Oblatio incipit post primum et secundum galli cantum, et summo mane terminatur. Spiritum Confucii, finita oblatione, abeuntem, grato animo, ac certis verborum formulis, prosequuntur, et adstantibus omnibus, antequam dimittantur, ob sacrificium bene peractum felicitates plurimae promittuntur, prout in rituali *Ta Ming Hoey Tien*, tomo seu tractatu XCI., in descriptione oblationis faciendae Confucio, apud patrem a Leonissa (G).

Item de oblationibus minus solemnibus, ac ritibus.

Praeter praedictas binas solemnes oblationes, aliae minus solemnes eodem in loco, seu quidam alii ritus et caeremoniae in eiusdem Confucii honorem statutis temporibus peraguntur, tum a magistratibus seu gubernatoribus urbium, tum a reliquis litteratis, de quibus etsi speciatim a Vicario Apostolico Maigrot mentio facta non fuerit, nihilominus, quia in quaesitis patris Martinii Societatis Iesu aliqua saltem exposita fuerunt, hîc aliud quaesitum ad rem clarius elucidandam instituitur:

II. Igitur quaeritur, an caeremoniae, ritus et oblationes minus solemnes, quae fiunt in honorem eiusdem Confucii, a christianis licite exerceri et peragi possint in loco praefato.

Ratio dubitandi, praeter dicta in praecedenti ratione ad primum, est, quia bis singulis mensibus in novilunio scilicet et plenilunio cuiuscumque urbis mandarinus seu primarius magistratus, aliique officiales et litterati, summo mane aedem seu templum Confucii magnâ cum pompâ adeunt, et ante eius effigiem seu tabellam, accensis cereis, cum thuris atque odorum suffitu repetitis vicibus genuflectunt, toto corpore prostrati, ac terram fronte percutientes. Item quandoque praesertim in novilunio ab aliquibus vinum et olera quaedam ac fructus offerri solent, mandarini seu gubernatores urbium ac magistratus, antequam dignitatem adeant, seu statim post aditam dignitatem seu dignitatis possessionem, ad templum seu aedem Confucii pergunt, ibique ante eius effigiem seu tabellam eadem peragunt quae fieri ab eis in novilunio ac plenilunio modo dictum est; non tamen vinum, olera, nec fructus offerunt (H).

Praeterea litterati, postquam in amplissimo gymnasio seu palatio, ubi per aliquos dies probantur, gradus litterarios adepti sunt, statim ad aedem seu templum Confucii se conferunt, ibique coram praedictâ tabellâ cereis accensis cum thuris atque odorum suffitu iteratis vicibus genuflectunt toto corpore ad terram prostrati, prout in aliis proxime relatis ritibus seu oblationibus minus solemnibus. Hae vero in honorem Confucii oblationes, tum solemniores, tum minus solemnes, seu ritus praefati, ita Sinensium imperatorum legibus publicoque regni usu stabiliti sunt, ut non liceat eos omittere, saltem absque gravi periculo respective amissionis mandarinatus, graduum aut dignitatum (I).

De cultu erga progenitores defunctos ac aedibus eis dedicatis.

Respectu vero progenitorum, ratio dubitandi circa solemnes oblationes, quae in primo quaesito proponuntur, est, quia Si-

(G) Videri possunt respective BARTOLI, *La Cina*, part. III., lib. I., pag. 71; KIRCHER, in *China illustrata*, part. III., cap. X., pag. 132; LE TELLIER, tom. II., pag. 274, § *Vous direz;* LOPEZ cap. V. *De Confucio*, num. LX., circa med. pag. 64.

(H) Videri possunt omnes qui allegati sunt litera G.

(I) Videri possunt LOPEZ, in prol. dicti tractatus § *Dubia quoque* circa finem; PATER A LEONISSA in suis *Respons. ad quaesita.*

nae defunctos parentes seu progenitores, saltem usque ad quartum gradum, publico ac singulari cultu prosequuntur, aedes eis dedicant, quae potius capellae et templa, quam simplices aulae videntur esse, tum ex his, quae in eis geruntur, tum ex nomine *Miao*, quo imperialium, aliorumque imperii procerum, progenitorum defunctorum aedes ex antiquissimâ institutione vocantur; quo pariter nomine etiam idolorum templa communiter designantur, ut supra dictum est, et animalium quoque sanguine ex antiquissimo ritu in rituali *Li Ki* praescripto, uti etiam oblationum seu sacrificiorum vasa, quae nulli usui extra templa praedicta applicari licet, dedicari solent. Vestes vero, quibus proceres ac praesertim imperatores uti solebant aut solent in praefatis oblationibus, speciali ritu in eodem *Li Ki* praescripto fieri debent, ac consumptae obsoletaeque cremari ne profanis usibus inserviant.

De tabellis eorumdem defunctorum.

Ceterorum autem progenitorum defunctorum aedes, licet non *Miao*, sed *Chu Tang* appellentur, in re id ipsum significare, et ad eosdem cultus erga defunctorum praefatorum spiritus exhibendo destinari videntur, quia tam in aedibus *Chung Miao* dictis, quam in *Chu Tang* nuncupatis, imagines seu statuae primariorum progenitorum reperiuntur, aut saltem et communiter ubique tabellae progenitorum asservantur supra mensam vel altare, cum hac inscriptione — *Sedes Spiritus N. defuncti progenitoris.*

De oblationibus praesertim solemnibus defunctis praedictis oblatis.

Quae quidem tabellae, saltem his temporibus, ideo fieri videntur, ut non tantummodo loco spirituum, seu defunctorum adhibeantur, sed etiam ut iidem spiritus seu defunctorum animae quodammodo in eis resideant, quia, eo tempore quo defuncti progenitores sepeliuntur, quo etiam earumdem tabellarum incipit usus, in ipsomet sepulturae loco, ut ex rituali sinico *Kia Li* nuncupato constat, ad dictas tabellas, flexis genibus et expressis verbis, spiritus seu animae praefatae invitantur ut in illis resideant et domum revertantur; quo facto, eaedem tabellae solemniter domum deferuntur, ac statuto tempore in aedibus praefatis etiam solemniter collocantur. Dicitur etiam in dicto rituali, quod, quando in praefatis tabellis aliquae litterae mutandae vel addendae sunt (quod quidem fit, quando in aedes praefatas novae tabellae introducuntur, et antiquae seu priores ad gradum superiorem transeunt, iuxta ordinem consanguinitatis, vel quando ab imperatore nova dignitas seu dignitatis titulus aliquibus progenitoribus defunctis iuxta regnî morem confertur qui tabellis inscribendus est), aquâ madefiant ut abradi possint, et abrasis lotisque, lotionis aqua in aedis seu templi parietem proiiciatur: quae caeremonia summam Sinensium reverentiam erga easdem tabellas indicare videtur. Item in eodem rituali dicitur, quod, transacto quarto consanguinitatis gradu, quando scilicet in aedibus seu templis praefatis dictas tabellas asservari amplius non licet, huiusmodi tabellae terrae infodi debent respective, vel in propriis sepulturis eorumdem progenitorum, vel in parte anteriori aedis, seu prope ianuam. Antiquitus autem ab aedibus *Chung Miao* nuncupatis ad alias aedes transferri solebant, ibique asservari et recondi, et in rituali *Kia Ly* dicitur quod imperator et imperii proceres id faciunt. Ad easdem tabellas, vel ad loca et sedilia, seu mensas, in quibus dictae tabellae, e suis tabernaculis cum speciali reverentiâ extractae, expositae iam sunt, si adhiberi debeant, eorumdem progenitorum spiritus seu animae, praesertim solemnium oblationum tempore, invitantur ut descendant et in eis maneant; quod quidem fit vel expressis verbis, ut constat ex formulâ descriptâ in rituali *Kia Ly,* ubi de oblationibus faciendis primis familiarum progenitoribus *Xy çhu* et *Sien çhu* nuncupatis, qui iam quartum gradum ascendentiae praecesserunt, fit sermo, quae formula in medio aedis seu templi, ante vas ibidem cum carbonibus accensis positum, flexis genibus a primario oblationis ministro recitari debet, eâque recitatâ, super eisdem carbonibus, cum speciali caeremoniâ, animalis seu victimae pinguedo ponitur seu effunditur, ut vapor ascendat, vel saltem et semper cum caeremoniâ effundendi vinum super palearum manipulis, quae *Kiang Xin,* idest descensus spirituum, in eodem rituali appellatur, quaeque pariter cum solemnitate et reverentiâ magnâ ordinarie fieri debet in medio templi seu aedis ante mensam seu altare, ubi odores cremantur, quae *Hiang Cho,* idest odorum mensa vocatur, ibique postea fit alia similis caeremonia effundendi vinum, quae vocatur *Chy,* idest oblatio, quae loco spirituum fit (fierique dicitur antiquis vini institutoribus seu inventoribus), itemque progenitores seu progenitorum spiritus invitantur ut oblatis fruantur seu frui velint, ut in eodem rituali prae-

scribitur. De eodem descensu seu adventu spirituum etiam primogenitorum defunctorum, et de fruitione seu acceptatione oblatorum pluries fit mentio in libris antiquis et aliis ritualibus sinicis; unde multi Sinenses eosdem progenitorum spiritus caeremoniis supradictis invitatos venire et frui putant aut credunt. Non pauci tamen ad imaginariam vel dubiam potius quam realem spirituum praesentiam, adventum et fruitionem haec omnia, ut etiam ex libris et ritualibus sinicis colligitur, reducere videntur. Confucius vero in *Iun Yu* ait: *çhi iu çhay: çhi Xin iu* Xin *çhay,* idest offerendum seu sacrificandum est, veluti adessent, scilicet illis quibus offertur, offerendum seu sacrificandum est spiritibus, veluti spiritus adessent, seu existerent. Statutis autem anni temporibus in eisdem locis seu templis praefatorum progenitorum defunctorum spiritibus solemnes oblationes seu sacrificia offeruntur, ad quae tantummodo cuiusque familiae viri ac mulieres respective conveniunt, ac earumdem familiarum primogeniti ex lege debent primaria officia in dictis oblationibus exercere, qui etiam propriis manibus animalia offerenda occidunt in locis, ac cum caeremoniis in ritualibus pro personarum qualitate respective praescriptis, omniaque peraguntur eodem fere ritu, mutatis mutandis, qui supra in oblationibus solemnibus Confucio exhibitis (1) descriptus est. In templis seu aedibus *çhu Tang* nuncupatis, iuxta rituale *Kia Ly* serica non offeruntur, nec in eodem fit mentio illius papyraceae monetae, quae nunc temporis in omnibus oblationibus, quae progenitoribus defunctis a gentilibus fieri solent, crematur, eo quod haec caeremonia non sit propria sectae litterariae, neque in fine oblationis illa verborum formula praescribitur, qua in superioribus oblationibus abeuntes spiritus prosequuntur, sed tantum ad id quaedam inclinationes et prostrationes faciendae referuntur; quibus peractis, tabellae, si adhibitae et expositae fuerint, in locum suum reportantur et in tabernaculis reponuntur, necnon progenitorum nomine, seu de mandato eorumdem, ut in rituali *Kia Ly* dicitur, a magistro caeremoniarum ministris primariis, et implicite adstantibus omnibus, plurimae felicitates promittuntur; et antequam fiant nonnullae ex praedictis solemnibus oblationibus, sortibus cum speciali caeremoniâ ante ianuam aedis seu templi *çhu Tang* eligitur dies, et de felici electione monentur pariter speciali ritu in eâdem aede seu templo progenitores defuncti, seu eorumdem spiritus, ut videre est in dicto rituali; in quo etiam dicitur, quod omnes oblationes *çhi* consistunt tantummodo, seu principaliter, in totali sodalitate et perfectione amoris et reverentiae; et ideo pauperes iuxta paupertatem suam, infirmi iuxta vires suas, in illis faciendis se gerant; qui vero divitiis et viribus abundant, iuxta praescriptos ritus eas peragant.

De precibus defunctis afferri solitis.

Preces vero licet, ex antiquissimo ritu in libro seu rituali *Ly Ky,* tantummodo certis temporibus seu pro publicis imperii necessitatibus in templis progenitorum defunctorum *çhung Miao* nuncupatis peragendae praescribantur, et non pro privatis necessitatibus seu indigentiis, vel ad privatas felicitates postulandas (cum e contra hoc ipsum ex eodem antiquissimo ritu in oblationibus etiam solemnibus ordinarie offerendis interdictum videatur); nihilominus etiam ad privatas felicitates ab eisdem progenitoribus defuncti petendas, deprecationes, praesertim nunc temporis, a Sinensibus quandoque fieri referuntur et probantur ex alio rituali sinico in quatuor tomos diviso et *Kia Ly* pariter dicto, quo gentiles passim utuntur in Sinis, licet huiusmodi deprecationes non fuerint auctoritate publicâ, sed potius tacitâ permissione in eodem rituali et alibi a privatis doctoribus insertae. Communiter autem eo magis felices ac fortunatos se fore putant aut sperant, quo maiori pietate ac diligentiâ solitis officiis erga praefatos defunctos functi fuerint. Ex classico rituali etiam habetur, quod, in alendis animalibus ad usum sacrificiorum tum *Xang Ti,* tum spiritibus omnibus, etiam progenitorum, in temelis (2) et locis eisdem respective dicatis offerendorum destinatis, imperii urbium praefectis de mandato regio iniunctum sit ut omnem curam adhibeant, populisque id ipsum suadeant, eo quod ad felicitates pro eisdem populis petendas in dictis oblationibus offerri debeant. Item ex classicis ritualibus plura referuntur, unde deduci videtur Sinenses non tantum a *Xang Ti,* aliisque spiritibus, montium scilicet, fluminum, etc.; verum etiam a spiritibus defunctorum felicitates plurimas concedi ob

(1) Edit. Main. legit *exhibitus.*

(2) Vel *templis,* vel *themeliis,* graece θεμέλιοις.

praefatas oblationes bene peractas docuisse, credidisse ab antiquo tempore, aut saltem finxisse.

De defunctis atheorum doctrina.

Qui vero atheisticam doctrinam profitentur et sequuntur, licet eorumdem spirituum existentiam negent, tamen quadam motione sympathicâ per dispositionem ministris ad sacrificandum vel offerendum praescriptam caeli aërem tenuissimum, in quem defunctorum spiritus resolvi asserunt, concitari ac moveri et quodammodo attrahi ad oblationem insinuant, unde beneficos influxus erga offerentes adstantesque promanare docent. Quod infertur etiam ex iis quae habentur in extractis ex libro cui titulus *Confucius Sinarum philosophus,* et per patres Societatis iterum impressis, ac in parvo libello sacrae Congregationi oblatis. Tandem praefati athei, prout antiqui omnes, sub nomine *Quey Xin* spiritus omnes etiam defunctorum, dum generice eos designare vel nominare volunt, comprehendunt, et de praefatis *Quey Xin* generice multa praeclara referunt, sicque populis erga illos timorem pariter et honorem suadent (L).

De oblationibus minus solemnibus, ac ritibus.

Praeter praedictas solemnes oblationes, quae fiunt in honorem defunctorum progenitorum, aliae etiam minus solemnes oblationes, necnon alii ritus ac caeremoniae eisdem in aedibus seu templis diversis anni temporibus, praesertim primâ die anni sinici, in solstitiis ac singulis mensibus, in novilunio scilicet et plenilunio, in honorem eorumdem defunctorum fieri solent. De quibus licet Vicarius Apostolicus Maigrot specificam mentionem non fecerit, expedire videtur, ob rationem supra allatam ubi de oblationibus minus solemnibus Confucio fieri solitis agitur, ut etiam speciale quaesitum hìc instituatur, unde:

III. Quaeritur, an christianis liceat in praefatis aedibus seu templis supradictas oblationes minus solemnes offerre, in eis ministrare, seu quomodolibet inservire, necnon alios ritus et caeremonias peragere.

Ratio dubitandi, praeter ea quae dicta sunt in superiori ratione ad quaesitum respectu praefatorum defunctorum, est, quia supradictis temporibus uniuscuiusque familiae personae utriusque sexus, ad quas iuxta praescriptum in ritualibus sinicis, ac praecipue in rituali *Kia Ly,* ex officio spectat, summo mane debitis ac speciosis vestibus indutae, aedes progenitoribus dicatas, ac pridie pro more ornatas, respective adeunt, in eis coram tabellis eorumdem progenitorum post ablutionem manuum cum variis inclinationibus et genuflexionibus e tabernaculis per ministros designatos extractis et super mensam seu altare collocatis, cereis accensis, odores ac thura cremantur, vinum libatur, et super palearum manipulum effunditur (quae caeremonia indicat descensum spirituum), fructus varii, ac potio *Cha* dicta offertur seu apponitur coram qualibet ex eisdem tabellis, ac tandem, cum aliis genuflexionibus et inclinationibus, spiritibus abeuntibus quodammodo vale dicitur.

In plenilunio vero, iuxta ea quae habentur in rituali *Kia Ly,* caeremonia extrahendi tabellas e tabernaculis non fit, vinum non apponitur, sed fructus et potio *Cha,* cetera ut in novilunio peraguntur.

Insuper diebus quasi singulis et in certis casibus coram tabellis praefatis, ab his ad quos spectat, inclinationes et prostrationes variae fiunt, odoresque quandoque cremantur, cereis accensis.

De quibusdam aliis oblationibus, ac ritibus.

Tandem, qui sunt tenuioris fortunae ut non habeant aedes seu templa progenitoribus defunctis dicata, in domibus privatis coram tabellis eorumdem in supradictis anni temporibus respective accensis candelis cum thuris seu odorum suffitu offerunt seu apponunt carnes, vinum, potionem *Cha,* fructus et alia huiusmodi, genuflexionibus, seu inclinationibus etiam adhibitis, minori tamen cum solemnitate. Sinae enim domi communiter habent locum aliquem, tamquam lararium, ubi dictas tabellas cum solitâ inscriptione asservant, easque singulis diebus saepe salutant, ac certis temporibus, uti dictum est, coram eisdem ritus ac caeremonias praefatas peragunt.

Item Sinenses fere omnes sepulchra eorumdem progenitorum, quae in montibus seu locis praealtis extra moenia sunt, semel in anno adeunt, ibi oblationem faciunt, apponendo scilicet carnes, vinum, fructus, potionem *Cha,* et alia huiusmodi, cum solitis genuflexionibus et inclinationibus: aliquando autem solemnius haec

(L) MAFFEUS, *Hist. Indic.* p. 100; SEMED, part. I., cap. CXVIII., pag. 101, ubi tamen negat esse proprie sacrificia; ALEXAND. DE RHODES, lib. I., cap. XXVII., pag. 88 et 89, qui loquitur de Tunchino; DE MARIN, lib. I., cap. XIV., fol. 155, qui pariter loquitur de Tunchino.

omnia peragunt iuxta ritus ac vires, adhibitâ etiam caeremoniâ effundendi vinum, quae, ut supra, *Kiang Xin* vocatur; herbas etiam et gramina circa sepulturas nata eradicant, purgant, plorant; mox, finitis lacrymis, oblatis vescuntur.

Alias insuper oblationes tum solemnes tum minus solemnes Sinenses facere solent mortuis progenitoribus, praesertim a die obitus usquequo sepulturae tradantur, quae, exceptâ circumstantiâ templi seu aedis, necnon vestium speciosarum, quia lugubribus vestimentis eo tempore utuntur, in ceteris cum supradictis respective concordant. Et ideo:

IV. Quaeritur, an christianis liceat praefatas oblationes, ritus ac caeremonias coram supradictis progenitorum tabellis in privatis domibus, vel etiam in eorumdem progenitorum sepulchris, aut antequam defuncti praedicti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetos, unâ cum gentilibus vel seorsim peragere, eisque ministrare aut interesse.

V. Quaeritur, an christianis liceat praefatas omnes oblationes, tum solemniores, tum minus solemnes, necnon alios ritus ac caeremonias, tam in aedibus seu templis defunctorum, quam domi et in sepulchris, prout supra relatae sunt, peragere, aut eis simul cum gentilibus interesse, vel in eis ministrare, saltem praemissâ publicâ vel secretâ potestatione, eos non religioso, sed civili tantum ac publico cultu, erga defunctos progenitores haec omnia praestare, nec ab eis quidquam petere aut sperare.

VI. Quaeritur, an liceat seu permitti possit christianis easdem omnes oblationes respective in locis supradictis, vel saltem domi ac defunctorum sepulchris, seorsim vel etiam cum gentilibus offerre, aliosque ritus ac caeremonias peragere, sublatis omnino superstitiosis vel superstitionis speciem praeseferentibus, hoc est ea tantummodo offerendo, quae, iuxta regni morem, vivis offerri solent, et cum caeremoniis ac ritibus erga vivos fieri vel adhiberi solitis: et an hoc saltem liceat, praemissa seu adhibitâ supradictâ protestatione.

Ratio est, quia, nisi haec saltem Sinensibus christianis permittantur, valde timendum est, ne, qui christiani iam sunt, christianam religionem penitus abiiciant, et qui nondum illam suscepere, in posterum nullatenus amplectentur; imo in christianos tamquam in patriorum rituum erga defunctos progenitores desertores ac destructores insurgant, eosque ac missionarios omnes minis ac persecutionibus exagitent, et a regno penitus excludant.

Ita, quoad factum pertinet, testatur pater Ioannes Franciscus de Nicolais a Leonissa, Vicarius Apostolicus Hu Quang, Episcopus Berytensis, apud quem sunt ritualia aut textus allegati, eaque exhibuit et interpretatus est.

Super quinto articulo.

I. Quaeritur, an christianis permitti possit dictas tabellas progenitorum in privatis domibus retinere cum inscriptione *Xin Chu, Xin Goei Ling Goei:* idest Thronus seu sedes spiritus, seu animae N. defuncti. — De tabellarum inscriptione.

Et, quatenus negative,

II. Quaeritur, an saltem, abrasâ eâ inscriptione, solummodo defuncti nomine inscripto, aut ad summum superadditâ litterâ *Goei*, sedes, seu thronus.

Et, quatenus negative,

III. Quaeritur, an saltem cum declaratione qua declaretur quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in progenitores pietas esse debeat.

Super tertio articulo antea omisso.

Hic quaeritur quid decernendum sit circa tertium articulum supra omissum tenoris sequentis: — De cultu Confucii.

« Quaesita super capitibus inter huiusce missionis operarios controversis, summo pontifici Alexandro VII. proposita, multis in rebus non esse veridica declaramus; ac proinde missionarios responsis ab Apostolicâ Sede recte quidem et sapienter ac iuxta circumstantias in dubiis expressas datis inniti non posse ad usitatum apud Sinas Confucii et progenitorum cultum permittendum ».

Super sexto articulo.

Quaeritur quid decernendum sit super sexto articulo praefati edicti domini Maigrot, tenoris sequentis: — De quibusdam propositionibus.

« Cum nonnulla seu verbo seu scripto evulgari animadvertimus, quae incautos in errorem inducunt et viam ad superstitionem patefaciunt, verbi gratiâ: — Philosophiam, quam Sinae profitentur, si bene

intelligatur, nihil habere legi christianae contrarium; — Nomine *Tay Kie* sapientissimos priscos Deum causam primam rerum omnium definire voluisse; — Cultum, quem Confucius spiritibus adhibuit, civilem potius quam religiosum fuisse; — Librum, quem Sinae *Je Xing* appellant, summam esse optimae doctrinae physicae et moralis: haec et similia, uti falso, temere et scandalose dicta, scriptave, districte inhibemus, ne in toto vicariatu nostro disseminentur ».

Super septimo articulo.

De expositione librorum in scholis.

Quaeritur, an sit approbandum quod dominus Maigrot disponit in septimo articulo tenoris sequentis:

« Caveant missionarii, ne, qui christiani sinicos libros in scholis legant, atheismum et diversas superstitiones, quibus illi libri tam in textu quam in commentariis scatent, in auditorum animos infundant; sed illos missionarii admoneant, ut obvios errores refutent, et, errorum occasione, quae de Deo, de mundi creatione et gubernatione, christiana religio tradit, discipulos diligenter edoceant; atque eosdem christianos missionarii frequenter commonefaciant, ne, quod facile contingit, suis inscriptionibus aliquid e scholae litterariae principiis (1) legi christianae (2) contrarium admisceant ».

III.

RESPONSA

Quae ad quaesita superius relata, praevio diuturno, maturo ac diligentissimo examine, de mandato sanctae memoriae Innocentii XII. prius inchoato, ac deinde iussu sanctissimi domini nostri domini Clementis PP. XI. per plures annos continuato, a sacra Congregatione eminentissimorum ac reverendissimorum dominorum S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, auditis partibus, necnon theologorum et qualificatorum ad id deputatorum votis, data fuerunt ac postmodum ab eodem sanctissimo domino nostro approbata et confirmata.

Super primo articulo.

De Dei nominibus.

Ad primum quaesitum sacra Congregatio censuit non esse adhibenda nomina europaea ad significandum Deum Optimum Maximum: inutilis siquidem esset eorum usus, posito quod illa sinicis characteribus exprimi vix possint, nec ullam apud Sinas rei significatae ideam excitare valeant.

Ad secundum respondit affirmative. Si enim illis vocibus apud praecipuam Sinensium sectam, quae litteratorum nuncupatur, nonnisi caeli virtus eidem caelo insita designatur, caelum corporeum et visibile, vel quaedam quaecumque alia tandem eisdem vocibus significatio attribui valeat, abstinere ab eis prorsus debent missionarii, ne ansam praebeant illis gentibus existimandi nihil aliud esse Deum, quem christiani colunt, quam caelum corporeum, aut eius virtutem.

Ad tertium similiter respondit affirmative; praesertim cum nulla hac in re adsit inter partes controversia.

Ad quartum sufficienter fuisse provisum in responsione ad secundum quaesitum.

Super secundo articulo.

De tabellis in ecclesià.

Ad primum. Attentis iis, quae dicta sunt in responsione ad secundum quaesitum primi articuli, sacra Congregatio respondit permittendum non esse in ecclesiis christianorum appendi tabellam de qua agitur, nec iam appensam retineri. Etsi enim nefas omnino sit suspicari quod aliqui ministri evangelici, tabellam huiusmodi in ecclesiis christianorum permittentes, alio animo id faciant, quam, per inscriptionem in eà appositam, non caeli (3), adeoque veri Dei cultum explicandi: abstinendum tamen omnino est ab illâ praxi, quam, iuxta ea quae habentur apud S. Leonem *serm.* VII. *De Nativitate Domini,* cum quis in nostris invenerit, qui, erroribus relictis, christianam fidem amplexus est, eam secum partem opinionis vetustae tamquam probabilem retinere posset, quam fidelibus et infidelibus viderit esse communem.

Ad secundum. Praesuppositâ inscriptione, de qua agitur, respondit negative. Quod si loco inscriptionis *Caelum colito,* proponeretur alia *Dominum caeli colito,* esset haec subrogatio novae tabellae, non declaratio antiquae.

Super tertio articulo.

Remissâ ad alium locum quaestione, remittitur et ad illum responsio.

(1) Edit. Main. legit *principii.*
(2) Vocem *christianae* nos addimus.
(3) Heic videtur unum comma excidisse, nempe, *sed caeli Creatoris, adeoque,* etc.

Super quarto articulo.

De oblationibus seu sacrificiis.

Ad sex quaesita huius articuli sacra Congregatio respondit: Christianis nullatenus nullâque de causâ esse permittendum praeesse, ministrare aut interesse solemnibus sacrificiis seu oblationibus quae in utroque aequinoctio cuiusque anni Confucio et progenitoribus defunctis fieri solent, tamquam superstitione imbutis.

Similiter nec esse permittendum in aedibus Confucii, quae eo appellari dicuntur vocabulo quo apud Sinas idolorum templum designari dicitur, exerceri ac peragi a christianis caeremonias, ritus et oblationes, quae in honorem eiusdem Confucii fieri dicuntur, tum singulis mensibus in novilunio et plenilunio a mandarinis seu primariis magistratibus, aliisque officialibus et litteratis, tum ab iisdem mandarinis seu gubernatoribus, ac magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post eiusdem possessionem adeptam, tum denique a litteratis, qui, postquam ad gradus sunt admissi, e vestigio ad templum seu aedem Confucii se conferunt.

Item non esse permittendum christianis in templis seu aedibus progenitoribus dicatis oblationes minus solemnes eisdem facere, necnon illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios ritus et caeremonias peragere.

Demum nec esse permittendum christianis praefatas oblationes, ritus ac caerimonias, prout in quaesitis relatae sunt, coram progenitorum tabellis, in privatis domibus, nec in eorumdem progenitorum sepulchris, aut antequam defuncti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetas, unâ cum gentilibus vel seorsim peragere, eisque ministrare aut interesse; imo praedicta omnia, tamquam a superstitione inseparabilia, iuxta ea quae in quaesitis proposita sunt, ne quidem esse permittenda christianis praemissâ publicâ vel secretâ protestatione se non religioso sed civili ac politico tantum cultu erga defunctos illa praestare, nec ab eis quidquam petere aut sperare.

Declarationes.

Ceterum per responsa huiusmodi non censendam esse damnatam praesentiam illam seu assistentiam mere materialem, quam cum gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque praestari contingat a christianis, cum aliter odia et inimicitiae vitari non possunt; factâ tamen fidei protestatione, et cessante periculo subversionis.

Similiter nec per eadem responsa vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint iuxta earum gentium mores, quae vere superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem praeseferant, sed intra limites civilium ac politicorum rituum contineantur. Porro quaenam haec sint, et quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum domini Patriarchae Antiocheni commissarii et visitatoris generalis in imperio Sinarum, tum Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum illarum partium iudicio relinquendum esse; qui tamen interea, omni quo poterunt studio ac diligentiâ, curare debebunt, ut, gentium caeremoniis penitus sublatis, illi sensim a christianis et pro christianis hac in re usu recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pro defunctis pie praescripsit.

Super quinto articulo.

De tabellis defunctorum.

Ad tria quaesita huius articuli sacra Congregatio respondit: Christianis non posse permitti tabellas progenitorum iuxta Sinensium morem in privatis domibus retinere cum inscriptione qua thronus seu sedes spiritus vel animae N. defuncti, adeoque qua spiritum seu animam illius defuncti ibidem aliquando sisti vel residere significetur; imo nec cum aliâ qua sedes seu thronus, adeoque idem ac priori, licet magis contractâ, inscriptione designari videatur.

Declaratio.

Quo vero ad tabellas solo defuncti nomine inscriptas, tolerari posse illarum usum, secluso scandalo, hoc est, dummodo, qui christiani non sunt, arbitrari non possint tabellas huiusmodi a christianis retineri eâ mente qua ipsi illas retinent, et adiectâ insuper declaratione ad latus ipsarum tabellarum apponendâ, qua et quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in progenitores pietas esse debeat, enuncietur.

Super tertio articulo.

De cultu Confucii.

Ad quaesitum tertii articuli huc remissum, sacra Congregatio satius duxit nihil respondere; ne aliàs Apostolica Sedes ab eo, quem in eiusmodi controversiis Sinicis hactenus tenuit, antiquo more recedere

cogatur; quo nimirum ad ea, quae sibi pro tempore tametsi diversimode exposita fuerunt, responsa quidem veritatis semper dare, nunquam vero super expositorum huiusmodi veritate seu falsitate pronunciare consuevit.

Super sexto articulo.

De quibusdam propositionibus.

Nihil certi firmari posse quoad propositiones enunciatas in hoc sexto articulo, nisi praehabitis plenioribus et necessariis rerum in eis contentarum notitiis. Interea tamen committendum esse praefato domino Patriarchae Antiocheno, ut, auditis Episcopis et Vicariis Apostolicis, necnon peritioribus missionariis illarum partium, hac in re id statuat atque decernat, quod, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, catholicae religionis indemnitati atque animarum saluti magis expedire censuerit.

Super septimo articulo.

De librorum expositione.

Praesupposito, quod Sinici libri atheismum et diversas superstitiones contineant, prout in mandato domini Episcopi Cononensis dicitur, utile non modo ac salutare, sed et omnino necessarium fuisse monitum de quo agitur in septimo articulo, adeoque illud esse approbandum.

Monitum ad executores.

Laudandam demum esse declarationem in calcem eiusdem mandati adiectam, qua dicitur culpandos non esse illos missionarios, qui aliam praxim ab eâ, quae in ipso mandato praescribitur, sequi hactenus duxerunt; cum mirum videri non debeat, quod in eiusmodi materiâ per tot annos discussâ, et in qua, iuxta diversas Apostolicae Sedis expositas circumstantias, diversa itidem antehac emanarunt eiusdem Sedis responsa, concordes omnes non fuerint in eâdem sententiâ. Ita proinde hac in re agendum fore tum a praefato domino Patriarchâ Antiocheno, tum ab aliis, quibus superius responsorum executio iniungetur, ut omnis quidem ethnicae superstitionis species eiusque afflatus, iuxta Tertulliani monitum, etiam de longinquo devitetur; insimul tamen operariorum evangelicorum in vineâ Domini strenue ac sedulo laborantium, qui, priusquam supra relata dubia ex solitâ huius S. Sedis providentiâ ac rectitudine dirimerentur, aliter senserunt, honori ac famae consulatur, nec tamquam idololatriae fautores traducantur; praesertim quia pleraque ex illis, quae christianis permittenda non esse, sicut praemittitur, responsum fuit, ipsi quoque se nunquam reverâ permisisse declararunt; nec dubitandum sit, illos, finitâ iam causâ, praefatae S. Sedis mandatis, eâ qua decet humilitate et obedientiâ, esse obsecuturos.

IV.

DECRETUM SS. D. N. CLEMENTIS XI.

Quo confirmantur relata responsa, post diligens examen editum.

Fer. v., die xx. novembris MDCCIV.

In Congregatione generali Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in palatio Apostolico Quirinali coram sanctissimo domino nostro domino Clemente divinâ providentiâ Papa XI., ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis:

Sanctitas Sua, postquam in pluribus Congregationibus coram se habitis ab ipso pontificatus sui primordio super praemissis quaesitis seu dubiis theologorum et qualificatorum ad id a sanctae memoriae Innocentio XII. deputatorum sententias exceperit; postquam itidem pluries de iis egerat cum dominis Episcopis Berytensi et Rosaliensi, Vicariis Apostolicis in regno Sinarum, Romae nunc commorantibus, ac postquam demum, quicquid in eiusmodi controversiis patres Franciscus Noël et Gaspar Castner Societatis Iesu procuratores et missionarii apostolici eiusdem regni deducere potuerunt seu voluerunt, audiverat: responsa supradicta, quae in aliis praecedentibus Congregationibus similiter coram Sanctitate Suâ habitis diu multumque discussa ac mature examinata fuerant, confirmavit et approbavit, illaque domino Carolo Thomae de Tournon Patriarchae Antiocheno commissario et visitatori Apostolico in praefato Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis transmitti mandavit, unâ cum congruâ et opportunâ instructione desuper faciendâ, ad hoc ut tam ipse, quam reliqui Archiepiscopi, Episcopi, seu alii qui in illis partibus visitatoris, delegati seu Vicarii Apostolici munus exercent, vel in posterum exercebunt, responsa huiusmodi ab omnibus et singulis nunc et pro tempore ibidem existentibus missionariis cuiuscumque Ordinis, religionis, et insti-

tuti, etiam Societatis Iesu, necnon ab universis christifidelibus earumdem partium, sub poenis canonicis, qua decet obedientiâ observari curent et faciant; suspensâ tamen interea, iustis et rationalibus ex causis animum Sanctitatis Suae moventibus, eorumdem responsorum publicatione, seu quavis evulgatione, tam in Urbe quam in aliis Europae partibus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ioseph Bartolus Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius.

Datum die xx. novembris mdcciv., pontif. anno iv.

XVI.

Declarat, ius visitandi parochiales ecclesias regularium in insulis Philippinis competere locorum Ordinariis (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Lis inter religiosos et Ordinarios dictarum insularum de visitatione ecclesiarum parochialium.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater modernus Archiepiscopus Manilanensis nobis nuper exponi fecit, dilecti filii fratres Ordinum Praedicatorum, Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac Eremitarum S. Augustini, necnon clerici seu presbyteri regulares Societatis Iesu ordinariam visitationem in septingentis et amplius parochialibus ecclesiis, seu, ut vocant, doctrinis, quas in dioecesi Manilanensi et aliis insularum Philippinarum Episcopatibus regunt, et respective exercent, admittere renuant, seque potius animarum curam dictasque parochiales ecclesias deserere, quam sese visitationi praedictae subiicere velle declarent, inde vero plura scandala et inconvenientia cum neglectu constitutionum apostolicarum et decretorum Concilii Tridentini exoriantur; ac proinde ipse Archiepiscopus de opportuno desuper remedio a nobis provideri plurimum desideret: nos, eiusdem Archiepiscopi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eorum (2) nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus dicti Concilii Tridentini interpretibus super hoc negotio a nobis deputatorum, qui fratrum et clericorum seu presbyterorum regularium praedictorum procuratorem citatum et informantem super praemissis audiverunt, consilio, ius visitandi regulares, in iis quae concernunt curam animarum ac sacramentorum administrationem, Archiepiscopo Manilanensi aliisque Episcopis in insulis Philippinis existentibus competere, nec eosdem regulares parochias seu doctrinas, de quibus agitur, sub censurarum, amissionis bonorum, aliisque arbitrariis poenis, dimittere posse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Declarat ut in rubricâ.

Clausulae.

§ 2. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum et Societatis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. De confessariis regularibus ab Ordinario approbandis extat Innocentii XII. constit. edit. mdcxcviii., die vi. septembris, pontif. viii.; et in Innocentii XIII. constitut. edit. mdccxxii., die xxvi. augusti, pontif. ii., agitur de ingressu parochorum in ecclesias regularium.

(2) Videtur legendum *eius*.

expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX. ianuarii MDCCV., pontificatus nostri anno V.

XVII.

Confirmat decretum Congregationis Rituum de facultate celebrandi missam de B. M. V. singulis sabbatis pro fratribus Minoribus Discalceatis provinciae Mexicanae (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad supplicationem dilecti filii Iosephi de Sottomayor fratris expresse professi ac prouministri provincialis provinciae Mexicanae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Excalceatorum nuncupatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum S. Congregationis in quo tamen excipiuntur nonnulla sabbata. « Mexicana. Ad humillimas preces sanctissimo Domino nostro Clementi Papa XI. a patre Iosepho de Sottomayor, Ordinis Excalceatorum Sancti Francisci et provinciae Mexicanae proministro, porrectas, a Sanctitate Sua ad sacrorum Rituum Congregationem remissas et ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali S. Clementis relatas, sacra eadem Rituum Congregatio, gratiam aliàs sub die XIII. augusti MDCCI. eidem Ordini provinciae Baeticae impartitam extendendo, benigne indulsit atque concessit, ut in ecclesiis Ordinis praedicti Excalceatorum Sancti Francisci provinciae Mexicanae qualibet die sabbati per annum non impediti officio duplici primae et secundae classis, exceptis sabbato sancto, sabbatis infra octavam Resurrectionis Domini nostri et Pentecostes, et vigiliâ Nativitatis Domini si in sabbatum inciderit, non omissâ conventuali, unica etiam missa votiva de beatâ Mariâ Virgine celebrari possit et valeat. Die IV. aprilis MDCCV. — G. Cardinalis CARPINEUS. *Loco † sigilli.* B. INGHIRAMI, sacrorum Rituum Congregationis Secretarius ».

Confirmatio relati decreti. § 2. Cum autem, sicut praedictus Iosephus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti; aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII. maii MDCCV., pontificatus nostri anno V.

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Haec facultas concessa fuerat provinciae Baeticae constit. edit. MDCCIV., die XIII. februarii, pontif. IV.

XVIII.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium de Caeremoniali provinciae de Mexico Ordinis Minorum de Observantia (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

A capitulo generali MDCC. permissum fuit ut singulae provinciae Indiarum suas caeremonias servarent.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Evangelii Mexicanae in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositao exposito, quod aliàs in capitulo generali dicti Ordinis in hac almâ Urbe anno MDCC. celebrato pro bono regimine spirituali et temporali omnium provinciarum Indiarum dicti Ordinis, ac ad occurrendum incommodis et gravibus malis, quae oriebantur ex instabilitate caeremoniarum et rituum, quos commissarii Novae Hispaniae et regni Peruani Ordinis praedicti ritibus propriae alteriusque provinciae conformare nitebantur, sancitum, ac sub privationis officii poenâ dictis commissariis iniunctum fuerat ut permitterent provincias vivere iuxta suas laudabiles caeremonias et ritus in his quae non erant contra Sanctae Sedis praescriptum, nec ea quoquomodo innovare aut alterare attentarent, decernendo irritum et inane quidquid in contrarium fecissent, committendo insuper pro tempore existenti ministro generali et commissario itidem generali Indiarum dicti Ordinis in oppido Matriti pro tempore commoranti, ut statutum huiusmodi inviolabiliter observari facerent, et aliàs prout in dicto statuto uberius dicebatur contineri; subinde vero, ad instantiam tunc etiam existentium fratrum dictae provinciae, ac etiam de eius superiorum iussu, huiusmodi caremoniae et ritus per dilectum filium Isidorum Alphonsum de Casteneira, fratrem dicti Ordinis expresse professum, in septem paragraphos, quibus titulus *Manuale Caeremoniarum provinciae S. Evangelii de Mexico,* iuxta ordinem praedicti capituli generalis collectae fuerant; et in eâdem expositione subiuncto, quod verebatur, ne, temporis decursu, praemissa ab aliquo superiore, non sine gravi dictae provinciae spirituali temporalique iacturâ, moderarentur aut innovarentur, ideoque ipsi exponentes, quo statutum seu decretum huiusmodi perpetuo servaretur, nec illud ullo unquam tempore a superioribus dictae provinciae nisi de eius consensu immutaretur, plurimum cupiebant, decretum huiusmodi, unâ cum dictae provinciae caeremoniis, sicut praemittitur, congestis, auctoritate dictae Congregationis Cardinalium confirmari: emanavit ad eorum supplicationem ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis illud approbans.

«Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, audito patre procuratore generali Ordinis, et attentis narratis, petitam confirmationem oratoribus benigne concessit. Romae VII. aug. MDCCV. — N. Card. ACCIAIOLUS: *Loco* † *sigilli.*»

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective in-

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. In Innocentii XII. constit. ed. MDCXCVIII., die X. novembris pontif. VIII., confirmatus fuit usus librorum divini officii.

violabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. septembris MDCCV., pontific. nostri anno V.

XIX.

Declarat nulla acta in Indiis collata a generali inquisitore, Archiepiscopo S. Fidei, Episcopo S. Marthae, et curiâ laicali, adversus Episcopum Carthaginensem immunitatis ecclesiasticae iura tuentem, cum nonnullis aliis declarationibus et statutis (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Lis orta inter Episcopum Carthaginensem et alios praedictos.

§ 1. Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito causam inter venerabilem fratrem Michaëlem Antonium Episcopum Carthaginensem in Indiis, ex unâ, et dilectos filios Franciscum Varelam adversus haereticam pravitatem inquisitorem in dictâ civitate auctoritate apostolicâ deputatum, ac officiales seu ministros curiae laicalis, necnon venerabiles fratres tunc existentes Archiepiscopum S. Fidei et Episcopum S. Marthae, aliosque, ex alterâ partibus, vertentem dirimere cupientes, de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus a nobis specialiter deputatae, quae diebus XI. decembris MDCCIII., et XI. ianuarii MDCCIV., si ita nobis placuisset, ut infra censuit, consilio, omnia acta per dictum Michaëlem Antonium Episcopum esse rite et bene gesta, et viceversâ cuncta, quae per dictos iuquisitorem et curiae laicalis officiales seu ministros ac Archiepiscopum S. Fidei et Episcopum S. Marthae contra praedictum Michaëlem Antonium Episcopum gesta fuerunt, esse nulla, invalida et attentata, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi debere decernimus et parite declaramus.

Quomodo procedendum adversus partem contrariam, et delinquentes: atque tribunal Inquisitionis in civitate Carthaginensi abolefur.

§ 2. Ceterum praefati Archiepiscopus S. Fidei et Episcopus S. Marthae, ceterique omnes supranominati, consulant conscientiae suae pro eorum absolutione. Quo vero ad caconicos aliosque ecclesiasticos etiam regulares delinquentes, dictus Michaël Antonius Episcopus in reditu ad suam ecclesiam, contra illos, non obstante quacumque praetensâ exemptione per eos forsan adducendâ, prout de iure procedat, et iam excommunicati curent sibi concedi absolutionem a praefato Michaële Antonio Episcopo, qui praevio edicto offerat illam comparentibus infra terminum praefigendum, excepto canonico cognominato *Bentancur*, cui, uti magis culpabili, et in suis delictis detestabili, dictus Michaël Antonius Episcopus de mandato nostro iniungat, ut ad hanc almam Urbem nostram accedat, firmis tamen remanentibus privatione canonicatûs et praebendae, necnon beneficiorum, aliisque poenis ei per memoratum Michaëlem Antonium Episcopum inflictis. Praeterea tribunal Inquisitionis a dictâ civitate Carthaginensi amovendum esse harum serie etiam decernimus.

Quid de iis, qui plura iniuste passi sunt.

§ 3. Quo vero ad illos, qui carcerationem, exilium et quamplures alias poenas passi fuerunt, ex quo eidem Michaëli An-

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Innocentii XII. const. edit. MDCXCIII., die I. septembris, pontif. III., declarata fuere nulla edicta praetoris Cremonensis de festo S. Dominici; et huius Pontificis constit. edit. MDCCVII., die I. ianuarii, pont. VII., declaratur nullum edictum Archiepiscopi Goanensis contra iurisdictionem commissarii apostolici in Indiis Orientalibus.

tonio Episcopo adhaeserunt, eisdem et eorum familiis tam in puritate sanguinis quam in nobilitate, prout etiam quoad officia et quaecumque beneficia cum curâ et sine curâ, canonicatus et praebendas ac dignitates, etiam primas, necnon quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias obtinendas, nullum praeiudicium illatum fuisse, ac illis omnes mulctas aliaque damna passa pariter reficienda esse, et processus contra eosdem formatos pro abolitis et cassatis habendos esse, auctoritate et tenore praefatis itidem declaramus.

Monasterium monialium S. Clarae Episcopo subiicitur, et fratres Minores puniuntur.

§ 4. Insuper subiectionem monasterii monialium Sanctae Clarae civitatis praedictae eidem Michaëli Antonio Episcopo, iuxta declarationem tunc existentium eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum et quasdam felicis recordationis Innocentii Papae XI. praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, cum privatione omnium officiorum ac vocis activae et passivae in perpetuum respectu illorum fratrum qui complices et culpabiles de tot insultibus et violentiis contra monasterium et moniales huiusmodi commissis reperti fuerunt, factam confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Porro dilectus filius minister generalis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum procedat prout de iure ad executionem poenae abversus delinquentes, iique pro absolutione a censuris incursis ad eumdem Michaëlem Antonium Episcopum recurrere teneantur.

Omnia alia monialium monasteria, uno excepto, Episcopi iurisdictioni subiiciuntur.

§ 5. Ulterius omnia alia monasteria cuiuscumque Ordinis, si quae adsint, (excepto Ordine Sancti Augustini) a iurisdictione et regimine spirituali et temporali religiosorum, quibus monasteria huiusmodi subiecta sunt, eâdem auctoritate, ipsarum tenore praesentium, perpetuo eximimus, ac illa omnimodae iurisdictioni tam in spiritualibus quam in temporalibus memorati Michaëlis Antonii et pro tempore existentis Episcopi Carthaginensis subiicimus.

Antonius Episcopus Carthaginensis merito ornatur elogio.

§ 6. Demum, zelum praefati Michaelis Antonii Episcopi, pro omnibus ad suae dignitatis iurium ecclesiae et immunitatis ecclesiasticae defensionem gestis, plurimum in Domino commendantes, illum de omnibus Ecclesiae suae fructibus decursis et non exactis, necnon de omnibus damnis occasione eiusmodi indebitae vexationis per ipsum passis, reintegrandum esse decernimus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Michaëli Antonio Episcopo, aliisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, monasteriorum et Ordinum praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. ianuarii MDCCVI., pontificatus nostri anno VI.

XX.

Concedit fratribus eremitis S. Augustini provinciae Portugalliae, qui in Congregatione Indiarum Orientalium vicarii provincialis munere perfuncti fuerint, omnia privilegia exprovincialium provinciae (1).

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Eadem privilegia exprovincialium concessa fuerunt quibusdam fratribus Insularum Philippinarum ab Innocentio XI. const. ed. MDCLXXVII., die XI. decembris, pont. II.; et nonnullis Discalceatis Congregationis Hispaniae et Indiarum ab hoc Pontifice const. edit. MDCCIV., die XIII. februarii, pontif. IV.; in Benedicti XIII., const. ed. MDCCXXVII., die XIV. iunii, pontif. IV., statuitur ne amplius concedantur privilegia exprovincialium in provinciâ Portugalliae.

CLEMENS PAPA XI.

ad futuram rei memoriam.

Rationes pro obtinenda huiusmodi concessione.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae Portugalliae Ordinis eremitarum S. Augustini nobis expositum fuit, quod (cum ipsa provincia quamdam habeat Congregationem in Indiis Occidentalibus sibi subiectam, ad cuius gubernium unus Vicarius provincialis cum quatuor definitoribus, qui illam tam in spiritualibus quam in temporalibus iuxta peculiares constitutiones dicti Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatas, ad instar cuiuslibet memorati Ordinis, provinciae cum ordinariâ iurisdictione et auctoritate regant, institui solet; Congregatio vero huiusmodi aliquibus ab hinc annis in calamitoso et miserabili statu reperiatur, tum ob religiosorum defectum qui illam zelo ac debito fervore gubernent, curamque specialem missionum eis commissarum ac in illis partibus adeo necessariarum (1) habeant, tum denique ob repugnantiam quam habent praedictae provinciae alumni pro memoratae Congregationis regimine electi ad subeundum adeo longum et periculosum maris iter) iidem religiosi in Vicarios provinciales electi tametsi, absoluto eorum officio, in dictâ Congregatione permanentes privilegiis provincialibus absolutis competentibus potiantur, nihilominus ipsi ad propriam provinciam postea revertentes in eâ omni prorsus privilegio et exemptione carent. Ut autem religiosi praedictae provinciae digniores ad subeunda tot tantaque evidentia eorum vitae pericula in conficiendo tam longo itinere sex millium leucarum maris et visitandis post eorum adventum conventibus dictae Congregationis inter se valde distantibus et demum disseminando verbum Dei variis in locis pariter distantibus, prout necessitas exigit, incitentur, dilecti pariter filii Simon de Gowea, lector iubilatus, et Ioannes Ferrevra, fratres expresse professi Congregationis et Ordinis huiusmodi, exvicarii provinciales, Congregationis (2) seu capitulo intermedio dictae provinciae die x. novembris MDCCIV. celebrato supplicem libellum porrexerunt pro opportuno remedio, enixe deprecantes, ut, nedum iidem Simon et Ioannes, qui praedicta omnia pericula et incommoda munus Vicarii provincialis obeundo passi fuerunt, verum etiam ceteri dictae provinciae religiosi, quos in posterum ad memoratam Congregationem ad vicarii provincialis huiusmodi officium exercendum transmitti contigerit, post eorum in provinciam reditum omnibus privilegiis et exemptionibus, quibus eiusdem provinciae provinciales absoluti cum voce et loco in capitulis provincialibus (3) fruuntur similiter gaudere deberent.

Preces provinciae pro concessione.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, omnes fratres de gremio definitorii, lectis ac mature perpensis supradictis rationibus, nemine penitus contradicente, indulti huiusmodi concessioni consensum praestiterint: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui votum capituli generalis per dilectum etiam filium modernum priorem generalem dicti Ordinis relatum perpenderunt, ipsumque priorem generalem super praemissis audiverunt, consilio, ut memorati Simon et Ioannes, qui in praedictâ Congregatione in Indiis Orientalibus vicarii provincialis munere functi sunt, privilegiis et praerogativis exprovincialium, etiam cum voto in capitulis provincialibus provinciae Lusitaniae, ac cum loco immediate post exprovinciales eiusdem provinciae, potiantur et gaudeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus: praeterea eadem privilegia et praerogativas exprovincialium, etiam cum voto in capitulis provincialibus et cum loco immediate post praedictos exprovinciales, vicariis provincialibus Congregationis Orientalis praedictae, postquam in provinciam Portugal-

Facultas petita conceditur.

(1) Edit. Main. legit *necessarium*.
(2) Aptius lege *Congregationi*.
(3) Edit. Main. legit *provincialis*.

liae supradictam reversi fuerint, auctoritate et tenore praedictis concedimus: eâ tamen lege, ut ii dumtaxat enarratis privilegiis in provinciâ ipsâ gaudere valeant, qui ex Europâ in Indias transeunt, et ibidem vicarii provincialis munus integro biennio cum laude et profectu sacrarum missionum obierint, quive aut lectores iubilati sint, aut evangelicae praedicationis principalioribus in Lusitaniae urbibus viginti ad minus annos cum plausu iustâque famâ expleverint: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus felicis recordationis Clementis Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit *Admonet nos, etc.*, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I. februarii MDCCVI., pontificatus nostri anno VI.

XXI.

Deplorat pervicaciam nonnullorum missionariorum qui renuerant obedire Visitatori Apostolico, eiusq. censuras spreverant. Declarat ab his Archiepiscopum Goanum absolvere non potuisse; ei proinde, absente Visitatore, facultatem confert illos, si resipuerint, absolvendi et ab irregularitate dispensandi (1).

Venerabili fratri
Episcopo Meliaporensi

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Seriem earum rerum, quae in istis partibus eo tempore contigerunt quo ven. frater Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Pudicherii morabatur profecturus ad Sinarum Imperium, quo nos ipsum cum amplissimis Visitatoris Apostolici in partibus Indiarum Orientalium nostrique etiam et huius S. Sedis de latere Legati facultatibus allegavimus, tum ex literis quas fraternitas tua ex S. Thoma de Meliapor die XI. ianuarii proxime elapsi millesimi septuagesimi quinti ad nos dedit, tum ex multorum scriptis publicoque rumore cognovimus. Quibus auditis fieri non potuit quin multa amaritudine repleretur cor nostrum; nam qui uberem nobis fructum in spirituale commodum istorum fidelium pollicebamur ex huiusmodi profectione, quam idem Patriarcha pontificiae nostrae solicitudini caritate ac zelo plane singulari obsecutus susceperat, molestissime tulimus, parta esse hac ipsâ tam praeclarâ occasione gravia scandala ab iis ipsis, in quorum operâ atque praesidio ad promovendam animarum salutem spes utique magna constituenda videbatur. Et sane mirum ac dolendum est inter ipsos operarios vineae dominicae fuisse quosdam severioris etiam disciplinae ac instituti professores, qui, cum probe scirent qua dignitate insignitus esset idem Patriarcha, quove munere apostolicâ nostrâ auctoritate fungeretur, sui nihilominus status debitique erga nos cultus et obedientiae immemores, eius mandatis parere palam detrectaverint, evocatique ab eo saepius ac moniti sub interminatione spiritualium gravissimarumque poenarum, ut Pudicherium proficiscerentur, maluerint tueri seipsos acatholicorum praesidio, quominus eo pergerent, quam ad ipsum praesidem eos compellantem accedere: quin etiam

(1) Epist. et Brev. select. pag. 334.

poenas ipsas per quas nisi paruissent a sacrorum ordinum exercitio et ab altari arcebantur, sacris temere operantes contempserint, ac demum praesumpserint, posse se beneficium absolutionis post latam adversus eos excommunicationis sententiam ab aliis quam a nobis vel ab eodem Patriarchâ, quibus tantum huiusmodi facultas reservata fuerat, obtinere. Intelliges itaque pro spectatâ tuâ pietate et sacrarum rerum ecclesiasticarumque legum peritiâ, quam laesa fuerit per huiusmodi inobedientiam ac contumaciam dignitas atque auctoritas nostra, et quam graviter agendum sit ex praescripto sacrorum canonum adversus huiusmodi delinquentes et refractarios homines, nisi resipuerint, seque ipsos ecclesiasticae potestati atque obedientiae eâ, qua par est, animi demissione admissorumque dolore subdiderint. Ut itaque aditus misericordiae, si modo ea se dignos praebere curaverint, ipsis pateat, quod nos pro lenitate et caritate apostolicâ Christi Domini exemplo curare in primis debemus, post totam causam diligenter expensam, et postquam compertum nobis fuit, eos ecclesiasticis censuris vere obstrictos esse, in nihilo suffragante ipsis absolutione a ven. fratre Archiepiscopo Goano sive a quovis alio nulliter obtentâ, non praetermisimus eumdem ven. fratrem Patriarcham Antiochenum hortari ut, quatenus religiosus vir Michael Angelus Turonensis ex Ordine fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, qui vocatus, ut praefertur, ac monitus obsequi neglexit, facti poenitens absolvi ab excomnunicationis sententiâ in eum latâ, et secum dispensari super irregularitate contractâ humiliter postulaverit, praeviâ salutaris poenitentiae impositione, petitam absolutionem ac dispensationem eidem misericorditer impertiatur, dum tamen ille a civitate Madraspatani, nisi aliter idem Patriarcha expedire in Domino iudicaverit, subinde discedat. Interim vero, ne praefatus Michael Angelus absolutionis solatio, si eo se dignum praestitit, diutius destituatur, fraternitati tuae, de cuius zelo ac pietate admodum confidimus, facultatem hisce nostris tribuimus absolutionem ac dispensationem, ut praefertur, ad tempus tibi benevisum, cum reincidentia tamen ac impositis pariter salutaribus poenitentiis, eidem religioso viro Michaeli Angelo Turonensi etiam per superiores Ordinis benigne impertiendi. Quod item servari a te volumus cum aliis eiusdem Ordinis religiosis viris si qui forte saepedicti Patriarchae mandatis ante vel post eius discessum a Pudicherio obediri neglexerint, prout nos dilectum filium religiosum virum Eusebium Burgensem dicti Ordinis, qui ob eamdem causam ad nos ex Madraspatano supplex ac dolens accessit, absolutionis et dispensationis gratiâ, quam humiliter petiit, impositâ ei poenitentiâ salutari apostolicâ benignitate solati sumus. Quod attinet ad sacerdotem Paulum de Sà, quem ob recursum ad iudices laicos aliisque de causis constat ab eodem Patriarchâ excommunicatum fuisse in causâ, coram ipso inter dilectum filium religiosum virum Guilielmum de Valle congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, ipsumque sacerdotem Paulum de Sà, eum a censuris prius absolutum et super impedimento irregularitatis dispensatum praeviâ renunciatione praefati recursus nulliter facti, ac iniuncto praecepto parendi mandatis Ecclesiae, attentâ eiusdem Guilielmi de Valle absentiâ, habilitandi et inducendi in possessionem parochiae Gondeluri tibi in Domino tribuimus facultatem. In quibus omnibus scire te volumus, nos peculiarem rationem habuisse testimonii atque iudicii per te eisdem tuis literis ad nos delati, dumque te hortamur ut populos vigilantiae tuae creditos ad pietatis cultum et ad debitam erga nos atque Apostolicam Sedem reverentiam incumbere semper magis satagas, fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. octobris MDCCVI., pontificatus nostri anno VI.

XXII.

Declarat nullum edictum Archiepiscopi Goanensis contra iurisdictionem commissarii et visitatoris apostolici in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis (1).

(1) Ex App. B. P. de P. F. pag. 367 collat. Declarata fuerunt nulla acta a generali inquisitore aliisque contra Episcopum Carthaginensem const. edit. MDCCVI. die XIX. ianuarii, pont. VI.; ep. *Seriem earum* mis. die XXX. octobris MDCCVI. monuerat Archiep. Goae censuras a Visit. Ap. latas vim omnem habere; et const. edit. MDCCXI., die XV. martii, pontif. XI., declarantur nulla acta ab Episcopo Macaonensi adversus commissarium Sinarum.

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Carolus Patriarcha Antiochensis electus fuit commissarius, cuius censurae adversus nonnullos religiosos promulgatae, nullae declaratae fuere praedicto edicto ab Augustino Archiepiscopo Goanensi.

§ 1. Cum nos aliàs, prò commisso nobis divinitus apostolicae servitutis munere etiam ad remotissimas ab hac Sanctâ Sede regiones pastoralem vigilantiae nostrae curam extendentes, per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras venerabilem fratrem Carolum Thomam, Patriarcham Antiochenum, nostrum et Apostolicae Sedis commissarium et visitatorem in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis, cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere Legati ac diversis et amplissimis facultatibus constituerimus et deputaverimus, et aliàs, prout in praedictis nostris die iv. iulii MDCCII. expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur: et, sicut nuper non sine gravi animi nostri dolore accepimus (postquam idem Carolus Thomas, Patriarcha, commissarius et visitator, in dioecesi Melioporensi, debitâ, ut par erat, reverentiâ a venerabili pariter fratre Gaspare Alphonso, Episcopo Meliaporensi, recognitus et exceptus fuerat, ac iustis et rationabilibus causis adductus censuras quasdam ecclesiasticas in eâdem dioecesi contra nonnullos regulares prumulgaverat), edictum quoddam, sub nomine venerabilis etiam fratris Augustini ab Annunciatione, die xxii. decembris MDCCIV. editum prodierit, et subinde in quibusdam oppidorum seu locorum Madraspatani et Pudiaherii ecclesiis, et forsan alibi, publicatum fuerit, quo, sub variis, frivolis ac prorsus insubsistentibus praetextibus, censurae praedictae, ab eodem Carolo Thoma Patriarcha, commissario et visitatore, sicut praemittitur, promulgatae, inaudito ausu, nullae declarantur, ipsique regulares ad sacramentorum ecclesiasticorum administrationem admittuntur, necnon omnibus et singulis tam ecclesiasticis quam laicis mandatur, ne ipsi Carolo Thomae Patriarchae, commissario et visitatori obediant, aut dictas censuras revereantur, ac insuper eidem Carolo Thomae Patriarchae commissario et visitatori, inverso sane poenarum per canonicas sanctiones irrogatarum usu, sub excommunicationis poenâ inhibetur, quominus iurisdictionem suam libere exerceat, aliaque temere praecipiuntur atque ordinantur, in gravissimum apostolicae auctoritatis, qua idem Carolus Thomas Patriarcha, commissarius et visitator nostro et dictae Sedis nomine in illis partibus fungitur, contemptum, praeiudicium et detrimentum, et aliàs, prout in praefato edicto, quod, non approbandi, sed penitus et omnino reprobandi animo, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri:

Declaratio nullitatis edicti praefati.

§ 2. Hinc est quod nos, ex debito sacrosancti apostolatus officii, quod humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, commisit divina dignatio, eiusdem Caroli Thomae patriarchae, commissarii et visitatoris, seu potius nostram et dictae Sedis dignitatem, auctoritatem et iurisdictionem a temerariis et perniciosis huiusmodi conatibus illaesas sartasque et tectas tueri et conservare cupientes, ac omnium, quae praedicti edicti seu in eo contentorum occasione quovis modo acta et gesta sunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pariter pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fdei negotiis praepositae super rebus Indiarum Orientalium a nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratum edictum et quaecumque in eo contenta, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita, temeraria, attentata et de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus; et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi debere, decernimus et pariter declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedictus Augustinus

Archiepiscopus et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali aut incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon metropolitanae ecclesiae Goanensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et quomodolibet qualificatis, ac ecclesiis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV. (1) ianuarii MDCCVII., pontificatus nostri anno VII.

XXIII.

Concedit vineam in loco Pariolo Congregationi de Propagandâ Fide de Urbe,

(1) Iuxta edit. Taurin. Deest numerus, at ad marg. notat. 1, verum in originali est IV.

cum erectione alumnatus pro uno iuvene nationis Epiri (1).

CLEMENS PP. XI.

URBIS MOTU PROPRIO.

Exordium. Cum in iis, quae ad divinum cultum, sanctamque catholicam religionem ampliandam conservandamque pertinent, non tam operis initium, quam illius firmitas perpetuitasque spectanda sit; nos praecipuas muneris nostri partes esse intelligimus, nedum spiritualibus piorum institutorum ad id tendentium incrementis peculiari studio adniti, verum etiam temporalibus illorum commodis et tranquillitati prospicere, quos divina bonitas ad sacrum evangelicae praedicationis fideique propagandae ministerium

---

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide p. 247, coll. etc. Ex Tabulario eiusdem Congregationis, pro rei memoria, sequens documentum publicare existimavimus.

MOTUS PROPRIUS

SS. D. N. CLEMENTIS XI.

Cassationis Canonis, cum dismembratione et consensu Cardinalis Otthoboni, Abbatis Commendatarii Sancti Laurentii extra muros, eidem suisque Successoribus Commendatariis reservati, super Vinea in loco Pariolo nuncupato, Sacrae Congregationi de Progapanda Fide aliàs concessa.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo septingentesimo nono, Indictione undecima, die vero vigesima quarta septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri D. Clementis Divina Providentia Papae Undecimi, anno eius Nono. Ego notarius publicus infrascriptus vidi et legi Cedulam motus proprii, manu eiusdem Sanctissimi Domini Nostri signatam, tenoris sequentis, videlicet: (In calce) Cassatio cum dismembratione. (In medio vero):

CLEMENS PP. XI.

URBIS

Narrativa concessionis vineae alias factae S. Congregationi cum reservatione canonis scutorum 100 et aliis conditionibus. Motu proprio etc. Cum nos nuper, ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, et ad consulendum bonae valetudini et conservationi alumnorum pro tempore degentium in collegio seu seminario apostolico pontificio, Urbano nuncupato, in alma urbe nostra, sub regimine et protectione Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum, erecto et fundato, quandam vineam in Contrada Parioli, in eminentiori situ extra muros praedictae urbis positam, ad infrascriptum monasterium spectantem et pertinentem, quam dilectus filius noster Petrus, Sancti Laurentii in Damaso nuncupati, eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus Cardinalis Otthobonus nuncupatus, praedictaeque Sanctae Romanae Ecclesiae Vice Cancellarius, de numero dictae Congregationis existens, uti Abbas seu perpetuus Commendatarius monasterii, Abbatiae nuncupatae, Sancti Laurentii extra muros praedictae urbis, Sancti Augustini canonicorum regularium seu alterius Ordinis, in manibus nostris cum palatio et aliis dictae vineae iuribus et pertinentiis sponte et libere tunc oretenus dimiserat, ad effectum tamen, ut nos praedictam vineam, et alia desuper expressa, dictae Congregationi, pro usu, et conservatione alumnorum praedictorum, cum reservatione tamen perpetui canonis seu annuae responsionis favore eiusdem monasterii, et cum aliis conditionibus, nobis bene visis, eidemque monasterio utilibus, perpetuo concederemus, et cum aliis eiusdem Congregationis bonis uniremus, una cum palatio praedicto, tinello, caeterisque mansionibus et aedeficiis, in quacumque illius parte positis, ac ipsammet vineam, totam quanta illa erat, intra suos notissimos fines, quos una cum praemissorum valore, tam in proprietate, quam in annuis redditibus, omnibusque et singulis aliis membris, iuribus et pertinentiis dictae vineae, in infrascripta schedula, pro singillatim expressis, haberi voluimus, ita ut specialitas illorum generalitati non derogaret. Motu pari etc., sub reservatione etiam novi consensus, tunc praestandi per dictum Petrum Cardinalem, uti praedicti monasterii abbatem, seu perpetuum commendatarium, eidem Congregationi, ad effectum praemissum, perpetuo concesserimus, illiusque fructus, detracto infradicendo canone, seu infradicenda annua responsione, aliis bonis dictae Congregationis, et ad illius commodum, univerimus, annexerimus et incorporaverimus, eandemque Congregationem de praedicta vinea investiverimus; canonem vero annuum et perpetuum seu annuam et perpetuam responsionem eidem Petro Cardinali, quoad viveret et monasterium eiusmodi obtineret, et cuicumque alteri eiusdem monasterii abbati, seu perpetuo commendatario pro tempore existenti, ratione concessionis, unionis, annexionis et incorporationis praedictarum, annuatim, duabus aequalibus solutionibus, pro una videlicet in Domini Nostri Iesu Christi, tunc a proxime ventura incipiendo, et altera medietatibus canonis seu responsionis huiusmodi in Sancti Ioannis Baptistae, etiam tunc immediate sequenti, Nativitatum festivitatibus, et sic deinceps perpetuis futuris temporibus, de anno in annum, ac termino in terminum, per Congregationem praedictam persolvendum seu persolvendam, in annuis scutis centum monetae romanae de iuliis decem, pro quolibet scuto huiusmodi, motu simili etc. apostolica auctoritate taxaverimus, et reservaverimus, ac taxatum et reservatum, seu taxatam et reservatam, esse voluerimus et decreverimus, aliasque de praemissis sub certis modo et forma, ac cum clausulis et decretis tunc expressis, disposuerimus, prout in schedula nostri motus proprii desuper manu nostra, sub datum videlicet Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, undecimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno octavo, signata et expedita, cuius etiam solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere, regula quacumque contraria non obstante, voluimus, plenius continetur; subinde vero idem Petrus Cardinalis, uti praedicti monasterii abbas, seu perpetuus commendatarius, servato themate dictae nostrae schedulae, et in illius sequelam, mediante instrumento die vigesima septima mensis iunii anni Domini millesimi septingentesimi octavi, per acta dilecti filii Antonii Petrucci, camerae nostrae apostolicae secretarii, rogato, concessioni, unioni, annexioni et incorporationi praedictis novum consensum praestiterit, ac omnia et singula in praedicta schedula contenta ratificaverit et approbaverit, sicut nobis innotuit.

Cardinalis Otthobonus exhibet, et praestat consensum pro cassatione, atque abolitione dicti canonis. Cumque idem Petrus Cardinalis, adhuc dicti monasterii abbas, seu perpetuus commendatarius existens, exponi nobis nuper fecerit, quod ipse haud suo desiderio in hac re, quae in causam tam privilegiatam, scilicet propagationis fidei catholicae, tendere dignoscitur, fecisse credat satis, nisi novum

adlegit, ut, tamquam digni operarii in agro Domini, cum tempus messis advenerit, strenue utiliterque laborent, et uberiorem in sinu Ecclesiae fructum, Deo benedicente, deponant.

Erectio collegii et causae emendi aliquem locum pro recreatione.

§ 1. Sane, licet felicis recordationis Urbanus Papa VIII. praedecessor noster per quasdam suas litteras apostolicas optimo quidem consilio collegium seu seminarium apostolicum pontificium pastorale Urbanum nûncupatum pro excipiendis et alendis sacerdotibus saecularibus, et etiam clericis ad maiores tamen ordines infra certum tempus promovendis, bonis moribus, pie-

---

eius, nedum benevolentiae erga praedicti collegii seu seminarii alumnos, verum etiam obsequii erga ipsam Congregationem argumentum ostendat, suum videlicet consensum exhibendo, et sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito praestando pro cassatione et abolitione praedicti canonis seu praedictae responsionis super dicta vinea, favore eiusdem monasterii, per nos, ut supra, reservati seu reservatae, ut praefertur, necnon pro liberatione et exemptione eiusdem vineae, et aliorum per nos praedictae Congregationi concessorum, ab omni vinculo proprietatis, subiectionis, obligationis et solutionis canonis seu responsionis centum scutorum monetae huiusmodi, et aliorum iurium, forsan ex praenarrata schedula, sive ex proprietate, seu aliàs undecumque procedentium ad dicti monasterii favorem. Pro huiusmodi igitur cassationis, abolitionis, exemptionis et liberationis effectu, idem Petrus Cardinalis, sub die decima mensis iulii proxime praeteriti, praevia eius epistola, dilecto filio magistro Silvio de Cavaleriis, in utraque signatura nostra referendario, eiusdemque Congregationis secretario, directa, obtulerit Congregationi praedictae, et re ipsa suum consensum praestiterit, ac propterea, tam ipse Petrus, quam alii dictae Congregationis Cardinales, efficaciter exoptantes, eorum Congregationem praedictam, etiam pro maiori sublevamine, augumento et conservatione alumnorum dicti collegii seu seminarii, ut ipsi alacriori animo studiis aliisque spiritualibus exercitiis vacare possint, ab onere solutionis canonis seu responsionis praedictae post hac eximi et liberari nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum votis hac in parte annuere, et ut infra opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui nihil tam aeque cupimus, quam ut collegiorum et locorum piorum in Urbe erectorum pro fide orthodoxa amplianda et propaganda indemnitati consulatur, illorum praesertim, in quibus ea viget bonarum artium disciplina, quae inibi degentes non solum ad bene beateque vivendum impellat, verum etiam ita in mandatis Domini firmos reddat et constantes, ut et vitia vitare, et haeresibus, quae in diversis orbis partibus impune grassantur, pro viribus resistere valeant, animadvertentes, quod si pium hoc et laudabile praedicti Petri Cardinalis propositum exequutioni demandaretur, facile foret, ut exinde dicta Congregatio tot tantisque expensis missionum praegravata saltem in aliquo sublevetur, et uberiores in vinea Domini fructus per dicti collegii seu seminarii alumnos reportentur, ac propterea dicti Petri Cardinalis zelum et ecclesiasticam sollicitudinem plurimum in Domino commendantes, eiusque et aliorum praedictae Congregationis Cardinalium precibus, utpote ad divinum cultum in dicto collegio seu seminario promovendum et adaugendum, apprime tendentibus, attenta tam necessaria et utili causa, benigne annuentes, et in praemissis opportune providere, ac dictae Congregationis Cardinales, ac praedicti collegii seu seminarii alumnos amplioris gratiae favore prosequi volentes, consensum ipsum a dicto Petro Cardinali super praemissis omnibus per eamdem epistolam sic, ut praefertur, praestitum, ad hoc, ut cassatio, abolitio, exemptio et liberatio, aliaque per nos, ut infra, facienda, suum plenarium et integrum effectum sortiri valeant, et ne de illorum validitate et subsistentia ullo unquam tempore, ullo iure, ullove modo, via, seu praetextu dubitari possit, seu contingat, omnes et quoscumque defectus, etiam quantumvis substantiales, contra validitatem dicti consensus, et illius admissionis per nos, ut infra, faciendae, tam ex nostris et cancellariae apostolicae regulis, quam aliàs undecumque et quomodolibet provenientes et resultantes, motu, scientia et potestatis plenitudine, tenore praesentium, sanantes et supplentes, et praedictis regulis aliisque contrariis quibuscumque opportune derogantes, tenore praesentium, motu pari etc. admittimus, et in cancellaria, seu camera nostra apostolica praedicta, praevia huiusmodi epistola inibi exhibenda, admittendum fore et esse decernimus, et mandamus, dictamque eiusdem Petri Cardinalis epistolam pro aequivalenti valido et sufficienti consensu haberi volumus, et declaramus, ac praeterea pro maiori eiusdem Congregationis sublevamine, et praedicti collegii seu seminarii alumnorum conservatione et commoditate, vineam praedictam, una cum palatio, tinello, caeterisque mansionibus, et aedificiis, in quacumque illius parte positis ac eandem vineam totam, quanta illa est intra suos notissimos fines, quos eisdem praesentibus, una cum illorum valore in proprietate, et annuis fructibus, et redditibus universis, aliisque membris, iuribus et pertinentiis quibuscumque, ac etiam praedictae nostrae primae concessionis in praedicta schedula nostri motus proprii contentae, tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, haberi volumus pro expressis, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, a canone seu responsione centum scutorum monetae huiusmodi, eidem Petro Cardinali et abbati ac perpetuo commendatario dicti monasterii, aliisque in dicto monasterio successoribus modo, quo supra, persolvendo seu persolvenda, aliisqueo neribus, super eadem vinea et annexis membris huiusmodi, ad dicti monasterii favorem concessis, et etiam a directo dominio, quod super vinea illiusque membris praedictis, praedictum monasterium ad praesens habet, ita ut illud in posterum omnino abdicatum, separatum, et amotum sit a praedicto monasterio, eiusque pro tempore abbate, seu perpetuo commendatario, ac sit perpetuo translatum in Congregationem huiusmodi, necnon una cum dominio utili ad eiusdem Congregationis favorem consolidatum remaneat, necnon eandem Congregationem a solutione canonis, seu responsionis huiusmodi, eidem Petro Cardinali et abbati seu perpetuo commendatario dicti monasterii eiusque in monasterio praedicto successoribus inposterum facienda, aliisque oneribus praedictis, in omnibus et per omnia penitus et omnino perpetuis futuris temporibus, eximimus, absolvimus, et liberamus, ac canonem, seu responsionem, et directum dominium huiusmodi, aliaque dicti monasterii iura ei ex praenarrata schedula spectantia et pertinentia, a dicto monasterio et illius bonis, iuribus et proprietate, etiam perpetuo separamus, segregamus, et dismembramus, et in eandem Congregationem, quatenus opus sit, perpetuo transferimus, et directum cum utili dominio ad eiusdem Congregationis favorem consolidamus, et insuper canonem seu responsionem centum scutorum monetae huiusmodi, illiusque reservationem praedictam cum aliis iuribus quibuscumque, exinde ad monasterii praedicti et illius abbatis seu perpetui commendatarii pro tempore existentis fa-

Idem Cardinalis Otthobonus, aliique sacrae Congregationis Cardinales supplicant Sanctissimo, eamdem Congregationem eximi, et liberari ab onere dicti canonis, seu responsionis.

Sanctitas Sua admittit consensum.

Sanat et supplet quoscumque defectus.

Liberat sacram Congregationem a solutione canonis.

Amovet directum dominium a monasterio Sancti Laurentii extra muros, ab eiusque pro tempore abbate, seu commendatario, illudque transfert in sacram Congregationem cum dominio utili.

tate et sanâ doctrinâ praeditis, ex omni gente et natione desumendis, ad effectum fidem catholicam et apostolicam in partibus infidelium, totoque terrarum orbe, etiam cum eorum vitae discrimine, si opus foret, propagandi et dilatandi, eamque tuendi et conservandi in iis locis ubi iam sata reperitur, erexerit et instituerit, aliaque statuerit, decreverit et ordinaverit pro felici gubernio collegii seu seminarii et alumnorum huiusmodi, ut in praedictis litteris super hoc editis plenius et uberius continetur: experientiâ tamen compertum est, iuvenes istos ex longinquis ac etiam extre-

---

vorem resultantibus, motu simili etc. perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, irritamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino evacuamus, perinde ac si canon seu responsio huiusmodi nunquam reservatus seu reservata fuisset, et vinea praedicta de iuribus et pertinentiis dicti monasterii non extitisset, necnon canonis seu responsionis aliorumque iurium huiusmodi reservationem eidem Petro Cardinali et abbati seu perpetuo commendatario, eiusque in dicto monasterio successoribus, de caetero minime suffragari posse volumus, omneque ius et omnem actionem, quod seu quam quicumque dicti monasterii pro tempore abbas seu perpetuus commendatarius super canonis seu responsionis aliorumque iurium huiusmodi perceptione, etiam attenta possessione, seu quasi, perceptionis huiusmodi, in qua dictus Petrus Cardinalis ad praesens reperitur, ab eodem abbate, seu perpetuo commendatario pro tempore existente, dicta auctoritate auferimus, et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, eandem vineam, et alia, ut supra, concessa, et sic, ut praefertur, separata, dismembrata, et segregata, et tamquam si de iuribus, pertinentiis, et proprietate dicti monasterii non fuissent, cum utili et directo illius dominio consolidata, eidem Congregationi de Progapanda Fide motu pari de novo concedimus, perinde ac si ea omnia a principio a dicto monasterio dismembrata et libere eidem Congregationi concessa fuissent, et canon seu responsio centum scutorum praedictorum reservatus seu reservata minime extitisset, et de dicta vinea aliisque membris praedictis, ut supra concessis, ipsam Congregationem investimus, illamque, et illa, cum aliis eiusdem Congregationis bonis unimus, annectimus, et incorporamus, absque ullo prorsus vinculo, onere, seu obligatione solvendi Laudemium, seu entraturam, aut capisoldum, nec minus quindennia tam dicti monasterii abbati, seu commendatario pro tempore existenti, quam aliis quibusvis personis, seu collegiis Romanae Curiae, etiamsi speciali nota dignae sint, prout in dicta schedula expressum fuit, quam exemptionem a quacumque huiusmodi solutione, in praecedenti concessione, ad dictae Congregationis favorem per nos, ut praefertur, factam, etiam in hac locum habere volumus; declarantes ulterius, monasterium praedictum eiusque pro tempore existentem abbatem seu perpetuum commendatarium, super vinea aliisque membris praedictis, ac canone seu responsione huiusmodi, nihil praetendere posse, neque eis licere super praemissis dictam Congregationem, ullo modo, ullove tempore, sub quovis titulo, seu praetextu, etiam excogitato, etiam in corpore iuris clauso, molestare, seu molestari facere, immo ex nunc omnes molestias eidem Congregationi super praemissis inferendas, nullas et irritas declaramus, et tam dicti monasterii abbati, seu perpetuo commendatario pro tempore existenti, quam quibuscumque aliis superioribus et personis, etiam in praemissis, et circa ea quomodolibet interesse habentibus, seu habere praetendentibus, ne dictam Congregationem propterea, quovis praetextu, vel quavis causa, inquietare, perturbare, ac molestare audeant, seu praesumant, districtius inhibemus. Volentes insuper commodo et indemnitati dictae Congregationis, ac collegii seu seminarii praedicti iterum atque iterum consulere, Congregationi praedictae, ut ipsa

Eximit sacram Congregationem a solutione Laudemii atque aliorum quorumcumque, ac etiam quidenniorum.

ratione unionis et concessionis vineae, a dicto monasterio dismembratae, et separatae praedictae, una cum suis membris quibuscumque, in priori nostra concessione (quam in iis omnibus, quae ad praedictae Congregationis, et collegii, seu seminarii huiusmodi favorem tendere dignoscuntur, firmam, salvam, et illaesam esse volumus) contentis, et expressis, ad solutionem communis, sive annatae, et quindenniorum aliorumque iurium, camerae nostrae et cancellariae praedictis, ac venerabilium fratrum nostrorum eiusdemque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium collegio, singulis quindecim annis respective debitorum, iuxta quamplures diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et signanter Clementis Papae Decimi etiam praedecessoris nostri, constitutiones emanatas, super solutione quindenniorum et iurium huiusmodi per omnia et singula seminaria, collegia, ac loca pia, et Congregationes, ex quibusvis dismembrationibus et separationibus fructuum beneficiorum ecclesiasticorum, et illorum concessionibus, unionibus et aggregationibus, ad eorum respective favorem suum effectum sortitis, facienda, eidem camerae, cancellariae, et secundo dicto collegio minime teneatur, nec obligata sit, immo a solutione praedicta omnino libera et exempta existat, prout nos Congregationem praedictam, et, quatenus opus sit, etiam primodictum collegium seu seminarium praedictum, tenore earumdem praesentium, in perpetuum eximimus, et liberamus, itaut a Congregatione praedicta, nec a primodicto collegio, seu seminario praedicto, nullo unquam tempore, quidquam peti aut praetendi possit, nec illa et illud desuper a quoquam quavis auctoritate perturbari, molestari, aut inquietari queant, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus concedimus, et indulgemus, decernentes easdem praesentes, ac desuper, si videbitur, conficiendas literas, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quopiam defectu notari, argui, aut in controversiam ad quorumvis instantiam adduci, seu via restitutionis in integrum, vel reductionis ad terminos iuris, aut alias quomodolibet revocari, impugnarive posse, nec ex eo quod praemissa verificata non sint, aut quod ii, quorum interest, ad id vocati et auditi non fuerint, easdem literas per subreptionem obtentas censeri, et propterea viribus carere, neque Congregationem praedictam illiusque ministros ad verificandum praemissa compelli, et teneri, neque ob id nullas, et irritas, ac nullius momenti esse, et fore censeri, sicque per quoscumque iudices etc. etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etc. sublata etc. iudicari debere etc. irritumque etc. attentari etc. non obstantibus nostris, et cancellariae apostolicae praedictae regulis de exprimendo vero annuo valore in unionibus, ac de praestando consensu, et de iure quaesito non tollendo, ac nostra praedictae prioris concessionis schedula, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati, concessiones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, necnon recolendae memoriae Symmachi, Pauli Secundi, Pauli Quarti, et aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, ac Pii Quarti, de gratiis camerae apostolicae interesse

Clausulae derogatoriae.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

mis mundi partibus ad idem collegium seu seminarium accedentes, caelique qualitate ac vitae etiam ratione inter se maxime diversos, ex assiduâ in studiis ac piis exercitiis occupatione, quibus eorum natura assueta non erat, graviter affici, et, paulatim exinde contractarum aegritudinum causâ, aut praemature decedere, aut inhabiles ad labores in missionibus sustinendos evadere; quod non accidit Germanici pontificii ceterorumque similium collegiorum a clarae memoriae Gregorio XIII. aliisque nostris praedecessoribus Romanis Pontificibus erectorum alumnis, quorum levamini,

---

quomodolibet concernentibus, in dicta camera intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis, et registrandis, ita ut praesentes in ea praesentari, et registrari nullo unquam tempore vel modo necesse sit, ac Beati Pii Quinti, Sixti Quinti, et Urbani Octavi, necnon Clementis Decimi, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, super solutione annatarum, et quindenniorum, quomodolibet editis, necnon aliis quibuscumque apostolicis etiam in generalibus Conciliis editis, et edendis constitutionibus, et ordinationibus, dictique monasterii, et Ordinis praedicti, etiam iuramento etc. roboratis, statutis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis monasterio praedicto, illiusque abbati, et monachis, seu canonicis regularibus, eidemque Congregationi, ac primodicto collegio, seu praedicto seminario, illiusque superioribus, et personis, et aliis quibuscumque in genere, vel in specie, aut aliàs in contrarium, sub quibuscumque tenoribus, et formis, quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et etiam nos, etiam motu proprio etc. concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus etc., etiamsi de illis etc., eorum tenores etc., illis aliàs etc. permansuris, ad praemissorum validissimum effectum, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus specialiter, et expresse, hac vice dumtaxat derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio I. F.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. Et quod dictae Congregationis, seu primodicti collegii, vel seminarii huiusmodi aliae concessiones, applicationes, et gratiae, ei, illiusque alumnis, quomodolibet concessae, ac primodictae schedulae nostri motus proprii tenores etiam veriores, ac data habeantur pro expressis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in literis, et de perpetuis exemptione, absolutione, et liberatione eiusdem vineae, ac etiam praedictae Congregationis a canonis, seu responsionis huiusmodi solutione, illiusque ac directi dominii super eadem vinea, separatione, segregatione, ac dismembratione a praedicto monasterio, et in eamdem Congregationem translatione, necnon etiam illius cassatione, revocatione, abolitione, ablatione, irritatione, viribusque, et effectu evacuatione, eiusdemque vineae nova concessione, unione, annexione, et incorporatione cum bonis praedictae Congregationis, cum derogationibus, decreto, aliisque praemissis, ut supra in literis latissime extendendis, et quod praemissorum omnium, et singulorum, etiam denominationes, qualitates, nuncupationes, situationes, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possint in literis in forma gratiosa et cum clausula, perpetuo et ad perpetuam rei memoriam, et etiam per viam de curia, ut vocant, seu per viam secretam, absque alio signo, vel contrasigno, si videbitur expediendis, seu si etiam videbitur, volumus, quod sola praesentis nostri motus proprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio, et extra, regula quacumque contraria non obstante. Volumus etiam, quod praetextu totalis segregationis, separationis, et dismembrationis dictae vineae a praedicto monasterio, cuius fructus in libris camerae apostolicae ad florenos tercentum triginta sex cum duobus tertiis alterius floreni similis taxati reperiuntur, illiusque novae unionis, annexionis, et incorporationis cum bonis praedictae Congregationis nulla reductio taxae per abbates seu perpetuos commendatarios eiusdem monasterii pro tempore existentes praetendi queat, ex eo quod residui fructus ipsiusmet monasterii ad substinendam illius antiquam taxam satis superque sufficiunt, prout accepimus, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, et manu datarii, seu prodatarii pro tempore existentis subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Transumptis eadem fides adhibenda est ac praesentibus.

Fiat I. F.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem pridie idus septembris anno nono.

Data motus proprii.

Nihil quia factum principis.

Nuper Sanctitas Vestra ad consulendum bonae valetudini alumnorum collegii de Propaganda Fide, motu proprio acceptavit dimissionem cuiusdam vineae, ad monasterium Sancti Laurentii spectantem, ab eminentissimo Otthobono eiusdem monasterii abbate, sub canone per Sanctitatem Vestram praefiniendo, oretenus factam, eandemque vineam in perpetuum concessit Congregationi de Propaganda Fide, sub cuius directione et protectione extat dictum collegium, sub reservatione tamen novi consensus dicti Cardinalis, et iniuncto onere eidem Congregationi solutionis canonis scutorum centum favore abbatis pro tempore dicti monasterii, eximendo insuper ratione huiusmodi concessionis factae, ex causa propagationis Sanctae Fidei, dictam Congregationem ab onere solutionis Laudemii quocumque nomine nuncupati, et etiam quindennii quomodolibet debiti, etiam cancellariae officialibus, et alia ad eiusdem Congregationis favorem disposuit; quibus omnibus dictus Cardinalis novum praestitit consensum, servato dicti motus proprii themate; nunc vero pro maiori divini cultus incremento, in dicto collegio, ac etiam pro aliquo dictae Congregationis tot oneribus missionum praegravatae sublevamine, accedentibus etiam precibus Cardinalium Congregationis huiusmodi, cui idem eminentissimus Otthobonus, praevia sua epistola secretario directa, obtulit consensum pro infrascripta cassatione; eadem Sanctitas Vestra, ad validissimum effectum praesentis gratiae, motu simili consensum sic praestitum per epistolam, admittit, omnes defectus, si qui in illo intervenerint, sanando, cum opportuna derogatione regularum cancellariae, aliorumque contrariorum; ac dictam vineam, necnon huiusmodi Congregationem a canonis praedicti solutione in perpetuum liberat, illum cum dominio directo super eadem vinea a monasterio abdicando, dictumque dominium transferendo in Congregationem praedictam, ad cuius favorem hoc cum utili dominio consolidatum erit, et quatenus opus sit, canonem, et alia iura in primaeva concessione monasterio reservata, revocat, cassat, et annullat, dictamque vineam eidem Congregationi de novo, absque ullo prorsus onere, concedit, illam respectu huius novae concessionis eximendo a quindennio aliunde debito collegio Cardinalium, camerae et cancellariae, cum derogationibus amplissimis, et aliis gratiis latius in hoc motu proprio contentis, et sine praeiudicio primae con-

Summarium dicti motus proprii.

quieti et tranquillitati provide consultum est de aliquo ad amoenitatem facto loco, ubi vacationum tempore vel statutis horis intermisso studio honestae recreationis causâ conveniunt:

Desiderium Cardinalium S. Congregationis pro emptione alicuius vineae pro alumnor. Collegii de P. F. sublevamine.

§ 2. Hinc propterea Congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, quae cogitare et agere nunquam desinit ea quae primodictorum collegii et alumnorum bono profutura cognoscit, emptioni alicuius similis loci, seu vineae, prope et extra moenia Urbis, ubi iuvenes praedicti sanitatis vel oblectamenti causâ quandoque recreari et vires recipere valerent, pluribus ab hinc annis studiose incubuit, et nos postremo ad hunc effectum scuta quatuor millia monetae romanae obtulimus, ut ipsa Congregatio tot expensis missionum praegravata ab huiusmodi incommodo sublevaretur. Sed re ob enascentes passim difficultates hucusque protractâ (nam ubi inventa est opportunitas loci et salubritas aëris, defuit voluntas dominorum proprias vineas alienare renuentium, et ubi prompta erat occasio, deficiebant qualitates ad indigentiam exoptatae), dilectus tandem filius noster Petrus S. Laurentii in Damaso nuncupati, S. R. E. diaconus Cardinalis Ottobonus nuncupatus, eiusdem S. R. E. vicecancellarius, atque unus ex Cardinalibus praefatae Congregationis, adeo utilis et salutaris deliberationis effectum ulterius differri non patiens, menti ac intentioni nostrae et dictae Congregationis adhaerens, necnon zelo propagationis sanctae Fidei et conservandae bonae valetudinis alumnorum ad munus apostolicum, divinâ favente gratiâ, vocatorum ductus, vineam in contradâ Parioli in eminentiori situ extra muros praedictae Urbis positam, aëris saluberrimi, cum palatio et aliis mansionibus de pertinentiis monasterii abbatiae nuncupatae S. Laurentii extra muros praedictae Urbis S. Augustini canonicorum regularium seu alterius Ordinis, cuius ipse Petrus Cardinalis abbas seu perpetuus commendatarius ex commendâ ad sui vitam de praedicto monasterio eidem Petro Cardinali aliàs apostolicâ auctoritate factâ existit, sponte obtulit, et re ipsâ vineam praedictam in manibus nostris sponte et libere oretenus dimisit, cum reservatione tamen, favore abbatis seu commendatarii pro tempore existentis dicti monasterii, ne eidem monasterio ex dimissione praedictâ magnum inferatur praeiudicium alicuius perpetui canonis seu annuae responsionis, et cum aliis conditionibus nobis benevisis et dicto monasterio utilibus.

Concessio de qua in rubricâ.

§ 3. Nos itaque, qui primodicti collegii et alumnorum eius, quorum de praesenti numerus, comprehensis aliquibus iuvenibus Svetiae regni, ad quadraginta septem, ut accepimus, ascendit, statum prosperum et tranquillum intensis desideramus affectibus, ob laboriosum quem ipsi in vineâ Domini praestituri sunt famulatum, et propter uberes fructus quos in agro militantis Ecclesiae hactenus produxerunt utiliter ac producunt, ut in futurum producturos firmâ spe tenemus, ut iidem promptiores semper alacrioresque ad sua officia in dies persolvenda reddantur, dignum arbitramur et congruum sollicitudinis nostrae partes in id etiam adiicere, per quod alicui honesto eorum sublevamini et servandae corporum saluti consulatur; ea quippe est humanae naturae conditio, ut, nisi animus remissione quadam rigorem intentionis suae in-

---

cessionis, quam salvam esse vult, tantum in favorabilibus pro Congregatione, et collegio primodicto, et firma remanente antiqua taxa monasterii praedicti, quia ad illam substinendam reliqui fructus sufficiunt, et cum decreto solius signaturae, seu etiam expeditionis literarum per viam secretam, aut de curia, et quod transumptis manu datarii, seu prodatarii subscriptis, fides habeatur. A. Subdatarius.

Registrata libro decimo octavo secretorum folio quadragesimo octavo. A. de Laurentiis. F. Pertus. Gratis vigesima quarta septembris Maximilianus-Uslenghus.

Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nono, die vero duodecima septembris eminentissimus, et reverendissimus dominus Petrus Cardinalis Otthoboni per suam epistolam retroscriptae cassationi solutionis retroscripti canonis, ac literarum expeditioni consensit etc. M. Gaspar Stassart deputatus.

Qua quidem caedula motu proprii Sanctissimi Domini Nostri inspecta, praesens transumpti instrumentum confeci, ut illi fides habeatur, perinde ac suo originali. Actum ut supra, praesentibus dominis Antonio Giorgietto, et Ioanne Baptista Mazzucchello testibus etc. Praeinserta schedula motus proprii Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papae Undecimi cum decreto solius signaturae cum sua supplicatione originali revisa concordat.

I. B. Rioanti *Officialis deputatus.*

I. Card. Prodatarius.

Loco ✝ Sigilli.

Ita est. A. Petruccius
Rev. Camerae Apost. Secretarius.

Loco ✝ Signi.

De Turre et Ferrettus.

terdum relevet et relaxet, irremissò vigore lentescens spiritus, cum necessitas poscit, virtuti obsecundare non valeat. Spontaneam igitur aeque ac piam dicti Petri Cardinalis oblationem ac dimissionem praedictae vineae, ut supra in manibus nostris factam, et per nos motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine nuper acceptatam, denuo per praesentes acceptantes et confirmantes, accedente tamen, quatenus opus sit, novo ipsius Petri Cardinalis consensu, eamdem vineam, unâ cum palatio, tinello, ceterisque mansionibus et aedificiis in quacumque illius parte positis, ac eamdem vineam totam, quanta est intra suos notissimos fines (quos eisdem praesentibus, unâ cum praemissorum valore in proprietate ac annuis fructibus et redditibus, omnibusque et singulis aliis membris, iuribus et pertinentiis, haberi volumus pro singillatim expressis, itaut specialitas illorum generalitati non deroget), in perpetuum, motu proprio, concedimus praefatae Congregationi de Propagandâ Fide, illiusque fructus, redditus et proventus, detracto infradicendo canone, cum aliis illius fructibus dictae Congregationi unimus et ad commodum eiusdem Congregationis annectimus et incorporamus; deque praefatâ vineâ, accedente, ut supra, dicti Petri Cardinalis, uti èiusdem monasterii abbatis seu perpetui commendatarii, novo consensu, in perpetuum Congregationem praedictam, etiam pro sublevamine, augmento et conservatione alumnorum in praedicto eius collegio degentium, investimus. Canonem vero perpetuum, seu annuam et perpetuam responsionem eidem Petro Cardinali, quoad vixerit et monasterium huiusmodi obtinuerit, et cuicumque alteri eiusdem monasterii abbati seu perpetuo commendatario pro tempore existenti, ratione concessionis, unionis, annexionis et incorporationis praefatarum, annuatim, duabus aequalibus solutionibus, pro unâ videlicet in Domini nostri Iesu Christi a proxime venturâ incipiendo, et alterâ medietatibus canonis seu responsionis huiusmodi in S. Ioannis Baptistae immediate sequenti Nativitatum festivitatibus, et sic deinceps perpetuis futuris temporibus, de anno in annum, ac de termino in terminum, per Congregationem praefatam persolvendum seu persolvendam, in annuis scutis centum monetae romanae de iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi, motu pari, apostolicâ auctoritate, taxamus et reservamus, ac taxatum et reservatum, seu taxatam et reservatam esse volumus et decernimus, absque tamen ullo prorsus onere solutionis laudemii, seu, ut dicitur entraturae seu *capisoldi,* nec non quindennii, tam dicti monasterii abbati seu commendatario pro tempore existenti, quam aliis quibusvis personis seu collegiis Romanae Curiae, etiamsi speciali notâ dignae sint, etiam officialibus Cancellariae nostrae apostolicae quomodolibet debiti, a qua solutione, quatenus de iure deberetur, dictam Congregationem perpetuo, motu simili, eximimus et absolvimus et plenarie liberamus; adiectâ quoque reciprocâ conditione respectu Congregationis praedictae necnon abbatis seu perpetui commendatarii dicti monasterii pro tempore existentis, quod, si ipsa Congregatio non perciperet ex dictâ vineâ fructus annuae responsioni seu annuo canoni huiusmodi correspondentes, ac etiam, detractis expensis, si nulli prorsus fructus ex grandine, siccitate aut alio quocumque infortunio, etiam non cogitato, colligerentur, nihilominus ipsa Congregatio eiusque bona ad integram annuam responsionem seu integrum annuum canonem, ut supra taxatam seu taxatum, in perpetuum obligata sint et ad canonis seu responsionis huiusmodi annuam solutionem teneantur, prohibitâ quacumque spe restauri, remissionis seu reductionis canonis seu responsionis huiusmodi; et e converso, quod si fructus ex dictâ vineâ colligendi in quacumque summâ, etiam ultra dimidiam, seu bessem, annuam responsionem seu annuum canonem huiusmodi excederent, dicti monasterii abbates seu commendatarii pro tempore existentes nihil ultra praetendere possint, attento quod dimissionis, a dicto Petro Cardinali ut supra factae, totum commodum ac beneficium ad Propagationis Fidei et conservationis primodicti collegii alumnorum finem dirigitur; et hac lege ac hisce conditionibus ad concessionem et investituram huiusmodi devenire motu simili profitemur. Quibus salvis, liceat eidem Congregationi, eiusque ministris, quocumque nomine nuncupatis, corporalem dictae vineae possessionem, per se, vel alium, seu alios eorum nominibus, propriâ auctoritate, absque spolii et attentatorum vitio, libere apprehendere, et apprehensam retinere, eiusque fructus et emolumenta quaecumque colligere, exigere, levare, ac in suos primodictique collegii et alumnorum in eo degentium usus convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ.

Scuta quatuor millia ut supra oblata donantur pro fundatione unius alumnatus provinciae Albaniae.

§ 4. Ac insuper, ut Congregatio praedicta gaudere possit commodo et utilitate scutorum quatuor millia monetae praedictae per nos ut supra oblatorum, volumus eamdem summam quatuor millia scutorum monetae huiusmodi per dilectum filium nostrum Iosephum tituli S. Mariae de Transpontina nuncupatae eiusdem S. R. E. presbyterum Cardinalem Sacripantem nuncupatum, et nostrum prodatarium eiusdemque Congregationis praefectum, deponi in banco dilecti filii Francisci Monthioni seu S. Spiritus in Saxia nuncupati de Urbe ad creditum et dispositionem ipsius Congregationis, ad effectum tamen investiendi praefatam summam in tot locis montium cameralium non vacabilium, quorum fructus erogari debeant pro manutentione in primodicto collegio seu praefato seminario unius adolescentis ex provinciâ Epiri, vulgo Albania nuncupatâ, sub regulis et constitutionibus eiusdem primodicti collegii seu praefati seminarii recipiendi et alendi, prout recipiuntur et aluntur ceteri alumni qui ibidem de praesenti degunt et educantur, sublatâ inter ipsum alumnum Albanensem et alios quacumque prorsus differentiâ, novumque huiusmodi alumnatum ceteris usque modo erectis et institutis motu pari adiungimus et annectimus. Dictique alumni Albanensis nominationem pro tempore, quoties nominandi casus evenerit, postquam tamen sua studia compleverit dilectus filius Petrus Rozovik in dicto collegio de praesenti degens et nostris sumptibus hucusque ibidem retentus et educatus, ad ipsam sacram Congregationem in perpetuum spectare, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus itidem volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quopiam defectu notari, argui aut in controversiam ad quorumvis instantiam adduci, seu viâ (1) restitutionis in integrum vel reductionis ad terminos iuris aut aliàs quomodolibet revocari impugnarive posse, nec ex eo quod praemissa verificata non sint, aut quod ii, quorum interest, ad id vocati et auditi non fuerint, easdem litteras per subreptionem obtentas censeri, et propterea viribus carere, neque Congregationem praedictam illiusque ministros ad verificandum praemissa compelli et teneri, neque ob id nullas et irritas ac nullius momenti esse et fore censeri, sicque per quoscumque iudices, etc., etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales, etc., sublatâ, etc., iudicari debere, etc., irritumque, etc., attentari, etc. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon Lateranensis Concilii concessiones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac praedicti Urbani praedecessoris, necnon recolendae memoriae Symmachi, Pauli II., Pauli IV., et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac Pii IV. de gratiis Camerae Apostolicae interesse quomodolibet concernentibus in dictâ Camerâ intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes in eâ praesentari et registrari nullo unquam tempore vel modo necesse sit, ac beati Pii V., felicisque recordationis Sixti V., et dicti Urbani VIII., necnon Clementis X., et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, super solutione annatarum et quindenniorum quomodolibet editis, necnon aliis quibuscumque apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis et edendis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique monasterii et Ordinis praedicti, etiam iuramento, etc., roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis monasterio praedicto, illiusque abbatis et monachis seu canonicis regularibus, eidemque Congregationi, ac primodicto collegio seu praefato seminario, illius superioribus et personis, et aliis quibuscumque, in genere vel in specie, aut aliàs, in contrarium, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et etiam nos, etiam motu proprio, etc., concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etc., etiamsi de illis, etc., eorum tenores, etc., illis aliàs, etc., permansuris, ad praemissorum validissimum effectum, motu et scientiâ paribus specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis. *Fiat motu proprio.* I. F. — Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc., et quod dictae Congregationis seu primodicti collegii vel se-

(1) Potius lege *vi*.

minarii aliae concessiones, applicationes et gratiae ei illiusque alumnis quomodolibet concessae habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint in litteris, et de vineae praedictae concessione Congregationi huiusmodi seu primodicto collegio vel seminario praedicto, necnon de assignatione et donatione quatuor millia scutorum monetae huiusmodi, ad effectum reinvestiendi, ut supra, sub lege tamen et conditione fructus ex investimento huiusmodi proventuros integraliter erogandi, ut supra, nec non de perpetuâ reservatione iuris nominandi et eligendi alumnum ex provinciâ Epiri modo et formâ superius expressis, cum decreto, derogationibus, aliisque praemissis ut supra in litteris latissime extendendis; et quod praemissorum omnium et singulorum etiam denominatorum qualitercumque nuncupatorum situatio, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris in formâ gratiosâ, et cum clausulâ *perpetuo et ad perpetuam rei memoriam*, etiam per viam de Curiâ, ut vocant, seu per viam secretam, absque alio signo vel contrasigno, si videbitur, expediendis, seu, si etiam videbitur, volumus quod sola praesentis nostri motus proprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regulâ quacumque contrariâ non obstante, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, et manu datarii seu prodatarii pro tempore existentis subscriptis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur (1) quae eisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae: *Fiat* I. F.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, XI. kalendas iulii anno VIII., cum decreto solius signaturae, seu etiam expeditionis litterarum per viam secretam, aut de Curiâ, et quod transumptis manu datarii seu prodatarii subscriptis fides habeatur.

Novus consensus Cardinalis Ottoboni.

Die XXVII. iunii MDCCVIII. (2) eminentissimus et reverendissimus Cardinalis Ottobonus S. R. E. vicecancellarius novum praestitit consensum ad formam dicti motus proprii, ac omnia et singula in eo contenta ratificavit et approbavit, ut latius ex instrumento stipulato per acta domini Petrucci Camerae Apostolicae secretarii.

Emptio locorum montium ex scutis quatuor millibus.

Ex scutis quatuor millibus per sanctissimum dominum nostrum Clem. XI. pro fundatione alumnatus Albanensis elargitis, fuerunt empta loca trigintaquatuor Montium, nempe triginta ex Monte S. Petri (v. erect., ut ex litteris patentibus expeditis die XXI. iulii), et loca quatuor Montis Restaurati primae et secundae erectionum ex aliis litteris expeditis die XXI. eiusdem mensis iulii MDCCVIII.

XXIV.

Confirmat decretum magistri generalis eremitarum S. Augustini, quo revocatur alternativa in provinciâ B. M. V. de Gratia in Indiis Occidentalibus (3).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Augustinus Garzia de Galves, frater expresse professus ac in Romanâ Curiâ procurator provinciae B. Mariae Virginis de Gratiâ nuncupatae in Indiis Occidentalibus Ordinis Eremitarum S. Augustini, in sacrâ theologiâ magister, quod aliàs, videlicet die III. octobris proxime praeteriti, dilectus etiam filius Adeodatus Nuzzi, prior generalis Ordinis praedicti, decretum super nullitate alternativae dictae provinciae inter religiosos Hispanos in Europâ, et Hispanos ex aliâ parte in Americâ natos, *Crioli* vulgo nuncupatos, ab aliis tunc existentibus prioribus generalibus praedecessoribus suis in dicto decreto nominatis praescriptae, edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum prioris generalis.

Adeodatus Nuzzi ab Altamura, sacrae theologiae magister, totius Ordinis fratrum eremitarum Sancti patris nostri Augustini prior generalis. Muneris nostri ratio exposcit, ut, quae ad rectum provinciarum regimen spectant, efficaci sollicitudine promoveamus, eaque omnia removere satagamus quae in provinciis ipsis providam et fidelem bonorum administrationem, studiorum profectum, ac regularem disciplinam evertere ac dissipare moliuntur. Sane ex alternativâ in provinciâ nostrâ Deiparae Virginis de Gratia novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Hispanos inter ac Criollos, ut vocant, pro officio provincia-

---

(1) Vocem *habeatur* nos addimus.
(2) Male, ut puto, edit. Main. legit MDCCVII.

(3) Ex Regest. in Arch. Secr. Brev.

latus, definitorum et visitatorum a reverendissimo praedecessore nostro Philippo Vicecomite sub die XXIII. octobris anno MDCXLIX. institutâ, et deinde a reverendissimis pariter praedecessoribus nostris Dominico Valvasorio sub die IV. maii anno MDCLXXX., et Fulgentio Travallonio sub die XXII. ianuarii anno MDCLXXXIX. confirmatâ, quae tamen effectu suo caruit usque ad annum MDCLXXXI., resistente usque ad tempus illud statutae alternativae executioni provinciâ, utpote quae futura mala inde exoritura optime praevidebat, nullum revera in laudatam provinciam commodum, decorem nullum, quinimo gravissima detrimenta tam in temporalibus quam in spiritualibus redundare non sine ingenti cordis nostri dolore experimur. Nam (cum, ob parvum Hispanorum numerum eâdem in provinciâ commorantium, qui ternarium aliquando non excedunt, quique requisitis per sacras Ordinis constitutiones ad officia obtinenda praescriptis saepe saepius destituti reperiuntur, eligi necesse sit ex vi memoratae alternativae in definitores, in visitatores, et, quod lacrymabilius est, in provinciales etiam, viros inidoneos, indoctos, rerum agendarum inexpertos, nullâ virtute probatos, et aliquando a propriis provinciis exules atque profugos) dictu inexplicabile est quot et quae damna miserrima provincia sub talibus superioribus constituta patiatur; inde enim naturali quadam consecutione exoriuntur bonorum temporalium dilapidationes, litterarum contemptus, ac regularis disciplinae relaxatio. His propterea malis occurrere volentes, super quibus ut opportune provideamus instantissime nomine provinciae reverendus pater magister frater Augustinus Garzia de Galtes, eiusdem provinciae in hac Aulâ Romanâ procurator nos urget, re mature diuque in nostrâ Congregatione discussâ, nullum aliud remedium provinciae saluti consentaneum adhiberi posse iudicavimus, quam e medio tollere praedictam alternativam, nunc dictorum malorum causam, quamvis ex fine provinciae succurrendi a laudatis praedecessoribus nostris prudenter institutam et respective confirmatam. Harum itaque serie litterarum, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio admodum RR. PP. memoratae nostrae Congregationis, praedictam alternativam a Philippo Vicecomite in provinciâ nostrâ Deiparae Virginis de Granata (1) novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus institutam, et a Dominico Valvasorio, Fulgentio Travallonio, aliisque forsan praedecessoribus nostris confirmatam, irritamus, cassamus et annullamus, prout irritam, cassam et nullam esse et fore volumus, decernimus et declaramus: ac proinde damus et concedimus, seu verius restituimus eidem provinciae novi regni Granatensis plenam facultatem, quae ipsi de iure aliàs competit, sibi eligendi perpetuis futuris temporibus in provincialem, definitores, visitatores, priores et reliquos officiales, sive ex Hispanis, sive ex Criolis, eos viros quos ad praedicta officia respective adimplenda in Domino iudicaverint aptiores. Praecipimus vero omnibus et singulis nobis subditis, in virtute Spiritus Sancti et in meritum salutaris obedientiae, necnon sub rebellionis nostrae, privationis utriusque vocis, officiorum et graduum, ac etiam excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendae, quam, hac unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ, in his scriptis (licet inviti) ferimus, aliisque nostro arbitrio reservatis poenis, ne, ullo quaesito colore aut praetextu, sint impedimento, quominus praesentes nostrae litterae, quas firmas, validas et efficaces semper esse volumus, suos plenarios et integros effectus sortiantur et obtineant; irritum atque inane declarantes quidquid super his a quoquam nobis inferiore quomodolibet, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Datum in conventu nostro S. patris Augustini de Urbe, die III. octobris MDCCVII. — Fr. ADEODATUS NUZZI generalis magister. — Fr. IOSEPHUS MARCHETTI Forosemproniensis Ordinis secret.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Augustinus Garzia procurator praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Augustini Garziae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes

(1) Antea dicta fuit *de Gratiâ*.

et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, qui relationem dilecti filii nostri Iosephi Renati eiusdem S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, perpenderunt, consilio, praeinsertum memorati Adeodati prioris generalis decretum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. augusti MDCCVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XXV.

Declarat collegium de Propaganda Fide in Urbe exemptum a parocho S. Andreae de Fractis, cum novâ concessione exemptionis, illudque collegii rectori vel alteri subiicitur (1).

CLEMENS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Inter alia privilegia ab Urbano VIII. concessa extat exemptio a vicario Urbis et parocho, quae postea confirmata fuit.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet felicis recordationis Urbanus PP. VIII. praedecessor noster, per quasdam suas super erectione collegii seu seminarii apostolici de Propaganda Fide Urbani nuncupati de Urbe, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII., kalendis augusti, pontificatus sui anno IV., litteras, inter alia, dictum collegium seu seminarium, illiusque oeconomos, rectorem, ministros, praeceptores et alumnos pro tempore existentes, illorumque domesticos, officiales et ministros, ab omni iurisdictione tunc et pro tempore etiam existentis sui et Romanorum Pontificum successorum suorum in dictâ Urbe vicarii in spiritualibus generalis auctoritate apostolicâ exemerit, ipsisque collegio seu seminario, rectori, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus, ministris et personis, ut (2) quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis et indultis, quibus alia germanicae, anglicae et graecae nationum collegia in Urbe praedictâ instituta, illorumque rectores, scholares, praeceptores, magistri, oeconomi, officiales, ministri et personae, quovis modo utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant et possent quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia uti et gaudere valerent, dictâ auctoritate indulserit, adeoque eidem collegio, vigore indulti huiusmodi ac insuper nonnullorum decretorum die XXIX. aprilis ac die XII. augusti MDCXLVII. a Congregatione tunc existentium S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositâ editorum, et a recolendae memoriae Innocentio Papa X. praedecessore pariter nostro approbatorum, exemptionem a parocho, ac ius sepulturae pro alumnis et ministris ipsius collegii intra illius septa

(1) Ex Bul. P. de P. F. pag. 253, collat. etc. Vide in secunda parte huius op. decretum S. C. de Prop. Fide, datum Romae ex aedibus S. C. die XII. martii MDCCCLXXIII.

(2) Particulam *ut* nos addimus.

degentibus, ac administrandi illis SS. Eucharistiae, etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis sacramenta, iuxta aliorum collegiorum praedictorum, pacificâ possessione exemptionis et iuris huiusmodi gaudentium, consuetudinem, competere dignoscatur; nihilominus modernus parochus seu rector parochialis ecclesiae S. Andreae de Fractis nuncupatae de eâdem Urbe, Ordinis fratrum S. Francisci de Paula Minimorum etiam nuncupatorum, nuper sequuto obitu quondam Ioannis Patritii praefatae Congregationis Cardinalium ministri, litem dicto collegio coram dilecto filio nostro in Urbe praedictâ vicario in spiritualibus generali super consignatione cadaveris dicti Ioannis et emolumentorum parochialium moverit, emanato desuper quodam decreto provisionali, ac, sequuto pariter quondam Iosephi Zambecchini, alterius eiusdem Congregationis ministri, qui in saeculari et collegiatâ ecclesiâ S. Eustachii de dictâ Urbe, in qua canonicatum et praebendam, dum viveret, obtinebat, sepulturam sibi elegerat, obitu, quartam funeralium et alia iura parochialia praetenderit, ipsos Ioannem et Iosephum, licet, uti ministri huiusmodi ac intra collegii praedicti septa defuncti, nullatenus ei subessent, inter ceteros parochianos suos absque ullâ distinctione recensendo: hinc est quod nos, litem et causam huiusmodi dirimere, ac, ne ullae aliae similes controversiae dicto collegio in posterum inferantur, providere, eidemque collegio specialem gratiam facere volentes, necnon litis et causae earumdem statum et merita, ac dictum decretum provisionale, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, de Congregationis nonnullorum ex dilectis filiis Romanae Curiae praelatis super hoc negotio specialiter deputatae consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litem et causam huiusmodi, in statu et terminis in quibus de praesenti reperiuntur, a praedicto vicario nostro aliisque iudicibus quibuscumque ad nos harum serie avocamus, illasque perpetuo supprimimus et extinguimus, ac perpetuum desuper tam moderno quam pro tempore futuris dictae parochialis ecclesiae rectoribus seu parochis, aliisque quibuscumque, silentium imponimus, osque occludimus.

Declaratio exemptionis, eiusque nova concessio, et subiectio rectori collegii, vel alteri deputando, non tamen quoad sacramentum matrimonii.

§ 2. Praeterea collegium seu seminarium praedictum, eiusque ministros intra illius septa degentes, a quibusvis iuribus parochialibus exemptos esse tenore praesentium decernimus et declaramus; et nihilominus, ad maiorem cautelam, idem collegium seu seminarium, ac omnes et quoscumque illius ministros et officiales, rectorem, magistros seu lectores, alumnos et convictores, necnon famulos et alios praefatae Cardinalium Congregationi ac ipsi collegio quomodolibet inservientes, intra tamen eiusdem collegii ac illius palatii septa degentes, a parochia seu parochiali Ecclesiâ praedictâ, dictoque moderno ac pro tempore existente illius rectore seu parocho vel vicario curato, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, perpetuo eximimus et plenarie liberamus, eosque sic exemptos et liberatos moderno pariter et pro tempore existenti dicti collegii rectori, seu alteri ab eo vel a dictâ Congregatione Cardinalium deputando, in iis quae ad administrationem SS. Eucharistiae, etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis sacramentorum praedictorum, aliisque omnibus quae ad animarum curam spectant, penitus et omnino subiicimus, itaut cura personarum sic exemptarum ad rectorem collegii seu deputandum huiusmodi privative quoad praedictum parochum (exceptâ dumtaxat administratione sacramenti matrimonii quoad officiales et alios inservientes, qui hac tantum ratione parocho et parochiae praedictis subsint), tam super administratione omnium aliorum sacramentorum, quam iure sepeliendi in Ecclesiâ dictae Congregationis Cardinalium, absque ullâ quartae vel aliorum iurium parochialium, etiamsi in aliâ ecclesiâ sepultura electa fuerit, solutione, spectet et pertineat, ac spectare et pertinere debeat, non secus ac si palatium et collegium praedicta extra limites dictae parochiae sita, et ab eâ prorsus dismembrata essent, ipseque collegii rector unicus ac verus et proprius earumdem personarum intra ambitum palatii et septa collegii commorantium, et ut praefertur inservientium, parochus existeret. Quapropter dicto moderno et pro tempore existenti parocho districtius inhibemus, ne in posterum se in praemissis ingerere, ac desuper collegium, seu seminarium, ac personas et rectorem praedictos, seu eorum aliquem, molestare audeat quovis modo seu praesumat.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod dictus parochus, seu alii in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliàs speciali et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes litterae emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiata causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti posse; sed ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictos Cardinales et alios quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et in conciliis etiam universalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non parochialis ecclesiae praedictae, aliisque quibusvis, sub quibuscumque (1), etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem parochiali ecclesiae, dictoque illius rectori seu parocho, aliisque quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. augusti MDCCVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XXVI.

Confirmat indulgentias a praedecessoribus christifidelibus in Indiis concessas, et facultates praesbyter. Soc. Iesu renovat et ampliat quoad libros prohibitos ad viginti annos (2).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Animarum saluti paternâ caritate intenti supplicationibus dilecti filii Michaelis Angeli Tamburini Societatis Iesu praepositi

Petitio praepositi G. Soc. Iesu.

(1) Verba *sub quibuscumque* delenda.

(2) Ex vet. Bul. de Prop. Fide, vol. II., p. 3, col lat. etc. Vide supra, pag. 119, const. Alex. VIII. *Animarum saluti*, etc.

generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi:

Indulgentiam plenariam christifidelibus concedit.

§ 1. Omnibus christifidelibus in quibuscumque Oceani Indiis aut Sinarum regione vel Brasiliâ constitutis praesentibus et futuris, vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate et idololatriâ ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam; nec non eisdem etiam vere poenitentibus et confessis, S. Thomae apostoli in Indiis praefatis vel aliquam ex certis dilectorum filiorum presbyterorum Societ. Iesu ecclesiis illarum partium Deo vel in honorem Sanctorum erectis, nec non omnes et singulas huiusmodi ecclesias collegiorum, domorum et residentiarum eiusdem Societatis regionum praefatarum, saltem inter se per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus festis Domini nostri, B. Mariae Virginis, aut Sanctorum per dictae Societatis praepositum generalem designandis, visitantibus et inibi SS. Eucharistiae sacramentum sumentibus, et pro gentilium et haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam; omnibus etiam et singulis tam presbyteris quam aliis de dictâ Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae regione vel Oceani Insulâ aut navigatione pro fidei negotio eundo vel redeundo mori contigerit, in cuiuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis et confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter.

Scholaribus pariter concedit plen. indulgentiam.

§ 2. Scholaribus vero in utrâque Indiâ existentibus, ac confraternitati B. Mariae Virginis ibi canonice institutae adscriptis, qui in Annunciationis et Assumptionis ipsius B. M. V. festis dictum SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, et coronam vel tertiam partem Rosarii recitaverint, nec non utriusque sexus christifidelibus aliquam ex confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in festivitate SSmi Corporis Christi et illius octava poenitentes similiter et confessi idem SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, et in cuiuslibet eorum utriusque sexus christifidelium mortis articulo, etiam poenitentibus, et confessis ac sacra communione refectis, aut saltem contritis, si confiteri et communicare non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Item decem annorum.

§ 3. Insuper dictis scholaribus huiusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis eiusdem B. Mariae Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis D. N. Iesu Christi festivitatibus, si confessi et contriti praemissa peregerint, decem annorum de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis; eis quoque, qui in singulis diebus veneris cuiuslibet quadragesimae devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et haereticorum praefatorum iuxta ritum Ecclesiae Romanae institutis interfuerint, trium annorum; reliquis vero omnibus eisdem processionibus praesentibus, contritis et confessis, unius anni indulgentiam elargimur.

Indulgentia plenaria pro defunctis.

§ 4. Quodque pro animabus eorum christifidelium, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negotio fidei instituendis ab humanis in caritate Christo coniuncti decesserint, confessi ac sacra communione refecti, tertiam partem Rosarii aut unam coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus a poenis Purgatorii liberare valeant.

Privilegium tempore interdicti.

§ 5. Quodque scholares utriusque Indiae huiusmodi, qui in scholis presbyterorum dictae Societatis dant operam literis, in presbyterorum eorumdem ecclesiis missas vel alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis, ipsique presbyteri iisdem scholaribus praesentibus, ianuis clausis et non pulsatis campanis, et dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, ac interdictis et excommunicatis exclusis, audire et celebrare respective possint, concedimus, et indulgemus.

Indulgentia quadraginta dierum etc.

§ 6. Insuper praefatis omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus in Indiis et regionibus praefatis existentibus, qui contriti et confessi quamlibet ecclesiam et cappellam in eisdem partibus dictorum presbyterorum Societatis Iesu cura et opera, ut supra, erectam aut in futurum erigendam, devote visitaverint, et ut supra oraverint, quadraginta dies, et semel quolibet anno, aliquo die festo D. N. Iesu Christi, B. Virginis Mariae, aut Sanctorum, quem provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos et totidem quagragenas.

Indulg. stationum Urbis pro omnibus.

§ 7. Eisdem, qui aliquam ex praefatis ecclesiis dictorum presbyterorum Societatis

Iesu Quadragesimae et aliis temporibus stationum Urbis dominicis et feriâ sexta diebus visitaverint, easdem omnes et singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur, si ecclesias et basilicas Urbis in diebus stationum huiusmodi devote visitarent; illisque, qui singulis diebus feriae sextae primae hebdomadae cuiusque mensis easdem ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro exaltatione fidei catholicae recitaverint, septem annos; in festis vero D. N. Iesu Christi, ac B. Virginis, Apostolorum, sub cuius titulo ecclesia consistit, decem annos; his autem, qui aliquam ex dictis ecclesiis, postquam confessi SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, visitaverint, toties viginti annos;

Septem annorum ac totidem quadragenarum etc.

§ 8. Ac iisdem christifidelibus utriusque Indiae et transmarinorum limitum, qui processionibus, et precibus iuxta ritum S. R. E. a praefatis presbyteris de Ordinariorum licentia instituendis, et agendis Indorum, et Aethiopum, seu quorumvis aliorum neophytorum, et aliorum christianorum interfuerint, et eas associaverint, christianam doctrinam cum eisdem presbyteris, vel ab eis deputatis, recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos, et totidem quadragenas; invisentibus autem infirmos, et praesertim Indorum hospitalia xenodochia, et alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se, vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint viginti quinque, qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint quinquaginta. Eis etiam qui coram B. Mariae imagine ab almâ urbe ad collegium civitatis Limae in Perù (ut asseritur) delatâ tertiam Rosarii partem, vel coronam recitaverint, centum similiter dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus, ac respective concedimus, et indulgemus.

Facultates pro presbyteris Soc. Iesu permittendi matrimonia inter consanguineos, iuxta modum concessionis.

§ 9. Praeterea eiusdem Societatis Iesu provincialibus, vel ab eis deputatis presbyteris cum neophytis provinciarum utriusque Indiae, aliarumque maris Oceani regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, iuxta constit. fel. rec. Pauli III. editam existunt, in quocumque seu quibusvis, non tamen in primo, consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel aliàs coniunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto, remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen, dispensandi: et insuper ibidem locorum Ordinariis, ut de presbyterorum eorumdem tanquam adiutorum, et assessorum suorum in locis praefatis, et ubi eorum commode potuerit haberi copia, consilio, et cum illis etiam in iudiciali foro, in reliquis autem provinciis praefatis Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis ultra duas dietas praefatas, non minus ducentis millibus passuum remotis provincialibus, et deputatis presbyteris praefatis, cum eisdem neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi, et eos qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus, et excommunicationis, aliisque censuris, et poenis ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolvendi, et prolem inde susceptam legitimam decernendi.

Sumendi fragmenta eucharistiae post sacrificium.

§ 10. Necnon ipsis presbyteris in eisdem Indiis, et locis praefatis constitutis, quibus aliqua eucharistiae fragmenta seu minutiae pro tempore interciderint, etiam post peractum sacrificium, absque ullo conscientiae scrupulo, iuxta rabricas missalis romani reverenter sumendi.

Absolvendi a peccatis et censuris.

§ 11. Insuper presbyteris eiusdem Societatis Iesu, quos in saracenorum, et aliorum infidelium terras, et alias utriusque Indiae, et transmarinas regiones maris Oceani, ad quas Hispani, et Lusitani penetrant, ac provincias remotissimas, ubi non est inquisitio, et fideles inter infideles degunt, neque Ordinarii, saltem intra duas dietas, existunt huiusmodi facultatem habentes, praepositus generalis miserit, christianos in eisdem provinciis, Indiis, et regionibus commorantes ab omnibus peccatis, sententiis, et censuris, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis, et reservatis, etiam gratiose absolvendi facultatem;

Concionandi, confessiones audiendi etc.

§ 12. Eisdemque, ut semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad praedicandum, confessiones audiendas, et missas celebrandum in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu praefatae pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulterius licentiam et approbationem ab aliis Episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere, seu habere minime teneantur, sed absque illis praemissa facere possint. Si vero Episcopus ab ecclesiâ, vel loco ubi praedicatur, vel confessiones audiuntur, non distet ultra

praefatas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per epistolam etiam impetrari possit.

Celebrandi in altari portatili, utendi oleis sanctis antiquis.

§ 13. Possint etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubi non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam post meridiem, in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare, et in Maluco, Iappone, et aliis insularum, terrarum, provinciarum, et locorum praefatorum partibus, et locis a quibus valde remoti sunt Episcopi, oleis sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis libere uti possint.

Applicandi missas defunctorum per modum suffragii.

§ 14. Nec non, ut quicumque ex praefatis presbyteris Societatis praefatae tantum sacrosanctum missae sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vitâ in caritate Christo coniuncti decesserunt, in singulis ecclesiis Societatis Iesu, ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare celebraverint, per modum suffragii iisdem animabus prosint.

Solvendi a voto castitatis, et dispensandi supra impedimentis matrimonii.

§ 15. Postremo iisdem presbyteris a praeposito generali ex dictâ Societate deputandis, ut in praefatis regionibus, provinciis, et locis, in quibus similiter fideles cum infidelibus vivunt, et non adsunt Ordinarii, qui huiusmodi facultatem habeant, qui distant ultra duas dietas, cum neophytis, aliisque ad fidem reductis ex rationabili causâ, et legitimâ, super voto castitatis, non tamen solemni, quomodolibet etiam per Ordinis sacri susceptionem, vel professionis regularis in religione per Sedem Apostolicam approbatâ emissionem facto, et super matrimonio de facto, et in facie ecclesiae, sive scienter, sive ignoranter contracto, et quovis occulto impedimento, praeter primi gradus, propter quod tale matrimonium in conscientiâ esset invalidum, et contrahentes sine scandalo separari non possent, dispensandi, gratis tamen, et in foro conscientiae tantum; ac super bonis male acquisitis, ad quae restituenda ipsi neophyti et alii praefati incertis personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel, si ipsi indigerent, in toto vel in parte remittendi; nec non cum indis in foro conscientiae tantum, et cum neophytis in utroque foro, super ieiuniis, gratis tamen, dispensandi, nec non ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis, vel alia rationabili causâ, petere, in foro conscientiae tantum et gratis liberandi.

Permittendi bona male acquisita, liberandi a ieiuniis et dispensandi super petitione debiti matrimonialis.

Deinde licentiam legendi libros infidelium.

Licentiamque legendi libros infidelium, ac haereticorum, nec non quorumcumque aliorum, tam in indice romano, quam aliàs quomodolibet prohibitos, et damnatos, ad finem et effectum dumtaxat huiusmodi libros, vel haereses, et errores in eis contentos confutandi, ad breve tempus, vel quousque eiusmodi librorum confutandorum lectio necessaria fuerit, personis dignis concedendi facultatem, et potestatem, apostolicâ auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Celebrandi missas et ordines suscipiendi ante tempus.

§ 16. Missas quoque per horam ante auroram ipsi patres Societatis celebrare possint, et cum suis regularibus, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus.

Qui audiantur neophytorum nomine quorum gratia dantur facultates.

§ 17. Et insuper, quia a nonnullis dubitatum, seu haesitatum fuit, an omnes indigenae illarum regionum oriundi, et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati iure neophyti appellari possint, idcirco tenore earumdem praesentium decernimus, et declaramus, omnes oriundos, seu naturales supradictarum omnium tam orientalium, quam occidentalium partium, imo etiamsi aethiopes, angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii, et in infantiâ baptizati, vel etiam inter se, vel cum europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis huiusmodi effectum esse, et intelligi debere neophytos, dictosque presbyteros cum huiusmodi, ut vel matrimonio coniungi, vel in iam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis, et aliàs ut supra in quibuscumque consanguinitatis, vel affinitatis gradibus iure divino, ut supra non prohibitis, primo excepto, et aliàs ut praefertur, gratis tamen dispensare posse concedimus, et indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, maius dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praefatis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare eisdemque presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Clausulae.

§ 18. Decernentes, presbyteros dictae Societatis super praemissis, et aliis iuxta facultates praefatas, et illarum vigore, servatâ tamen illarum formâ exequendis ex quovis alio praetextu, vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios superiores, et iudices ecclesiasticos et saeculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse. Sicque in praemissis per quoscumque iudices, sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio.

§ 19. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis costitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praefinitur tempus concessionum.

§ 20. Praesentibus ad viginti annos a fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiae a fel. rec. Alexandro PP. VIII. praedecessore nostro concessae fuerunt inchoandos, tantum valituris.

Fides transumptis.

§ 21. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis, vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. septembris MDCCVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XXVII.

Confraternitatem Stauropigianam rutheni ritus Leopoli erectam et Monasterium S. Onuphrii ad illam spectans eximit a iurisdictione Episcopi Leopoliensis, atque in tutelam suam et Sacrae Congregationis suscipit (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa postulat, ut ea quae piorum locorum quorumlibet, praesertim confraternitatum ac domorum regularium tranquillo statui felicique progressui conducunt, libenter concedamus prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Itaque dilectos filios officiales et confratres Confraternitatis Stauropigianae nuncupatae Ruthenorum cum S. R. Ecclesiâ unitorum in civitate Leopoliensi sub titulo seu invocatione Assumptionis Beatae Mariae Virginis canonice, ut asseritur, erectae, nec non monachos monasterii S. Onuphrii Eremitae nationis eorumdem Ruthenorum prope et extra moenia eiusdem civitatis siti et ad dictam Confraternitatem spectantis, ut apostolico praesidio suffulti a quibusvis perturbationibus et gravaminibus releventur et in suâ vocatione utilius perseverent; specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem praedictam, illiusque officiales et confratres, ac monachos aliasque personas praedicti monasterii, eorumque res et bona quaecumque nunc et pro tempore existentia, ab omni et quacumque iurisdictione, correctione, visitatione, superioritate et potestate moderni et pro tempore existentis Episcopi Leopoliensis Rutheni illiusque officialium et ministrorum quorumcumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, tam universim quam singillatim perpetuo eximimus et liberamus, illosque et illas sub B. Petri, ac nostrâ et Sedis Apostolicae, et Congregationis ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositae protectione suscipimus, nobisque et pro tempore existenti Romano Pontifici et Congregationi praefatae etiam perpetuo subiicimus, itaut modernus et pro tempore existens Episcopus praedictus eiusque officiales et ministri ullam quovis praetextu et ex quacumque causâ in Confraternitatem, monasterium et monachos eiusmodi, eorumque res et

---

(1) Ex Bul. P. de P. F. app. vol. I., pag. 378, collat. cum Reg. Br.

bona iurisdictionem, correctionem, potestatem et superioritatem habere et exercere minime possint.

§ 2. Decernentes praesentes literas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, necnon Confraternitati, Monachis et aliis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Neque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Quocirca ven. pariter fratri Nicolao Archiepiscopo Thebarum, nostro et Apostolicae Sedis in regno Poloniae Nuntio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium vel alicuius eorum desuper fuerit requisitus, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos omnes et singulos earumdem praesentium et in eis contentorum quorumcumque commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis processibus sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 4. Non obstantibus felic. record. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de unâ ac concilii generalis de duabus dictis aliisque apostolicis, ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis tenore eorum praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die V. aprilis MDCCIX., pontificatus nostri anno IX.

XXVIII.

Unionem instituit Collegiorum Pontificiorum S. Nicolai de Annexiaco et S. Petri ad Vincula de Ruvere (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Coelestis Patris familias, cuius est vocare ea, quae non sunt, tanquam ea quae sunt, inscrutabili dispositione, in suprema Beati Petri Apostolorum principis cathedra, meritis licet imparibus, collocati, inter multiplices, atque gravissimas, quibus undique premimur, pastoralis officii curas, ad ea peculiarem vigilantiae nostrae solicitudinem propensissima caritate convertimus, quae bonarum literarum, liberaliumque disciplinarum utilitatem, et incrementa respiciunt, nec non collegiorum, aliorumque eiusmodi piorum locorum, quae ad ipsa excolenda literarum studia, honestisque moribus et virtutibus ornandam, ac vera pietate sanaque doctrina imbuendam iuventutem ubilibet erecta sunt, felici statui, prosperoque regimini conducibilia, et salutaria esse possunt; ac ordine etiam, et consuetudine in illis mutata, sicut rerum usus, et eventus, ac ipsa temporum ratio quandoque postulat, ea decernimus, quae, omnibus maturae considerationis trutina perpensis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Utrumque Collegium Urbanus VIII. subiecit iurisdictioni S. Congregat. Propagandae Fidei.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate nostra Avenionensi unum Sancti Nicolai de Annexiaco, magnum nuncupatum, et alterum Sancti Petri ad Vincula, de Ruvere etiam nuncupatum, collegia pro recipiendo, alendo, ac instituendo in eis certo collegialium seu alumnorum numero ex provinciis et locis in eorum funda-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide, vol. I., pag. 257, collat. etc.

tione expressis evocandorum, dudum apostolica auctoritate, aut alias, instituta, erecta et dotata fuerint; eaque subinde, et eorum quodlibet, necnon utriusque collegii rectores, magistri, scholares, aliique ministri, et personae quaecumque, ac insuper bona, iurisdictiones, proventus, iura, et emolumenta, ecclesiae etiam, et cappellae ad ipsa collegia quomodolibet pertinentes, et pertinentia a fel. rec. Urbano VIII. praedecessore nostro ex certis tunc expressis causis perpetuo subiecta ac supposita fuerint omnimodae iurisdictioni, gubernationi, regimini, protectioni, et directioni venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, et aliàs, prout in eiusdem Urbani praedecessoris literis apostolicis anno Incarnationis Dominicae MDCXXXIX. IV. kal. iunii desuper expeditis, incipientibus *Iniuncti nobis desuper apostolici muneris*, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae translationis alumnorum collegii S. Petri ad collegium S. Nicolai de Annexiaco, et perpetuae unionis utriusque collegii.

§ 2. Nuper autem ex relatione status praedictorum collegiorum comperto, quod collegialium, seu alumnorum, disciplina ob statutorum utriusque collegii neglectum ac inobservantiam fere penitus collapsa esset, et contra fundatorum mentem ac dispositionem, pontificiasque constitutiones pro salubri eorumdem collegiorum regimine editas, multi graves in eis, praesertim circa gubernium, studia, et mores alumnorum, irrepsissent abusus et corruptelae, iidem ven. fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi pro eximia eorum prudentia singularique zelo, eiusmodi abusibus et corruptelis occurrere intendentes, non ita pridem alumnos secundodicti collegii S. Petri ad Vincula de Ruvere transferendos curaverint ad primodictum antiquius collegium S. Nicolai de Annexiaco, ibique educari, ac in disciplinis ab eorum fundatore praescriptis diligenter institui mandaverint, una cum caeteris alumnis eiusdem collegii S. Nicolai de Annexiaco, amborumque collegiorum regimen, administrationem, atque gubernium dilecto filio Iacobo Philippo Viganego sacerdoti Congregationis Missionis, ad eorumdem Cardinalium beneplacitum, tradiderint, et commiserint. Quod cum, benedicente Domino, in haud modicam utriusque collegii alumnorum cesserit utilitatem, iidemque alumni in primodicto collegio S. Nicolai de Annexiaco nunc religiosius educentur, et literarum studiis fructuosius vacent, magna proinde spes concepta sit, ut si praefata collegia insimul perpetuo unirentur, et in unum corpus coniungerentur, magnum eiusmodi unio ipsis collegialibus et alumnis commodum allatura foret et emolumentum, ac inter eos laudabilium disciplinarum, christianarumque virtutum studia instaurari, ac reflorescere, et, adiuvante Domino, maiora in dies suscipere possent incrementa.

Unit perpetuo utrumque collegium cum omnibus eorum bonis, ac iuribus quibuscumque.

§ 3. Hinc igitur est, quod nos ex pastoralis muneris nostri debito eorumdem collegiorum felici directioni et commodis, salubriter, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, et attendentes eorum statum per illorum in unum idemque corpus reductionem melius conservari, ac fructuosius dirigi posse, necnon erectionis ac institutionis praedictorum Sancti Nicolai de Annexiaco et S. Petri ad Vincula de Ruvere collegiorum, ac quarumcumque unionum iis hactenus quomodolibet factarum integros tenores, necnon utriusque collegii ac illis annexorum fructuum, redditaum, et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, habita etiam super eorumdem collegiorum unione cum praefatis venerabilibus fratribus nostris matura consultatione, collegia praedicta S. Nicolai de Annexiaco et S. Petri ad Vincula de Ruvere nuncupata cum omnibus et singulis illorum aedificiis, domibus, membris, urbanis et rusticis praediis, feudis, iurisdictionibus, villis, agris, censibus, redditibus caeterisque bonis mobilibus, immobilibus, ac semoventibus, iuribus quoque et actionibus universis, necnon ecclesiis, cappellis, prioratibus, beneficiis, granciis, suppellectilibus sacris, et pertinentiis quibuscumque ad praefata collegia quomodolibet spectantibus, quaecumque, quotcumque, qualiacumque, et ubicumque sint, sine tamen ullo iurium nominationis ad loca alumnorum collegiorum eorumdem legitime obtinentium praeiudicio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo invicem, ac aeque principaliter unimus, annectimus, et incorporamus, itaut ex illis duobus unicum dumtaxat collegium S. Nicolai de Annexiaco et S. Petri ad Vincula de Ruvere de caetero nuncupandum efficiatur et esse debeat, et ab uno tantum rectore deinceps gubernetur et administretur, liceatque di-

lecto filio moderno et pro tempore existenti rectori eiusdem collegii realem et corporalem possessionem dictorum collegiorum S. Nicolai de Annexiaco et S. Petri de Ruvere eisque annexorum aedificiorum, membrorum, praediorum, villarum, agrorum, feudorum, iurisdictionum, ecclesiarum, cappellarum, suppellectilium, iurium, actionum et pertinentiarum omnium quarumcumque per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, et emolumenta quaecumque in communes collegii S. Nicolai de Annexiaco et S. Petri de Ruvere huiusmodi, ut praefertur, perpetuo uniti usus et utilitatem, supportatis tamen antedictorum collegiorum eisque annexorum oneribus, si quae sint, convertere et erogare, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Indulta ambobus collegiis olim concessa invicem communicat, et ad collegium ex utroque conflatum extendit.

§ 4. Omnia insuper et singula privilegia, indulta, exemptiones, libertates, immunitates, facultates, iurisdictiones, concessiones et alias gratias spirituales et temporales tum a fel. rec. Martino V. et Calisto III., tum ab aliis quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris tam antedicto S. Petri ad Vincula de Ruvere, quam pariter antedicto S. Nicolai de Annexiaco collegiis, illorumque respective protectoribus, rectoribus, oeconomis, magistris, praeceptoribus, et scholaribus, eorumque domesticis, officialibus, ministris et bonis quibuscumque per viam communicationis, et alias quomodolibet concessa alteri ex iisdem collegiis eiusque pro tempore existentibus alumnis, officialibus, ministris, et bonis, pariformiter et aeque principaliter absque ulla prorsus differentia in omnibus et per omnia, perinde ac si illis specialiter concessa fuissent, invicem communicamus, et ad universum collegium ex utroque, ut praefertur, conflatum eiusque omnes et singulas personas et bona quaecumque earumdem tenore praesentium extendimus et ampliamus.

Eximit collegii personas et bona a iurisdictione Archiepiscopi Avenionen. atque Parochi, et ea perpetuo subiicit iurisdictioni S. Congreg. Propag. Fidei.

§ 5. Idemque collegium eiusque, ut supra, personas ab omni et quacumque superioritate et iurisdictione, etiam delegata, venerabilis fratris, nunc et pro tempore existentis Archiepiscopi Avenionensis, et aliorum omnium quacumque dignitate fulgentium, etiamsi specialem requirerent mentionem, atque etiam ab omni parochi iurisdictione, superiorirate ac iuribus parochialibus in omnibus et per omnia, ad instar tamen exemptionis a nobis nuper per literas in forma Brevis sub datum Romae die XVIII. augusti MDCCVIII. Collegio nostro Urbano de Propaganda Fide concessae perpetuo eximimus, disiungimus, et liberamus; ipsumque collegium ac eius personas, nec non etiam bona, iurisdictiones, proventus, iura, emolumenta, ecclesias, cappellas aliasque res omnes et singulas, tam ecclesiasticas, quam profanas, omnimodae iurisdictioni, gubernationi, protectioni et directioni nunc et pro tempore existentium praefatorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo subiicimus et submittimus, iisque in omnibus et per omnia subesse volumus et declaramus, quemadmodum ipsis utrumque collegium eiusque personas et bona quaecumque ante huiusmodi unionem subesse voluit et mandavit fel. rec. Urbanus VIII. praedecessor noster per suas, ea de re, ut praefertur, editas literas, quas, quatenus opus sit, confirmamus et ampliamus, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari mandamus. Iisdemque Cardinalibus pro salubri directione et conservatione dicti collegii illiusque bonorum, rerum et iurium tam temporalium quam spiritualium, quaecumque statuta, et ordinationes, aequa tamen et honesta sacrisque canonibus et Concilio Tridentino non repugnantia faciendi, edendi, eaque, cum opus visum fuerit, immutandi, corrigendi, et revocandi amplam tribuimus facultatem. Quae quidem ordinationes et statuta postquam facta, edita, immutata, correcta, revocata, aut de novo condita fuerint, perinde haberi volumus, ac si auctoritate apostolicâ approbata ac confirmata essent, illaque ab omnibus et singulis, ad quos spectabit, inviolabiliter observari mandamus. Ipsis insuper Cardinalibus, ut potestatem seu auctoritatem eis, ut supra, concessam circa praemissa vel eorum aliquod ac in toto vel in parte Legatis seu Prolegatis Avenionen. pro tempore existentibus communicare possint, prout in Domino magis expedire iudicaverint, benigne concedimus ac indulgemus.

Collegii personis et bonis communicat omnia privilegia a Sede Apostolica Collegio Urbano de Propaganda Fide concessa.

§ 6. Ad haec eidem collegio eiusque personis et bonis, ut supra, ut omnibus et singulis privilegiis et gratiis, indultis, tam spiritualibus, quam temporalibus, praerogativis, honoribus, favoribus, immunitatibus, et exemptionibus, a pluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Se-

de Apostolicâ Collegio nostro Urbano de Propaganda Fide quovis modo et qualitercumque concessis, uti, frui, potiri et gaudere licite possint et valeant (excepta dumtaxat facultate tribuendi lauream doctoralem, quam in Avenionensi nostra vel in alia ex publicis et approbatis universitatibus alumni accipere teneantur) motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus concedimus et indulgemus.

Collegii administrationem committit Sacerdotibus Congregationis Missionis provinciae Romanae, ad beneplacitum tamen sac. Congreg. Propagandae Fidei.

§ 7. Curam autem, directionem et administrationem praefati collegii eiusque bonorum, dilectis filiis sacerdotibus congregationis Missionis provinciae romanae, quorum fidei, prudentiae ac zelo plurimum in Domino confidimus, committi et demandari, et ex eorum numero eiusdem collegii pro tempore rectorem assumi ac deputari volumus, ita tamen ut tam rector, quam sacerdotes praefati ad eorumdem Cardinalium Congregationis Propagandae Fidei merum, liberum et absolutum beneplacitum eiusmodi curam et administrationem gerere et exercere debeant, illisque in iis quae praedictam curam et administrationem respiciunt (salva in caeteris eorum instituti observantia), omnino subsint, et ab eis etiam absque ulla prorsus causa, quotiescumque ita expedire videbitur, ab ipsa administratione amoveri possint, aliique in eorum locum, etiam extra praefatam Congregationem Missionis, assumi et subrogari.

Vestes praescribit ab alumnis deferendas, et literarum studia, quibus vacare debent.

§ 8. Ceterum utriusque memoratae fundationis alumni vitam ecclesiasticam tam in collegio quam extra illud agere et servare, ac vestibus clericali ordini congruentibus uti debeant. Alumni tamen collegii S. Petri ad praestandum obeundarum apostolicarum missionum iuramentum, quod ab alumnis in Collegio nostro Urbano degentibus emitti solet, minime cogantur; quo vero ad alumnos alterius collegii Sancti Nicolai consuetudo observetur. Nihilominus utriusque collegii alumni ea omnia, quae ab eorum fundatoribus praescripta sunt, sedulo adimplere et exequi teneantur, dummodo contentis in hisce praesentibus nostris literis non obstent, ac in primis ad studia literarum strenue et diligenter incumbant; scilicet alumni collegii S. Nicolai philosophiae et sacrae theologiae dumtaxat, alumni vero collegii S. Petri iuri canonico et civili vacent, et, si velint, philosophiae quoque et s. theologiae operam dare possint.

Defectus quoscumque supplet cum clausulis praeservativis amplissimis et decreto irritanti.

§ 9. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quovis modo praetendentes cuiusvis status, gradus, praeeminentiae, superioritatis, ordinis, conditionis et dignitatis existant, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, aut alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate praediti, seu alias speciali et individua mentione et expressione, digni sint, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae et verificatae et sufficienter aut ullo modo iustificatae non fuerint, vel ex alia quacumque, quantumvis iusta, iuridica, pia, et privilegiata causa, occasione, colore, ingenio, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae seu ius vel interesse habentium seu habere praetendentium consensus, aliove quovis, quantumlibet magno, formali, substantiali, ac incognito et inexcogitabili necessarioque, et specificam expressionem requirentem defectu notari, infringi, impugnari, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas et illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes literas sub quibusvis similium vel dissimilium unionum, coniunctionum, statutorum, ordinationum, concessionum, indultorum revocationibus, restrictionibus, limitationibus et derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices successores nostros sedemque praedictam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et alicui quomodocumque et quandocumque faciendis umquam comprehendi et comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per eos, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, quandocumque eligenda concessas intelligi, semperque et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore,

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam S. R. E. Cardinales de latere Legatos et dictae Sedis Nuntios aliosque quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores designat A. C. Prolegatum Avenionensem, et officialem Archiepiscopi itidem Avenionensis.

§ 10. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori ac prolegato avenionensi, necnon officiali venerabilis fratris nostri Archiepiscopi avenionensis per apostolica scripta motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo vel unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dd. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei, ut praefertur, praepositorum, seu aliorum ab eis deputatorum, vel deputandorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praedictis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes literas ab omnibus, quos illae concernunt, firmiter et inviolabiliter observari, non permittentes eos desuper per quoscumque directe vel indirecte quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, legitimis super his habendis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis quibuscumque amplissime derogat.

§ 11. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes, vocatis, quorum interest, aliisque nostris et Cancellariae apostolicae regulis, necnon lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac fel. rec. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictorum collegiorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis, eorumque rectoribus, scholaribus et personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in specie, motu simili, et ex quibusvis causis, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis, servatis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, ac plenissime et amplissime derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Poena in contrafacientes.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae unionis, annexionis, incorporationis, communicationis, extensionis, exemptionis, confirmationis, concessionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCIX., III. idus maii, pontificatus nostri anno IX.

XXIX.

Confirmat regulas pro collegio Assisiensi missionariorum Ordinis Minorum Conventualium (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Crediti nobis caelitus sacrosancti apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quae pro collegiorum, seu seminariorum, christianae religionis propagandae catholicaeque fidei tuendae consilio sapienter institutorum, directione felicique progressu provido constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis adiungamus firmitatem.

A Sanctitate Suâ mandatum fuerat, ut quidam religiosi Ordines instituerent collegium missionariorum in aliquo coenobio ad instar illius S. Pancratii et S. Petri de Urbe.

§ 1. Exposuerunt siquidem nobis nuper venerabiles fratres nostri S. R E. Cardinales, negotiis Propagandae fidei praepositi, quod (cum nos aliàs, iuxta decretum quod prius, nempe in Congregatione eorumdem Cardinalium die III. octobris. MDCCVII. coram nobis habitâ, edideramus (2), dilectis filiis quorumdam religiosorum Ordinum superioribus praecepissemus, ut omnino et quamprimum suo quique in Ordine conventum aliquem veluti pro seminario missionariorum, ad instar seminariorum seu collegiorum in S. Pancratii prope et extra muros Urbis Ordinis fratrum Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, et S. Petri in Monte Aureo de eâdem Urbe Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum etiam nuncupatorum conventibus respective institutorum, deputarent, in quo diu ac diligenter vocatio et spiritus eorum, qui missionibus destinarentur, probaretur, illique etiam ibidem de omnibus, quae ad hoc apostolicum ministerium cum laude et fructu exercendum utilia et necessaria forent, plene instruerentur; quatenus vero in aliquo Ordine conventus huiusmodi destinatio ad hunc effectum tantum non tam cito fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo conventu vel domo eiusdem Ordinis, ubi regularis observantia magis vigeret, executioni mandarentur) novissime, nempe die XXIII. septembris MDCCIX., memorati Cardinales collegium seu seminarium huiusmodi pro missionariis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, re mature discussâ, in conventu assisiensi eiusdem Ordinis, iuxta oblationem dilecti filii moderni ministri generalis ipsius Ordinis, donec aliter provideatur, destinandum esse decreverunt, ac proinde dilecto filio nostro Iosepho eiusdem S. R. E. Cardinali Vallemano nuncupato, Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectori, necnon dilecto filio magistro Sylvio de Cavaleriis in utrâque signaturâ nostrâ referendario, dictae Congregationis Cardinalium secretario, ut regulas pro eiusdem collegii seu seminarii salubri directione ad instar duorum praefatorum collegiorum S. Pancratii et S. Petri in Monte Aureo conficerent, prout ab eis reipsâ confectae fuerunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Collegium Assisiense Minorum Conventualium institutum.

Regulae referuntur.

De loco collegii.

I. Pater generalis destinet et assignet locum seu dormitorium in dicto conventu assisiensi cum suis cellis pro decem saltem religiosis, quae sint distinctae et separatae ab aliis dormitoriis, necnon alias cellas in eodem loco sive alio huic viciniori pro lectoribus iuxta numerum inferius praefigendum, cum inscriptione apponendâ in principio vel in parte aptiori dicti dormitorii assignandi: *Collegium*, seu, *Seminarium missionum.*

Qualitates eligendorum pro collegio.

II. Cum munus missionum vere sit apostolicum, incumbat idem pater minister generalis eligere religiosos regulari disciplinâ, probitate morum, ac zelo gloriae Dei praeditos, et ad animarum salutem eximiâ caritate accensos, qui, velut candelabra super montium iugis sita, tenebras tam infidelitatis quam haereseos pro viribus dissolvant, quique nec minores sint annis viginti quinque, nec trigesimum quintum excedant, ac robustâ corporis valetudine polleant, aptique sint ad laborandum in vineâ Domini, theologiae quoque cursum expleverint, ac lectores seu concionatores fuerint, aut saltem in morali theologiâ versati; et non ex solâ Italiâ, sed ex omnibus provinciis advocari curet, et plures etiam ex unâ provinciâ; si tamen possibile sit, maior pars colligatur ex provinciis Status Ecclesiastici, dummodo praedictas qualitates habeant; moneatque insuper provinciales, guardianos aliosque, si opus fuerit, religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant; et, contra tales dissuadentes et male consulen-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Decretum de quo agitur vide in sec. parte huius op.

tes, poenas comminetur privationis activae et passivae vocis, aliasque arbitrio sacrae Congregationis.

Quid ab iis peragendum in ingressu.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem aut saltem octo dies, cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum; et deinde immediate in manibus patris generalis, aut, eo absente, ipsius vicarii, vel alterius ab eo deputandi, iuramentum iuxta infrascriptam formulam praestent, illudque ad sacram Congregationem transmittatur.

Formula iuramenti talis est:

Formula iuramenti.

Ego frater N., professus in conventu N. provinciae N. Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci, iuro et promitto in manibus paternitatis vestrae reverendissimae N. (sive patris vicarii aut superioris) conventus S. Francisci Assisiensis, ab hoc seminario non discessurum, neque discedere procuraturum, mediate vel immediate, per me vel per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ a paternitate vestrâ reverendissimâ vel a vestris successoribus canonice intrantibus, et non aliàs, etc. Insuper, pro fidei catholicae propagandae causâ ac salute infidelium procurandâ, ad eum locum, provinciam seu regnum sine aliquâ repugnantiâ aut exceptione quandocumque iturum, ad quam seu quod a paternitate vestrâ reverendissimâ ero destinatus et missus. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Ego NN. affirmo, ut supra, manu propriâ.

Quamdiu ibi debeant morari.

IV. In dicto seminario permaneant spatio duorum annorum, et non ultra, nisi fortasse cum aliquo, ob insignis spem profectus vel aliâ legitimâ causâ, censuerint lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis patris generalis et sacrae Congregationis.

Censendi sunt tamquam de familiâ.

V. In omnibus collegiales subsint, prout etiam lectores, obedientiae guardiani, sicuti ceteri fratres de familiâ, ac ceteri lectores; ac de his habeatur, dum in seminario permanserint, eadem ratio, ac si huius provinciae fratres essent, tum circa praecedentiam iuxta susceptionem habitus, tum circa reliqua eorum religiosis necessitatibus convenientia, de quibus pater guardianus, non secus ac reliquos sui conventus fratres, eos providebit, sub iisdem poenis quae contra guardianos id ipsum suis fratribus praestare negligentes a statutis decretae sunt; vestiarium vero pater generalis vel a propriis provincialibus eis debito tempore vel a guardiano Assisii, pro cuius intentione studentes ac lectores missas celebrare debeant, subministrari curet.

Hortum eis concedendum.

VI. Concedat guardianus huiusmodi collegialibus parvum hortum cum suâ serâ, si commode fieri poterit, ubi seiunctim ab aliis honeste refici, ac invicem in linguis cum suis lectoribus sese exercere valeant.

De numero et electione lectorum.

VII. Duo semper in hoc seminario ad minus adsint lectores, controversiarum alter, et alter, seu plures, qui calleant linguam, qua utuntur Peloponesenses, Costantinopolitani, Transilvani, Moldavi, Valachi, in quorum regionibus dicta religio missiones habet; ita tamen, ut, nonnisi praevio examine coram superiore generali faciendo sive per eum delegando, et confirmatione sacrae Congregationis, admittantur, iisdemque iniungatur serio sedulitas et assiduitas in lectionibus, repetitionibus et exercitiis.

Privilegia eorumdem.

VIII. Fruantur lectores, sic electi et confirmati, praecedentiâ et praeeminentiâ, ac privilegiis, quibus lectores actuales theologiae potiuntur.

Eorum onera.

IX. Lector controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones controversiarum utiles pro dictis locis, ad quae alumni huius seminarii sunt destinandi; et post vesperas earumdem habeat conferentias, frequentibusque exercitiis studentes instituat; singulis vero mensibus traditae doctrinae disputationes habeantur, intervenientibus etiam aliis lectoribus et religiosis eiusdem conventus. Alii vero lectores linguarum ter in hebdomadâ legant, et rerum, quas studentes docuerint, repetitionem ab eis exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post vesperas auditores suos exercendo.

De egressu e conventu.

X. Prohibetur aeque lectoribus ac studentibus diebus lectionum a conventu egredi quacumque de causâ, nisi expletis integre lectionibus ac exercitiis eâ die qua fieri debebunt, et in hoc guardianus diligenter incumbat; et si theses eâdem die habeantur, guardianus, si ita expedire videbitur, absolute licentiam deneget.

Interdicitur susceptio aliorum munerum.

XI. Interdicitur pariter lectoribus aeque ac alumnis quadragesimalium concionum cursus aggredi, et solummodo permittatur studentibus sermonem aliquem aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem, aut quadraginta horarum, ac similiter in mensâ vel in conventu, ad hoc ut prompti sint ad huiusmodi exercitium subeundum tem-

pore missionum, dummodo per id a studiis praedictis nulla penitus distractio sequatur.

Superiores corrigant negligentes.

xii. A lectionibus, repetitionibus ac exercitiis utriusque studii nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse; et si quis neglexerit, a guardiano corrigatur; idemque fiat si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus aut in dictis studiis desidiosum reperiat, et tam lectores quam guardianus de omnibus superiorem generalem ac etiam sacram Congregationem certiorent.

De thesibus.

xiii. Senis quibuscumque mensibus theses theologicae illyricâ seu alterâ linguâ et latino idiomate habeantur, quibus guardianus interesse teneatur, ad dignoscendos eos qui proficiunt, et monere debeat patrem generalem de iis qui forsan studio huiusmodi minus vacaverint, ut valeat, iis submotis, alios subrogare.

Concio habenda de praestantià missionum.

xiv. Curet pater generalis aliquem religiosorum deputare, qui ad ipsos studentes singulis mensibus magno zelo ac pietate concionem habeat de missionariorum muneris praestantiâ, deque peculiaribus eiusdem functionibus, quo spiritus apostolicus in eis succendatur ac maneat, erudianturque in iis omnibus quae ad illud congrue et cum Dei gloria peragendum pertinent.

De visitationibus.

xv. Generalis Ordinis, vel eius vicarius, aut alter delegatus, singulis quatuor mensibus saltem studium illud visitet, et si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliquâ poenitentiâ iniunctâ, eum ad propriam provinciam redire iubeat, et eamdem Congregationem de remotione moneat, aliumque quamprimum subroget.

xvi. Ultra vero praedictam generalis visitationem, liceat sacrae Congregationi, eius arbitro, aliquem deputare, qui collegium praedictum visitet, et de statu ac necessitate ipsius collegii et alumnorum, deque eorumdem progressu certioret.

De expositione cathechismi.

xvii. Singulis diebus dominicis, et aliis festivis de praecepto, praefati collegiales in ecclesiâ, vel in alio opportuno loco a patre generali destinando, explicent catechismum romanum, et unusquisque turnarie continuet per mensem.

De missione missionariorum.

xviii. Completo biennio, abeant studentes quò a sacrâ Congregatione destinati fuerint; quod si nullus tunc temporis sit in promptu missionis locus, illis a patre generali aliquis conventus deputetur, in eoque permaneant, quousque advenerit occasio missionis, et sacram Congregationem certioret; quod si aliquis illorum ad destinatas missiones renueret aut negligeret accedere, arbitrio sacrae Congregationis plectatur.

De eorum privilegiis.

xix. Ut autem dicti Ordinis religiosi aliquo etiam temporali congruoque alliciantur praemio, animosque fortius intendant ad libentius semetipsos dicandos sacro missionum ministerio, ac consequenter studiis praefatis veluti ad missiones ipsas directis, tam studentes quam missionarii respective his privilegiis, quae sequuntur, gaudeant.

xx. Ii qui in missione aliquâ per integrum sexennium praefecti munere laudabiliter perfuncti fuerint, ad lauream magisterii promoveantur; si vero in religione dictam lauream iam assecuti fuerint, patres provinciae declarentur; alii vero missionarii si per novennium in missione permanserint, eâdem magisterii laureâ decorentur; et si fuerint in sacrâ theologiâ magistri, patres quoque provinciae instituantur: ordine tamen sacrae Congregationis praecedente.

Praedictorum executio.

xxi. Studeant superiores Ordinis singula debitae executioni demandare. In quibus eorum conscientias sacra Congregatio onerat, relictâ eorum arbitrio facultate alia tam disciplinam quam studiorum profectum respicientia, supradictis tamen firmis remanentibus, statuendi, et cum approbatione sacrae Congregationis decernendi.

Confirmatio eorumdem precibus Cardinalium facta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Cardinales praefati, factâ sibi per eumdem secretarium omnium et singularum huiusmodi distinctâ relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint: hinc est quod nos, inviolabili earumdem regularum robori et efficaciae providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easdem praeinsertas regulas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras ac regulas huiusmodi semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri

et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefati conventus assisiensis, et illius Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI. ianuarii MDCCX., pontificatus nostri anno X.

XXX.

Idem ac in praecedenti pro collegio missionariorum in conventu S. Bartholomaei in Insulâ de Urbe fratrum Minorum de Observantia (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Commissi nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii ratio postulat, ut illis, quae provido consilio pro collegiorum seu seminariorum, in quibus religiosi viri ad christianam fidem catholicamque religionem propagandam mittendi opportune instituantur, salubri directione felicique progressu constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis adiungamus firmitatem.

Erectio seminariorum huiusmodi praecepta a Pontifice.

§. 1. Aliàs siquidem nos, iuxta decretum quod prius, nempe in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum die III. octobris MDCCVII. coram nobis habitâ, edideramus, dilectis filiis quorumdam religiosorum Ordinum superioribus praecepimus, ut omnino, ac quamprimum, suo quique in Ordine conventum aliquem veluti pro seminario missionariorum, ad instar seminariorum seu collegiorum in S. Pancratii prope et extra muros Urbis Ordinis fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ac S. Petri in Monteaureo de eâdem Urbe Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum etiam nuncupatorum conventibus respective institutorum, deputarent, in quo diu ac diligenter vocatio et spiritus eorum, qui missionibus destinarentur, probaretur, ipsique etiam ibidem de omnibus, quae ad hoc apostolicum ministerium cum laude et fructu exercendum utilia ac necessaria forent, plene instruerentur; quatenus vero in aliquo Ordine conventus huiusmodi destinatio ad hunc effectum tantum non tam cito fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo conventu vel domo eiusdem Ordinis, ubi regularis observantia magis vigeret, executioni mandarentur. Porro in praemissorum implementum, sicut praefati Cardinales nobis nuper exposuerunt, novissime in conventu S. Bartholomaei in Insulâ de Urbe praefatâ Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum novum collegium seu seminarium pro missionariis huiusmodi erectum seu destinatum, necnon dormitorium pro duodecim religiosis ad loca Terraesanctae et alias missiones expediendis assignatum fuit, ac insimul nonnullae regulae pro novo collegio seu seminario huiusmodi confectae, illaeque ipsis Cardinalibus, ut ab iis confirmarentur, exhibitae fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Collegium institutum de quo in rubricâ.

Regulae eiusdem referuntur.

Regulae et provisiones pro novo collegio seu seminario Minorum Observantium

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Vide pag. 86 h. vol. const. *Ecclesiae Catholicae* Innoc. XI. et notata pag. 268.

erecto in conventu S. Bartholomaei in Insulâ eiusdem Ordinis a sacrâ Congregatione generali de Propagandâ Fide confirmandae.

De loco collegii.

I. Cum a Congregatione particulari habitâ die XII. septembris MDCCIX. resolutum fuerit, esse destinandum locum seu dormitorium in dicto conventu pro duodecim religiosis expediendis ad loca sancta, et respective ad alias missiones, et pater Caelestinus a Mediolano vicecommissarius generalis assignaverit dormitorium e conspectu palatii dominorum de Sabellis continens duodecim cellas et alias contiguas pro lectoribus iuxta numerum inferius praefigendum, confirmanda videtur dicta assignatio et ponenda in principio dormitorii, vel in loco aptiori, inscriptio: *Collegium*, seu, *Seminarium pro missionibus sanctorum et aliorum locorum.*

De qualitatibus eligendorum, cum poena contra dissuadentes accedere ad collegium.

II. Ut missionum munus, quod vere apostolicum est, per viros undequaque idoneos omni curâ et fervore ac cum fructu exerceatur, incumbat superior generalis eligere religiosos regulari disciplinâ, probitate morum, ac zelo gloriae Dei praeditos, et ad animarum salutem eximiâ caritate accensos, qui, veluti candelabra super montium iugis sita, ad tenebras tam infidelitatis quam haereseos pro viribus dissolvendas sint apti, quique nec minores sint annis vigintiquinque, nec trigesimoquinto maiores, exceptis tamen lectoribus iubilatis et sexennalibus sacrae theologiae ad has missiones divinitus vocatis, dummodo tamen quadragesimum annum non excedant, robustâ quoque corporis valetudine polleant ad iugiter laborandum in vineâ Domini, et quidem indistincte, tam pro locis Terraesanctae quam pro aliis missionibus; theologiae pariter cursum expleverint, ac lectores seu concionatores fuerint, aut saltem in morali theologiâ bene versati: illosque non ex solâ Italia, sed ex omnibus provinciis advocare curet, et plures etiam ex unâ provinciâ, dummodo sic electi praedictas habeant qualitates; moneatque insuper provinciales, guardianos, aliosque, si opus fuerit, religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant; et, contra tales dissuadentes ac male consulentes, poena comminetur privationis vocis activae et passivae, aliasque arbitrio sacrae Congregationis.

De eorum ingressu cum formulâ iuramenti.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem aut saltem octo dies, cum omne donum perfectum desursum sit descendens a Patre luminum, et deinde immediate in manibus dicti patris superioris generalis cismontani, aut, eo absente, alterius ab eo deputandi, iuramentum iuxta infrascriptam formulam praestent, illudque ad sacram Congregationem transmittatur.

Formula iuramenti talis est:

Ego frater N. N., professus in conventu N. provinciae N. Ordinis S. Francisci de Observantiâ, iuro et promitto in manibus paternitatis vestrae reverendissimae N. (sive superioris delegati), me ab hoc seminario non discessurum, neque discedere procuraturum, mediate vel immediate, per me nec per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ a paternitate vestrâ reverendissimâ vel a vestris successoribus canonice intrantibus, et non aliàs. Insuper, pro fidei catholicae propagandae causâ, ac salute infidelium procurandâ, ad loca Terraesanctae, aut aliam quamcumque provinciam vel regnum, sine aliquâ repugnantiâ et exceptione, quandocumque iturum, et ad illam partem ex dictis locis aut provinciis, ad quam a paternitate vestrâ reverendissimâ ero destinatus et missus. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Ego N. N. affirmo ut supra manu propriâ.

De morâ in collegio.

IV. In dicto seminario permaneant spatio duorum annorum, et non ultra, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus vel ex aliâ legitimâ causâ censuerint lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis patris superioris generalis cismontani et sacrae Congregationis.

De quâ familiâ et provinciâ censendi sint.

V. In omnibus collegiales subsint, prout etiam lectores, obedientiae guardiani et superiorum Ordinis respective, sicuti ceteri fratres et lectores de familiâ, ac de iis habeatur, dum in seminario permanserint, eadem ratio, ac si huius provinciae fratres essent, tum circa praecedentiam iuxta susceptionem habitus (cum hac tamen declaratione, respectu lectorum iubilatorum et sexennalium, ut, dum actu sunt collegiales, praecedentiâ et praeeminentiis ipsis competentibus secundum statuta Ordinis fruantur, et si sexennales in propriâ provinciâ locum non haberent, sint immediate post ultimum aggregatum de numero) tum etiam circa reliqua eorum religiosis necessitatibus convenientia, exceptis his quae sequuntur, hoc modo, nempe: vestiarium cuique ex dictis studentibus subministretur a singulis re-

spective eorum provinciis iuxta morem in religione observatum ac practicatum erga alios studentes; quo vero ad lectores actu legentes, vestiarium subministretur ex pecuniis Terraesanctae mediante syndico apostolico; eisdemque lectoribus, prout etiam sex studentibus, ex eisdem pecuniis subministrentur ceterae quae in religione vocantur necessitates; quo vero ad alios sex, subministrentur a guardiano dicti conventus, et dominus secretarius sacrae Congregationis supplicabit Sanctissimo pro eleemosynâ missarum in dictâ ecclesiâ S. Bartholomaei celebrandarum pro sex ad minus dictorum religiosorum, ne pro habendâ dictâ eleemosynâ ad alias ecclesias divagentur.

De numero, electione et primatu lectorum.

vi. Duo semper in hoc seminario ad minus pro nunc adsint lectores, alter controversiarum, et alter pro linguâ arabicâ, et, si possibile sit, addatur tertius pro linguâ illyricâ (et remittitur prudentiae patris superioris generalis cismontani invenire lectorem, qui utramque ex dictis linguis calleat), et non admittantur, nisi praevio examine et confirmatione sacrae Congregationis; iisdemque serio iniungatur sedulitas et assiduitas in lectionibus, repetitionibus et exercitiis; ac dicti lectores, dum actu legunt, habeant praecedentiam modo quo sequitur, nempe: lector controversiarum, si fuerit lector iubilatus de non numero, inter lectores iubilatos de numero, ultimo tamen loco; si fuerit solum sexennalis, omnes (1) exdefinitores; lectores linguarum, si fuerint iubilati vel sexennales, eo modo quo lector controversiarum; si tantum instituti lectores theologi, inter exdefinitores iuxta antianitatem habitus; si non sint lectores theologi et trigesimum annum compleverint, immediate post vicarium; si non compleverint trigesimum annum, inter lectores artium, cum praerogativis secundum morem et statuta Ordinis respective competentibus, praecedant, incedant et potiantur.

Item de eorum onere.

vii. Praefatus lector controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones utiles pro locis Terraesanctae ac aliis respective locis, ubi religio missiones habeat, et post vesperas earumdem agat conferentiam, frequentibusque exercitiis studentes instituat; singulis vero mensibus traditae doctrinae disputationes habeantur, intervenientibus etiam aliis lectoribus et religiosis eiusdem conventus; alii autem lectores linguarum ter in hebdomadâ legant, et rerum, quas docuerint, repetitionem a studentibus exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post vesperas auditores suos exercendo.

De egressu e conventu.

viii. Prohibetur aeque lectoribus ac studentibus diebus lectionum a conventu egredi quacumque de causâ, nisi expletis integre lectionibus ac exercitiis eâ die qua fieri debebunt, et in hoc guardianus diligenter incumbat, et si theses eâdem die habeantur, si ita expediens videbitur, absolute licentiam deneget.

De prohibitione concionum.

ix. Interdicitur pariter aeque lectoribus ac collegialibus quadragesimalium concionum cursus aggredi, et solummodo permittatur studentibus sermonem aliquem aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem, aut quadraginta horarum, et similiter in mensâ aut in conventu, ad hoc ut prompti sint ad huiusmodi exercitium subeundum tempore missionum, dummodo per id a studiis praedictis nulla penitus distractio sequatur.

De correctione negligentium.

x. A lectionibus, repetitionibus ac exercitiis utriusque studii, nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, et si quis neglexerit, a guardiano corrigatur; idemque fiat si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus aut in dictis studiis desidiosum reperiat, et tam lectores quam guardianus de omnibus superiorem generalem, ac etiam sacram Congregationem certiorent.

De thesibus.

xi. Senis quibuscumque mensibus theses theologiae seu controversiarum arabico, latino, et, quatenus fieri possit, illyrico idiomate habeantur, quibus guardianus interesse teneatur ad dignoscendum eos qui proficiunt, et monere debeat patrem superiorem generalem de iis qui forsan studio huiusmodi minus vacaverint, ut valeat, illis submotis, alios subrogare.

De concione habendâ super præstantiâ missionum.

xii. Curet superior generalis aliquem religiosum deputare, qui ad ipsos studentes singulis mensibus magno zelo ac fervore concionem habeat de missionariorum muneris praestantiâ, deque peculiaribus eiusdem functionibus, quo spiritus apostolicus in eis succendatur ac perseveret, erudianturque in iis omnibus quae ad illud congrue et cum Dei gloriâ peragendum pertinent.

(1) Forsan *inter* pro *omnes*.

De visitationibus faciendis.

XIII. Superior generalis familiae cismontanae, vel alter ab eo delegatus, singulis saltem quatuor mensibus studium istud visitet, et si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliquâ poenitentiâ iniunctâ, qua alii ab assumpto munere negligendo deterreantur, eum ad propriam provinciam redire iubeat, et eamdem sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum quamprimum subroget. Ultra vero praefatam patris superioris generalis visitationem, secretarius itidem sacrae Congregationis idem collegium bis visitet in anno absque superiorum interventu, ut liberius queat statum et necessitates collegii exponere, adhibito secum dumtaxat aliquo arabicae linguae perito, per quem possit alumnos examinare et de eorum progressu certiorare.

De expositione catechismi.

XIV. Singulis diebus dominicis et aliis festivis de praecepto praefati collegiales in loco per superiorem cismontanum in conventu destinando post vesperas serio et cum opportunis observationibus explicent religiosis sacerdotibus, clericis et laicis catechismum romanum, et unusquisque turnarie continuet per mensem, quousque compleatur, et deinde de novo per ordinem incipiatur, ad hoc ut aptiores evadant tempore quo in missionibus permansuri erunt.

De missione missionariorum.

XV. Completo biennio, singuli collegiales, iuxta decretum die III. octobris MDCCVII. emanatum in Congregatione coram Sanctitate Suâ, examinentur, praesente quoque eminentissimo protectore Ordinis, qui cum superiore generali eligat illos ad sancta loca mittendos et alios pro ceteris missionibus eidem eminentissimo bene visis, et referre dignabitur sacrae Congregationi; et si nullus tunc temporis in promptu sit Terraesanctae vel missionis locus, aut saltem non pro omnibus collegialibus, a patre superiore generali destinentur, ut inferius, in aliquibus conventibus, quousque advenerit occasio, iuxta indigentiam et opportunitatem transmittendi, et sacram Congregationem certioret; et si aliquis ad locum destinatum renueret, aut accedere negligeret, arbitrio sacrae Congregationis plectetur, et advenientibus novis collegialibus praemissis exercitiis spiritualibus, factoque iuramento, illud ad sacram Congregationem transmittat.

XVI. Ut autem dicti Ordinis collegiales aliquo etiam temporali praemio alliciantur, animosque libentius intendant ad sacrum missionum ministerium, ac consequenter studiis praefatis veluti ad missiones ipsas directis, infradicendis privilegiis gaudeant et potiantur.

De eorum privilegiis.

XVII. Donec completo studio sese obtulerit occasio ad loca sancta vel alias missiones accedendi, pater superior generalis illos ad proprias provincias revocet, collocetque in aliquo principali provinciae conventu iisdem grato, ex quo, ipso generali superiore cismontano inconsulto, dimoveri nequeant.

XVIII. Iis vero, qui in missione aliquâ praefecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriae provinciae conventibus sibi deligere, ac inter lectores iubilatos de numero praecedentiam habere iuxta antiquitatem institutionis cum omnibus praeeminentiis per constitutionem sanctae memoriae Urbani VIII. concessis; et si iam iidem praefecti fuerint lectores iubilati instituti, sive de numero, sive de non numero, potiantur praecedentiâ et loco immediato ad ultimum exministrum provincialem in propriâ provinciâ, nec non praeeminentiis eorumdem exministrorum provincialium in propriâ provinciâ, ac si officio ministeriatus huiusmodi functi fuissent.

Privilegia pro missionariis.

XIX. Liceat pariter iis qui laudabiliter duodecim annorum spatio sacrae Congregationi in missionibus vel in locis sanctis inservierint, post reditum, unum ex principalibus propriae provinciae conventibus sibi deligere, eorumque locus sit (si iam non fuerint instituti lectores iubilati vel lectores sexennales) immediate post actuales definitores supra quoscumque alios; si vero iam fuerint instituti lectores iubilati vel sexennales, et inservierint ut supra per octo annos, post reditum ad propriam provinciam, potiantur praecedentiâ et praeeminentiis lectoribus iubilatis de numero concessis, servando inter se anterioritatem institutionis: et si discedentes ex missionibus pro negociis earumdem missionum ad Urbem se conferant de licentiâ sacrae Congregationis, maneant in dicto conventu S. Bartholomaei, si commode recipi possint, vel in alio conventu B. Mariae de Aracaeli, et interim habeantur ac si essent de familiâ, quousque per sacram Congregationem expediantur.

De privilegiis lectorum.

XX. Utque similiter tam lectores controversiarum, quam lectores seu magistri linguarum, qui laudabiliter et cum approbatione patris superioris generalis cismontani in praedictis se gesserint, aliquod praemium

pro eorum laboribus consequantur, conceditur, ut, si lectores iubilati de non numero per quadriennium, sexennales per octennium, et lectores theologi tantum instituti per decennium legerint, non instituti vero theologi linguas per quindennium docuerint, redeuntes ad propriam provinciam potiantur eâdem praecedentiâ et praeeminentiis, quibus gaudent lectores iubilati de numero, servatâ pariter inter eos anterioritate institutionis.

De procuratore missionum.

XXI. Studeat superior generalis cismontanus deputare procuratorem pro missionibus, qui vel in S. Bartholomaei vel in Aracaelitano conventibus commoretur et unum socium gratum habeat, qui in gerendis negociis missionum eum coadiuvet, et, petitâ solitâ benedictione a superiore locali, e conventu exeat; qui quidem procurator vel per sexennium completum fuerit praefectus aut officialis locorum Terraesanctae, vel per decennium missionarius, aut in servitio Terraesanctae per idem tempus permanserit.

De praedictorum executione.

In his omnibus sacra Congregatio conscientiam superiorum Ordinis familiae cismontanae oneratam esse voluit, eorumque arbitrio reliquit regulas (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam regularem disciplinam, tum studiorum profectum respicientes, et per eamdem sacram Congregationem approbandas.

Confirmatio earum precibus Cardinalium facta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, memorati Cardinales, factâ sibi per dilectum filium secretarium praedictae Congregationis omnium et singularum regularum huiusmodi distinctâ relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint: hinc est quod nos, inviolabili earumdem regularum robori et efficaciae providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easdem praeinsertas regulas cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, ac regulas huiusmodi semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefati conventus S. Bartholomaei, et illius Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI. ianuarii MDCCX., pontificatus nostri anno X.

XXXI.

De necessitate catholicae fidei ad salutem scribit Alexandro Armenorum Patriarchae et professionis fidei formulam adnectit (1).

---

(1) Ex App. Bull. P. de P. F., vol. I., p. 394, collat. etc. Professionem fidei quam mittit pontifex est formula professionis ab Urbano VIII. orientalibus praescripta, quam suo loco cum graecanica versione retulimus: versionem armenam lector inveniet in appendice cum ceteris versionibus et for-

Venerabili fratri Alexandro totius nationis Armenorum Patriarchae,

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Magnâ caritate perlegimus fraternitatis tuae literas, in quibus praeter disertam ac officiosam tuae in nos voluntatis explicationem, visum est nobis elucere cum peculiari tuo studio erga christianam Religionem laudabile quoddam propositum scrutandae ac inquirendae veritatis ex sacris Scripturis et Patrum testimoniis, ex quibus certe fontibus, si modo incorrupti sint, elici ea maxime potest. Gratum itaque habuimus hoc non vulgare specimen tuae bonae mentis, et quia compertum nobis est quo loco sis et quanto in honore habearis apud inclytam Armenorum nationem, flagravit cor nostrum desiderio demerendi animum tuum, adiectâ etiam spe, quod tu, exploratâ demum veritate, particeps futurus solicitudinis nostrae in promovendâ aeternâ tuorum salute, et quod curaturus sis deducere oves, quae te sequuntur, ad Christi ovile per tutam illam semitam, extra quam qui incedit prorsus aberrat, quatenus ipsae tecum per veram fidem ad divinam gratiam, et per hanc ad perennem in caelis gloriam conscendant. Illud etiam iucundum nobis fuit ex eisdem tuis literis intelligere, quod supremam hanc S. Petri Apostolorum Principis Cathedram reverearis, exemplo praeclari Antistitis antecessoris tui divi Gregorii Illuminatoris, quem tamen, si vere aemulari cupis, quemadmodum te cupere credimus, oportet ut illam ipsam catholicam fidem recipias, quam tenet S. R. Ecclesia, omnium per universum orbem Ecclesiarum vera et unica mater ac magistra. Nam etsi ista, quae tibi tanquam Patriarchae obsequitur, Armenorum natio christianam fidem profiteatur et eiusdem fidei pleraque mysteria agnoscat, veramque doctrinam in pluribus recipiat, ab illâ tamen integrâ et illibatâ fidei regulâ, quam ab ipso Ecclesiae nascentis exordio SS. Patres atque Doctores firmiter tenuerunt, lapsu temporum sensim deflexit, et in quibusdam articulis dissensit et actu modo dissentit, quod sine summo animi nostri dolore commemorare non possumus ob maximum animarum Christi sanguine redemptarum detrimentum, omnimodamque perniciem quae inde in dies contingit. Certum est enim, quod sine verâ ac purâ fide impossibile est placere Deo: non est autem vera ac pura fides quae ex aliquâ parte contradicit, cum scriptum sit, quod qui in uno offenderit, factus est omnium reus. Si itaque Deus, nostris et fidelium precibus exoratus, tam misericorditer tecum egerit, ut constituas, abrupto divisionis laqueo, conformare omnino teipsum tuosque in cultu fidei huic S. R. Ecclesiae, ac, ita ut oportet, agnoscere Caput et pastorem universalem omnium fidelium, Romanum scilicet Pontificem Christi Vicarium ac successorem S. Petri, cui dictum fuit: *pasce oves meas,* nos, magnâ in Domino laetitiâ perfusi, te et eos omnes qui tecum ita sentient, paterno corde complectemur. Ut autem tibi pateat via, qua, benedicente Domino, id demum perficere possis, adiungimus his nostris formulam typis impressam, in qua sanctae ac catholicae fidei articuli continentur, quae non alia est ab eâ quam S. Petrus et Apostoli docuerunt, et Romana Ecclesia fidelibus omnibus servandam usque ab initio proposuit. Hortamur autem te et summa caritate obtestamur, ut, si tuam tuorumque salutem amas ac serio quaeris, ne cuncteris tuam subscriptionem, non tam quidem calamo quam corde exaratam, huic formulae adiicere, utque eamdem sic subsignatam ad nos statim remittas, atque ut deinceps veritatis in eâ contentae praeco, ac magister populis istis esse velis: quo in studio operam tibi suam libenter adiungent missionarii, et quidem eâ qua par est humilitate omnique erga te reverentiâ; compertum est enim ipsis, optari a nobis, ut catholicae Religionis cultus in istis partibus nullâ tuae dignitatis imminutione augeatur. Ceterum grato libentique animo audivimus a dilecto filio religioso viro Iacobo Villot e Societate Iesu, qui cum oratore Christianissimi Regis

---

mula Gregorii XIII. pro Graecis. Regulam fidei quam S. P. Silvester commisit S. Gregorio Illuminatori, uti dicitur in lit. ap. Innocentii XII. *Graves*, non invenimus. Etsi de eius existentia diversimode loquantur auctores, tamen, si, maiori investigatione adhibita inveniemus, ipsam lectori in appendice pariter trademus.

Compendium vero fidei quod S. P. Eugenius IV. tradebat Armenis sua concil. const. *Exultate Deo,* inferius, suo loco, in nota ad lit. encyclicam Leonis XIII. *Paterna caritas* leget.

istinc pridem discessit, te non praetermisisse auctoritate tuâ confovere mutuum amorem inter Armenos et missionarios Europae, ob quae officia plurimum tibi debemus, Deumque multo vehementius precamur, ut, quod in te coepit, perficiat, et super caput tuum gratiae suae dona liberaliter diffundat, qua spe apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. martii MDCCX., pontificatus nostri anno X.

XXXII.

Erigit Congregationem Bethlemitarum sub regulâ S. Augustini in Indiis Occidentalibus in veram religionem (1).

CLEMENS PP. XI.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, congregationes christifidelium, pietatis et christianae caritatis operibus ad pauperum infirmorum et convalescentium subventionem et utilitatem laudabili studio incumbentium, paterno caritatis affectu prosequimur, felicique illarum statui, ac, ut personae, quae tam pium vitae institutum susceperunt, in eâ vocatione in qua vocatae sunt perseverent usque in finem, opportunis rationibus et favoribus providere studemus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Prima praedictae Congregationis erectio iam secuta.

§ 1. Aliàs siquidem, nempe an. MDCLIII., postquam in civitate Guatimalae in Indiis, singulari pietate quondam Petri Betancur a S. Iosepho, viri, ob eius erga Deum amorem, ac pauperum convalescentium aegrotantiumque caritatem, aliasque eius virtutes, ut asserebatur, satis abunde clari, confraternitas Bethlemitarum nuncupata, prius Ordinarii, et deinde Sedis Apostolicae auctoritate confirmata, exordium desumpserat, ac benedicente Domino adeo excreverat, ut ad annum MDCLXXXVII. undecim hospitalia cum domibus religiosis, in quibus plures religiosi nedum in aegrotantium, convalescentium, ac contagioso morbo laborantium curâ aeque pie et laudabiliter se exercebant, verum etiam in puerorum eruditione sedulo incumbebant, integre erecta et fundata reperirentur, felicis recordationis Innocentius Papa XI. praedecessor noster, attento tam eiusmodi spirituali rerum augmento, et ex eo quia praedictae confraternitatis viri strictius Dei servitio se mancipari cupiebant, supplicationibus dilecti filii Roderici a Cruce, qui tunc ad almam Urbem nostram, tunc suam, pro expetendâ illarum confraternitatum erectione in veram et religiosam Congregationem cum concessione generalatus pro primâ vice in eius personâ, missus fuerat, benigne inclinatus, dictam confraternitatem seu societatem confratrum Bethlemitarum pauperum convalescentium in Congregationem sub regulâ S. Augustini, sub quibusdam constitutionibus auctoritate apostolicâ perpetuo erexit et instituit, ac easdem constitutiones toto illarum tenore inserto cum omnibus et singulis in eis contentis confirmavit et approbavit, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecit, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenissent, supplevit; praeterea eamdem Congregationem sic per eum erectam, eiusque confratres et hospitalia, ecclesias et personas quascumque ab omnimodâ iurisdictione et correctione quorumcumque Ordinariorum locorum eâdem auctoritate exemit ac plenarie liberavit, ipsamque Congregationem, confratres, hospitalia, ecclesias et personas huiusmodi sub immediatâ suâ et Sedis Apostolicae protectione et subiectione, pari auctoritate suscepit; et alias, prout in ipsius Innocentii praedecessoris die XXVI. martii dicti anni MDCLXXXVII. in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur. Postmodum vero idem Innocentius praedecessor, accepto, eumdem Rodericum professionem in eâdem Congregatione iuxta praedictas constitutiones expresse emisisse, illum in primum superiorem generalem dictae novae per eum erectae Congregatio-

(1) Ex Regest. in Arch. Secret. Brev. Erecta fuit huiusmodi Congregatio ab Innocentio XI. constit. edit. MDCLXXXVII., die XXVI. martii, *Ecclesiae catholicae;* in huius Pontificis const. edit. MDCCVII., die XXVIII. iulii, pontif. VII., illi concessa fuere privilegia; et constit. edit. MDCCXIV., die XXII. decembris, pontif. XV., agitur de gubernio huius Congregationis.

nis, per alias suas in eâdem formâ Brevis die XIV. iunii eiusdem anni MDCLXXXVII. emanatas litteras, ad sexennium a die quo idem Rodericus ad civitatem Guatimalem praedictam advenisset numerandum, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus, quae eiusmodi superiori generali per easdem constitutiones ab eo confirmatas supradictas tribuebantur et praescribebantur, motu proprio et ex certâ scientiâ suâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, constituit et deputavit, prout in his posterioribus ipsius Innocentii praedecessoris litteris etiam uberius continetur.

Erectio dictae Congregationis in veram religionem.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii Michaël a Iesu Maria procurator generalis et Franciscus a S. Antonio plurium graviorum vocalium dictae Congregationis procurator in Curiâ eiusdem Congregationis nomine nobis nuper exponi fecerunt, quamvis in huiusmodi eorum religiosâ Congregatione singula, quae veros et formales decent regulares, tum respectu habitus tum ceterorum operum ad quae iuxta praedictas constitutiones tenentur, adimpleantur, ac octodecim in Congregatione huiusmodi hospitalia totis numeris absoluta de praesenti reperiantur, necnon in Limanâ et Mexicanâ pro qualibet domo religiosâ quinquaginta vel circiter, in ceteris vero quadraginta, triginta, aut viginti quinque, et singulis respective hospitalibus non minus duodenario numero religiosi collocari et assistere soleant, nihilominus ipsi exponentes ipsam eorum Congregationem in veram et formalem religionem, in qua non vota simplicia, ut de praesenti, sed expressa et solemnia, sicut in quatuor mendicantium Ordinibus, ceterisque approbatis religionibus, in posterum ab omnibus perpetuo profiteantur, itaut in posterum dictae Congregationi religionis et Ordinis, ipsis vero fratribus illud religiosi et veri regularis nomen respective conveniat, atque religio huiusmodi tam quoad hospitalia quam quoad personas et inservientes quoscumque a iurisdictione Ordinarii, necnon ut antea sub regulâ eiusdem S. Augustini compatibiliter cum eisdem constitutionibus per praedictas Innocentii praedecessoris super eius in Congregationem erectione et ipsarum constitutionum confirmatione emanatas litteras supradictas stabilitis, prout in eisdem litteris sancitur, exempta intelligatur et esse debeat, salvâ tamen aliquâ correctione et nonnullarum earumdem constitutionum appendice, quae, ad constituendam essentialitatem verae et formalis religionis, ad prosperum ipsius gubernium et incrementum omnino necessaria esse existimantur, de novo per nos erigi, approbari et confirmari plurimum desiderent: nos, eorumdem Michaëlis et Francisci procuratorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum, qui illud mature perpenderunt, consilio, praefatam Congregationem Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus in veram religionem cum votis solemnibus, ex integro, etiam ab iis qui hactenus vota huiusmodi in eâdem Congregatione emiserunt, emittendis, ita tamen ut nova vota emittentes, prius de inefficaciâ praecedentium votorum ad constituendum eos veros religiosos certiorentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Congregationis et hospitalium praedictorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis,

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III. aprilis MDCCX., pontificatus nostri anno X.

XXXIII.

Extendit senarium numerum magistrorum ad duodenarium pro provinciâ Chilensi Ordinis eremitarum S. Augustini (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, sacrarum bonarumque litterarum studia, praesertim inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo addictos, opportunis rationibus fovemus et promovemus, ac, ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Rationes pro concessione praedictae extensionis.

§ 1. Cumque itaque, sicut dilecti filii fratres provinciae Chilensis in Indiis Occidentalibus, Ordinis eremitarum S. Augustini, nobis nuper exponi fecerunt, in capitulo generali dicti Ordinis anno MDCLXXXV. in almâ Urbe nostrâ celebrato statutum fuerit, ut senarius magistrorum numerus in provinciis earumdem Indiarum ad duodenarium extendi et ampliari deberet, si huius Sanctae Sedis facultas desuper accederet; similis vero extensio numeri magistrorum pro Peruana, Quitensi, Mexicana et Sanctae Fidei provinciis eiusdem Ordinis in dicto capitulo generali facta a felicis recordationis Innocentio XI., Alexandro VIII. et Innocentio XII. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et a nobis, per quasdam eorum et nostras in simili formâ Brevis litteras die XX. ianuarii MDCLXXXVIII., die XXI. iulii MDCXC., et die XXVIII. septembris MDCXCII., ac die XVII. martii MDCCII. a nobis respective expeditas, approbata et confirmata fuerit: nobis propterea exponentes praedicti, asserentes in praedictâ eorum provinciâ studia satis aucta, eamque magno religiosorum debitis ad consecutionem gradus magisterii requisitis praeditorum (2) numero refertam esse, humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio numeri magistrorum ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum filium Adeodatum Nuzzi priorem generalem dicti Ordinis audiverunt, consilio, ut de cetero senarius dictae provinciae Chilensis magistrorum numerus ad duodenarium (servatâ tamen in reliquis quoad promovendos ad magisterii gradum formâ per apostolicas et dicti Ordinis constitutiones nec non specialia ipsius provinciae Chilensis decreta et consuetudines praescriptâ) augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Male edit. Main. legit *praedictorum*.

omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus recolendae memoriae Clementis PP. VIII. etiam praedecessoris nostri de senario magistrorum numero, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non provinciae Chilensis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx. maii MDCCX., pontificatus nostri anno x.

XXXIV.

DECRETUM

Super omnimoda ac inviolabili observatione responsorum aliàs in causâ rituum, seu coeremoniarum Senensium, à Sacra Congregatione datorum, et à Sanctissimo approbatorum, cum aliis Ordinationibus (1).

Feria v. die xxv. septembris MDCCX.

In Congregatione generali S. Romanae, et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico Quirinali coram sanctissimo domino nostro d. Clemente divinâ provi-

---

(1) Ex Bull. Clem. XI. edit. Romae, pag. 513. — Insertum decretum fuit latum ab ipso Pontifice in S. Cong. Universalis Inquisitionis, non tamen per literas apostolicas promulgatum; confirmatum tamen fuit ab ipso Pontifice diversis literis et praecipue constitutione *Ex illa die,* data XIX. martii MDCCXV. suo loco afferenda. Decretum publicatum D. Assessor sua epistola misit Sup. Generalibus Soc. Iesu, Ordinum Praedicatorum, S. Augustini, et Franciscalium, qui omnes humiliter exceperunt. In re tanti momenti operae praetium existimamus in ipso Bullario has literas referre.

LETTERA

Scritta da Monsignor Assessore del S. Offizio al P. Generale della Compagnia di Gesù li XI. *ottobre* MDCCX. *d'ordine della Santità di Nostro Signore.*

Per riparo delle sinistre interpetrazioni, che contro la mente di N. S. da alcuni si danno al Decreto ultimamente pubblicato nella causa de' Riti Cinesi, quasi che nella seconda parte di esso venga distrutto quanto si dispone nella prima, dichiarai nella settimana passata a V. P. Reverendissima per ordine della Santità Sua, che siccome la medesima non ha mai riputato, che il suo primo Decreto dell'anno MDCCIV. fosse condizionato, di maniera che l'osservarlo, o no, restasse in arbitrio di chi ne credesse, o non ne credesse verificata l'esposizione; così vuole, che l'esatta osservanza di esso, e del Mandato del Signor Cardinale di Tournon, sì strettamente ingiunta nell'ultimo Decreto, non si possa eludere con tale pretesto, sotto le pene contenute in detto Mandato; aggiungendole, come le dissi, che appunto principalmente con l'oggetto di levare questo pretesto della pretesa condizionalità del primo Decreto, aveva la Santità Sua ordinato, che nel sudetto ultimo Decreto si mettessero quelle parole: *quovis contrafaciendi quaesito colore, seu praetextu penitus sublato:* ubbidisco ora a un nuovo comandamento della Santità Sua, con significare, come faccio, a V. P. Reverendissima, che essendo oggi giorno di posta, ella si contenti, in occasione, che trasmetterà il sudetto Decreto a' suoi religiosi nella China, di accompagnarlo anco con la notizia dell'accennata dichiarazione da me fattagliene, affinchè non abbia per conto loro, come pienamente confida Sua Santità, a venir ritardata in conto alcuno la puntuale osservanza del medesimo Decreto, che, come ella ben sa, tanto preme a Sua Beatitudine; e le bacio devotamente le mani.

Di V. P. Reverendissima

Dal S. Offizio XI. ottobre MDCCX.

Devotiss. et Obligatiss. Servitore
ANTONIO BANCHIERI

RISPOSTA

Del Padre Generale della Compagnia di Gesù.

Illustrissimo et Reverendissimo Signore Padrone Colendissimo.

Ricevo con la dovuta venerazione i sentimenti, e i comandi di Sua Santità, espostimi da V. S. Illustrissima in questa sua delli XI. stante; e la prego ad assicurar la Santità Sua, che mi conformerò ad

dentiâ Papa XI. ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ republicâ christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

essi, e gl' eseguirò colla maggiore attenzione, e farò tutto il possibile, perchè con egual puntualità sieno eseguiti anche da gl' altri tutti della Compagnia. Spero di trovare in ogn' uno di essi in ciò la prontezza, che tutti dobbiamo à i cenni di Sua Santità; e riverendo V. S. Illustrissima con tutto il rispetto, mi rassegno.

Di V. S. Illma e Rma

Dalla Casa Professa XI. ottobre MDCCX.

Devotiss. et Obligatiss. Servitore
MICHEL' ANGELO TAMBURINI
Preposito Gen. della Compagnia di Gesù.

RISPOSTA

Del P. Generale de' Predicatori.

Illustrissimo e Reverendissimo Signore Padrone Osservandissimo.

Ricevo con li dovuti sentimenti d'ossequio gl'ordini di N. S. notificatimi da V. S. Illustrissima nella sua delli XVII. corrente, con i quali la Santità Sua mi comanda, che in occasione di trasmettere à religiosi del mio Ordine missionarii nella Cina il Decreto ultimamente pubblicato nella causa de' Riti Cinesi, debba accompagnarlo con la notizia, che Sua Santità siccome non ha mai riputato, che il suo primo Decreto dell'anno MDCCIV. fosse condizionato, così vuole, che qualunque sinistra interpetrazione di pretesa condizionalità non possa impedire l'esatta osservanza di esso, e del Mandato del Signor Cardinale di Tournon. Eseguisco prontamente gl' ordini di Sua Santità, e son certo, che li missionarii del mio Ordine nella Cina ubidiranno con tutta rassegnazione, come sempre hànno fatto; e le bacio riverentemente le mani.

Di V. S. Illma e Rma

Minerva XVIII. ottobre MDCCX.

Devotiss. et Obligatiss. Servitore
Fr. ANTONINO CLOCHE
Maestro Gen. de' Predicatori.

RISPOSTA

Del P. Generale degli Agostiniani.

Illustrissimo e Reverendissimo Signore Padrone Colendissimo.

Ricevo il benignissimo foglio di V. S. Illustrissima e Reverendissima, con cui mi comanda à nome di N. S., che nel trasmettere à i missionari del mio Ordine nella Cina il Decreto ultimamente pubblicato nella causa dei Riti Cinesi, faccia loro sapere l' obligo, che hanno di esattamente osservarlo, senza far conto delle sinistre interpetrazioni, che da alcuni si danno, mentre la Santità Sua dichiara, che siccome non ha mai riputato, che il suo primo Decreto dell'anno MDCCIV. fosse condizionato, così vuole, che l'esatta osservanza di esso, e del Mandato del Signor Cardinale di Tournon non si possa eludere con verun pretesto. Io mi darò l' onore di ubbidire à i zelantissimi comandamenti della Santità Sua; e bacio a V. S. Illustrissima riverentemente le mani.

Di V. S. Illma e Rma

Da S. Agostino li XVIII. ottobre MDCCX.

Umilissimo et Devotissimo Servo
Fr. DIODATO NUZZI
Generale degl' Agostiniani.

RISPOSTA

Del P. V. Commissario Generale de' Minori Osservanti.

Illustrissimo e Reverendissimo Signor mio Signore Padrone Colendissimo.

Ho rivevuto la lettera di V. S. Illustrissima in data de XVII. corrente spedita dal S. Offizio, con cui mi partecipa la dichiarazione di S. S. all' ultimo Decreto uscito sopra le materie de' missionarii della Cina, et il comando, che in occasione di trasmettere a' miei religiosi missionarii nella Cina il Decreto, vi unisca la notizia della dichiarazione, acciocchè e l' uno, e l' altra sia inviolabilmente atteso et eseguito, come richiede la qualità della materia, e l' ubbidienza prontissima, che si deve a N. S., et alla S. Sede. Nella contingenza della risposta, che ho l' onore di dare a V. S. Illustrissima, di aver ricevuto la da me riveritissima lettera, devo assicurarla, che ubbidirò esattamente a quanto mi vien comandato nella medesima lettera, e nelle occasioni, che mi si offeriranno, ne darò a V. S. Illustrissima attestati della puntuale ubbidienza; e con riverentemente baciarli le Sacre mani, resto à comandi.

Di V. S. Illma e Rma

Roma Araceli XVIII. ottobre MDCCX.

Umilissimo e Devotissimo Servitore
Fr. CELESTINO
V. Commissario Generale.

RISPOSTA

Del Padre V. Commissario Generale de' Riformati.

Illustrissimo e Reverendissimo Signore Padrone Colendissimo.

In esecuzione prontissima di quanto V. S. Illustrissima si compiacque comandarmi per ordine di N. S., l' accerto, che alla prima congiuntura, che vi sarà, di poter trasmettere nella Cina alli missionarii del mio Ordine l' ultimamente emanato Decreto di Sua Santità, gli s' inculcarà la piena osservazione del medesimo, e gli si manifestarà la dichiarazione, e mente di Sua Beatitudine, affinchè sia in tutto effettuata. Tanto m' accade in risposta della favoritissima di V. S. Illustrissima, alla quale ossequioso bacio le Sacre mani.

Di V. S. Illma e Rma

S. Francesco a Ripa XVIII. ottobre MDCCX.

Umilissimo et Obligatissimo Servo
Fr. ANTONIO da Monte Bufo
V. Commissario Gen.

Idem sanctissimus dominus noster in causâ rituum seu coeremoniarum sinensium, auditis tam in Congregationibus anno praeterito non semel, quam in aliis mense et anno praesentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, praefatorum eminentissimorum et reverendissimorum dd. Cardinalium, qui rem mature ac diligentissime discusserunt, sententiis, decrevit, et declaravit responsa aliàs in causâ huiusmodi ab eâdem Congregatione datâ, et a Sanctitate Sua die XX. novembris MDCCIV. confirmata et approbata, nec non mandatum seu decretum ab eminentissimo et reverendissimo D. Cardinali de Tournon tunc Patriarcha Antiocheno commissario, et visitatore apostolico generali in imperio Sinarum die XXV. ianuarii MDCCVII. hac de re editum, ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inconcusse et inviolabiliter, sub censuris et poenis in mandato seu decreto huiusmodi expressis, observanda esse; quovis contrafaciendi quaesito colore seu praetextu poenitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis, sive secularibus, sive regularibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, ac quavis ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, ad Sedem Apostolicam interpositâ, quam propterea Sanctitas Sua reiiciendam esse decrevit, ac re ipsa reiecit. Porro cum idem D. Cardinalis de Tournon in suo mandato, seu decreto supradicto apostolicae decisioni die XX. novembris MDCCIV. latae se expresse inhaerere professus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit ipsum mandatum seu decretum una cum censuris in eo contentis ad normam eorumdem responsorum accipiendum esse, itaut nihil per illud responsis praefatis additum, seu detractum fuisse censendum sit, ac omnia, quae in eis insunt, etiam in mandato seu decreto praedicto inesse intelligantur. Caeterum Sanctitas Sua, tametsi non sine ingenti animi sui moerore acceperit, quod humani generis hostis multiplicia in dies zizania in latissimis illis regionibus superseminare non cessat, non tamen propterea in eis catholicae religionis propagandae saluberrimum ac sanctissimum opus ullatenus deserere volens, sed illud maiori, qua potest, animi contentione ac studio, iisque potissimum dissidiis, quibus inibi christianae fidei seges, veluti spinis, suffocatur, prorsus submotis, ardentius semper et enixius promovere cupiens, congruam super praemissis, aliisque ad ea pertinentibus instructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, sin minus illi, qui eius loco deputatus fuerit, nec non Episcopis et Vicariis Apostolicis earumdem partium transmitti mandavit, quâ non minus debitae apostolicorum decretorum executioni, quam missionariorum concordiae, evangelicae veritatis praedicationi, atque animarum saluti opportune consulatur. Demum, ut nimiae illi de his rebus scribendi licentiae, quae non sine fidelium scandalo inter partes diuturnâ contentione exasperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua districte praecepit omnibus et singulis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti et Societatis, etiam de necessitate exprimendae, regularibus aliisque quibuscumque secularibus personis tam ecclesiasticis, quam laicis, cuiuscumque tandem status, gradus, conditionis et dignitatis existant, ut in posterum non audeant sub quovis quaesito colore vel praetextu imprimere, vel quoquomodo in lucem edere libros, libellos, relationes, theses, folia seu scripta quaecumque, in quibus ex professo, vel incidenter, de ritibus sinicis huiusmodi, vel de controversiis desuper seu illorum occasione exortis quomodolibet tractetur, sine expressâ et speciali licentiâ a Sanctitate Sua, seu pro tempore existente Romano Pontifice, in Congregatione supradictae sanctae et universalis Inquisitionis obtinenda. Ut autem eiusmodi prohibitio inviolabiliter observetur, eadem Sanctitas Sua voluit, et declaravit contravenientes excommunicationis latae sententiae, regulares vero etiam privationis vocis activae et passivae poenas, ipso facto, absque aliâ declaratione incurrere, et nihilominus aliis etiam poenis Sanctitatis Suae, et successorum suorum Romanorum Pontificum, arbitrio infligendis subiacere. Libros porro, libellos, relationes, theses, folia, ac scripta quaecumque, quae in futurum praesentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, super quibus opportune providebitur), pro expresse prohibitis haberi voluit, absque alia declaratione sub poenis et censuris in regulis Indicis librorum prohibitorum contentis. Impressores vero, praeter scriptorum sic impressorum amissionem, pecuniariis aliisque corporalibus poenis, iuxta criminis gravitatem, teneri mandavit; in con-

trarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

IOSEPH BARTOLUS
S. Rom. et universalis Inquisit. not.

Die prima octobris MDCCX. *supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae principis Apostolorum, palatii S. Officii, ac in aliis locis solitis et consuetis urbis per me Franciscum Perinum Sanctae Inquisitionis Cursorem.*

XXXV.

Confirmat decretum Cardinalis de Tournon commissarii et visitatoris generalis in Sinarum aliisque Indiarum Orientalium regnis super exercitio missionum et acceptatione praefecturarum, cum illius extensione ad sequentia tempora (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Epitome dicti decreti, quo omnibus vetitum fuit missiones ingredi vel ab iis discedere, atque praefecturas assumere, absque licentiâ commissarii generalis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, aliàs, nempe anno MDCCVIII., dilectus filius noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis Maillard de Tournon nuncupatus, tamquam noster et Apostolicae Sedis commissarius et visitator generalis in Sinarum et aliis Indiarum Occidentalium regnis cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere legati a nobis deputatus, ut varios abusus, quos in apostolicae auctoritatis contemptu in illarum partium missionibus irrepsisse cognoverat, emendaret, per suum edictum seu decretum in civitate Machaonensi editum districte prohibuerit, ne ullus missionarius, sive saecularis, sive regularis, cuiuscumque Ordinis, absque ipsius Caroli Thomae Cardinalis commissarii et visitatoris generalis licentiâ, missiones sinicas ingredi, vel, eâ non obtenta, missionarii munus in illis obire, aut etiam, eâ minime quaesitâ sive non obtentâ, ab illis discedere auderet, sub poenâ suspensionis a divinis per contrafacientes eo ipso incurrendâ: simulque sub eâdem poenâ interdixerit ne ullus, sive saecularis sive regularis, absque eiusdem Caroli Thomae Cardinalis commissarii et visitatoris generalis consensu, superioratus cuiuscumque officium in alios sui gremii vel Ordinis missionarios in Sinis assumere seu exercere praesumeret; et aliàs, prout uberius continetur in eodem edicto seu decreto tenoris sequentis, videlicet:

Decretum praedictum anno MDCCVIII. cuius exordium petitur a necessitate servandi ordinem hierarchicum, quem missionarii perturbabant.

« CAROLUS THOMAS MAILLARD DE TOURNON, Dei et sanctae Apostolicae Sedis gratiâ patriarca Antiochenus, sanctissimi domini nostri, domini Clementis divinâ providentiâ Papae XI. praelatus domesticus, eiusque pontificio solio assistens, necnon sanctae Romanae universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem consultor, ac in Indiis Occidentalibus et Sinarum imperio finitimisque regnis et insulis commissarius et visitator apostolicus generalis, cum facultate legati de latere, etc., omnibus et singulis missionariis, tam saecularibus quam cuiuscumque Ordinis regularibus, et eorum superioribus in hac sinensi missione, salutem in Domino, etc.

« Quasi castrorum acies ordinata nobis exhibetur Ecclesia ab Eo, qui rerum omnium est ordo perfectus et immutabilis absque vicissitudinis obumbratione, ut, quemadmodum milites huius saeculi sub tribunis, praefectis et ducibus bella gerunt, ita et praepositis suis discant parere qui sub Iesu Christi vexillo militare profitentur. Et quidem, cum Christi membra simus, debemus, iuxta apostolicam traditionem, capiti ordine hierarchico adhaerere secundum operationem in mensuram cuiuscumque membri, atque in praelatis Christi vocem audire et imaginem venerari, docentibus nos sacris paginis obedire praepositis, etiam dyscolis, et Deo potius obedientiam offerre quam victimam. Quod si ordo ubique apprime convenit, hic est maxime necessarius, ubi sanctitatem christianae religionis in rectâ illius ministrorum disciplinâ decet praefulgere, ex quorum officio et exemplo sanctitatis gloria stare videtur, et bonus odor notitiae Dei manifestatur. Quis enim honor Evangelii, si lapides sanctuarii in capite omnium platearum sint dispersi? Disperguntur namque, cum sacerdotes et perfectionis institutionis viros in Ecclesiae aedificationem compositos a solido divini aedificii fundamento per inobedientiam dissolutos, et petrae, a qua excisi sunt, immemores conspicimus, cum, abiectis regiminis in iu-

---

(1) Ex Ep. et Brev. select. Const. edit. MDCCVII., die I. ianuarii, pontif. VII., declaratum fuit nullum edictum Archiepiscopi Goanensis contra iurisdictionem commissarii generalis; et const. sequenti declarantur nulla gesta ab Episcopo Macaonensi aliisque adversus eumdem commissarium.

ribus, praepositos suos palam insiliunt, qui eorum deberent apparere ornamentum, et cum, insalutato pastore, dominici gregis curam inordinate usurpare praesumunt, non attendentes cui dictum sit a Domino *Pasce oves meas,* neque miseram reformidantes conditionem non intrantium ad ovile per ostium. Cum itaque scandala ista sub oculis nostris, et in positivum apostolicae, qua fungimur, auctoritatis contemptum in has missiones nuper irrepserint, et, quod dolendum magis est, per quosdam religiosos strictiori voti vinculo Sanctae Sedi obedientiae obstrictos, lugere cogimur cum Propheta aurum obscuratum et mutatum colorem optimum, qui sane, iuxta divum Gregorium, commutatur, cum eorum qui degere religiose credebantur aestimatio ante acta minuitur. Ne autem omnino inanis sit luctus noster, pro viribus commissae nobis, licet immeritis, a sanctissimo domino nostro domino Clemente PP. XI. et a Sanctâ Sede potestati, abusibus huiusmodi obviam ire volentes, decernimus et statuimus, ut quicumque missionarius aut presbyter, sive saecularis sive regularis, cuiuscumque Ordinis, etiam Societatis Iesu, desiderio Propagandae Fidei ad has Sinenses oras appulsus vel appulsurus, missiones ingredi non requisitâ prius nostrâ licentiâ (quae in scriptis dabitur), vel, eâ non obtentâ, missionarii munus obire, vel, eâ etiam irrequisitâ aut non obtentâ, hinc recedere praesumpserit, sit ipso facto suspensus a divinis. Non obstantibus quibuscumque indultis et privilegiis apostolicis, etiam Societatis Iesu, quae ad hunc effectum, quatenus opus sit, ex speciali, quae nobis est data a Sanctâ Sede, facultate suspendimus et suspensa declaramus. Cum illis vero, qui inordinato hoc modo ingredi in missiones ausi sunt, benigne indulgentes, quadrimestre a publicatione praesentium concedimus ad moram purgandam; quo tempore elapso, nisi facti poenitentes veniam cum licentiâ a nobis humiliter impetraverint, sint etiam ipso facto a divinis suspensi. Et quoniam in his non videntur innoxii eorum superiores, qui regiminis habenas, nobis nequidem monitis, clam suscipientes, pernicioso exemplo, et interdum etiam consilio, subditos suos in foveam inobedientiae ducunt, contra quos Dominus per Prophetam queri videtur, dicens: *Oves meae, quae conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur;* conculcata siquidem pastorum pedibus oves pascuntur, cum subiecti ea, quae aspiciunt, opera pravitatis imitantur; iis igitur aliisque de causis, praecipimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut nullus, sive saecularis sive regularis, etiam Societatis Iesu, nobis inconsultis, et non obtento prius nostro consensu, superioratus cuiuscumque officium in alios sui gremii vel Ordinis missionarios in Sinis assumere seu exercere praesumat. Quod si aliquis, visitatoris, vicevisitatoris, provincialis, vice-provincialis, commissarii aut vicarii provincialis titulo forsan nominandus, sive superior quicumque contrafaciet, praeter suspensionem a divinis ipso facto incurrendam, nobis et Sanctae Sedi reservatam, ex nunc pro tunc irritamus et annullamus quaecumque acta et praecepta ab eo facta et facienda, atque illa irrita et nulla declaramus, subditosque ab illius obedientiâ in utroque fore absolvimus et liberamus. Et ita ex commissâ nobis apostolicâ auctoritate etiam legati de latere decernimus, statuimus et ab omnibus servari mandamus. Æquum enim est, ut qui dominicae vineae operariis praeest, et vices gerit universalis in terris Patrisfamilias, illos agnoscat, et sub quibusvis praepositis evangelicae culturae dent operam, non ignoret. Datum Machai, ex palatio nostrae solitae habitationis, die III. iulii, anno Domini MDCCVIII., pontificatus autem sanctissimi domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ PP. XI. anno VIII. — C. Thomas patriarcha Antiochenus et visitator apostolicus. — Sabinus Marianus auditor. *Loco † sigilli.* Andreas Candela sacrae visitationis apostolicae cancellarius.»

Confirmatio relati decreti, et ipsius extensio ad successores commissarii generalis.

§ 2. Nos, edictum seu decretum huiusmodi rectae ac felici dictarum missionum directioni in praesentibus potissimum rerum circumstantiis summopere conducibile esse considerantes, ac proinde inviolabili illius firmitati, robori et efficaciae, debitaeque executioni, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, providere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium tam in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede praedictâ specialiter deputatorum, quam aliorum ex Congregatione Propagandae Fidei negotiis praepositâ super rebus Indiarum Orientalium specialiter itidem deputatorum, quos insimul coram nobis super rebus huiusmodi congregatos pluries audivimus, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis pleni-

tudine, edictum seu decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et praesidium adiungimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, omnia et singula, quae in edicto seu decreto praedicto, super licentiâ dicti Caroli Thomae Cardinalis commissarii et visitatoris generalis ab iis, qui missiones sinicas supradictas ingredi, sive in eis missionarii munus exercere volunt, requirendâ et obtinendâ, sicut praemittitur, statuta et sancita fuerunt, earumdem tenore praesentium ita extendimus ac respective declaramus, ut non modo quoad ipsum Carolum Thomam Cardinalem commissarium et visitatorem generalem quousque in illis partibus permanserit, sed etiam quoad alios, qui ei munere commissarii et visitatoris generalis huiusmodi pro tempore succedent, locum et effectum, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, habere debeant; dicta vero licentia, sive a praedicto Carolo Thoma Cardinali aliove commissario et visitatore generali earumdem partium, sive a personis per eos opportune subdelegandis, ut praefertur, danda, non aliàs concedenda sit, nisi praestito prius per eos, quibus concedetur, iuramento de exacte observando decreto super ritibus seu caeremoniis sinicis die xxv. septembris anni proxime elapsi a nobis promulgato; quovis contrafaciendi, etiam praetensae et a nobis improbatae conditionalitatis decreti huiusmodi, aliove quaesito colore seu praetextu, penitus reiecto atque sublato.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliâ speciali et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis iustâ, iuridicâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali ac substantiali et incogitato inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictos Cardinales, etiam de latere Legatos et dictae Sedis Nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, quarumvis ecclesiarum, ordinum, congregationum, societatum, etiam Iesu, institutorum, provinciarum, conventuum, collegiorum, monasteriorum, et locorum piorum quorumcumque, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, ordinibus, congregationibus, societatibus, etiam Iesu, institutis, provinciis, conventibus, collegiis, monasteriis et locis piis, quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu ad quarumcumque personarum, etiam regum et principum, seu aliàs quacumque mundanâ vel ecclesiasticâ

potestate fulgentium, instantiam, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, et quantiscumque vicibus confirmatis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV. martii MDCCXI., pontificatus nostri anno XI.

XXXVI.

Nulla declarat gesta ab Episcopo Macaonensi, eius vicario aliisque, adversus commissarium et visitatorem generalem apostolicum; confirmat acta visitatoris ac poenas et censuras ab eo inflictas, quarum absolutionem Sedi Apostolicae et visitatori reservat (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Inique gesta ab Episcopo Macaonensi eiusque Vicario contra commissarium et visitatorem apostolicum enarrantur.

§ 1. Ad apostolatus nostri notitiam non sine gravissimâ animi nostri molestiâ pervenit, quod venerabilis frater Ioannes de Cazal Episcopus Macaonensis, tametsi aliàs, nempe statim ac ad illius manus devenerant quaedam nostrae in simili formâ Brevis litterae, quibus ei significaveramus, nos in illas partes allegasse dilectum filium nostrum Carolum Thomam S. R. E. Cardinalem de Tournon, tunc Patriarcham Antiochenum, eique munus nostri et Apostolicae Sedis commissarii ac visitatoris generalis in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis, cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere Legati, demandasse, ipse Ioannes Episcopus debitâ reverentiâ atque obedientiâ, ut par erat, eiusdem Caroli Thomae Cardinalis, tunc Patriarchae ac commissarii et visitatoris generalis, iurisdictionem absque ullâ morâ agnovisset, quinimo id (2) ipsum per suum edictum publice affixum ac promulgatum toto litterarum nostrarum praedictarum tenore inserto palam declarasset; nihilominus postea tam acriter atque impudenter ipsius Caroli Thomae Cardinalis tunc patriarchae ac commissarii et visitatoris generalis auctoritatem, potestatem ac dignitatem, adeoque etiam nostra et dictae Sedis iura impetere ausus fuit, ut non modo per aliud suum edictum (vigore quarumdam assertarum litterarum sibi hac in re a venerabili fratre Augustino ab Annunciatione Archiepiscopo Goano scriptarum, illique forsan eiusdem Augustini Archiepiscopi edicto consimilium quod dudum per alias nostras in simili formâ Brevis die IV. ianuarii MDCCVII. expeditas litteras nullum irritum atque invalidum declaravimus) publicatum, dicto Carolo Thomae Cardinali, tunc patriarchae ac commissario et visitatori generali, cuiusvis iurisdictionis exercitium in suâ dioecesi Macaonensi interdixerit, omnemque ei a suis subditis obedientiae actum exhiberi prohibuerit, verum etiam eius nomine a quodam Laurentio Lomez, asserto illius vicario generali, adversus dilectum filium Constantinum a Spiritu Sancto priorem, aliosque tunc existentes fratres conventus N. Dominae de Gratiâ nuncupati Macaonensis Ordinis eremitarum Sancti Augustini, eo quia ipsum Carolum Thomam Cardinalem, tunc patriarcham ac commissarium et visitatorem generalem, honorifice excepissent, ad interdicti aliasque poenas et censuras ecclesiasticas, non minus nulliter quam iniuste deventum fuerit. Ad haec idem Ioannes Episcopus eo temeritatis processit, ut, minime attendens ad petram unde excisus fuerat, quascumque censuras, a praedicto Carolo Thoma Cardinali, tunc patriarcha ac commissario et visitatore generali, in-

---

(1) Ex eodem Bullario. Const. praecedenti confirmatum fuit decretum commissarii generalis de missionibus et praefecturis; et constit. edit. MDCCXX., die V. ianuarii, pontif. XX., declaratur nulla sententia ab officiali Archiepiscopi Ebredunensis lata super censuris a Vicario capitulari Niciensi promulgatis.

(2) Male edit. Main. legit *ad* pro *id*.

flictas, pro irritis et nullis habendas esse publice declaraverit, imo etiam contra ipsum Carolum Thomam Cardinalem, tunc Patriarcham ac commissarium et visitatorem generalem, inverso sane poenarum per canonicas sanctiones irrogatarum usu, maioris excommunicationis sententiam promulgare non erubuerit, ita plane apostolicae iurisdictionis hostis et eversor factus, quo illius custos et vindex praecipuus esse debuisset. Praeterea adeo se immemorem ostendit venerabilis dignitatis seu characteris ac inviolabilis religionis illius iurisiurandi, quo se Deo, nobis et Ecclesiae in suscipiendo consecrationis munere se obstrinxerat, ut ministris ac officialibus laicis earumdem partium, duriora quaeque adversus dignitatem, imo etiam personam praedicti Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriarchae ac commissarii et visitatoris generalis molientibus, se sociaverit, ac pene dux eorum, qui christum Domini sacrilego ac detestabili ausu multifariam vexarunt, et forte etiam adhuc vexant, fieri non formidaverit, aliaque plura adversus eiusdem Caroli Thomae Cardinalis, tunc Patriarchae ac commissarii et visitatoris generalis, imo potius adversus nostram et Sedis praedictae auctoritatem ac iurisdictionem attentare praesumpserit.

Commissarius et visitator apostolicus irritat praedicta, et censuras infligit.

Innotuit pariter nobis, quod, praemissis attentis, dictus Carolus Thomas Cardinalis, tunc patriarcha ac commissarius et visitator generalis, tametsi tunc temporis in praedictâ civitate Macaonensi non quidem a paganis sed ab officialibus ac ministris christianis, nullâ sacri characteris, nullâ praestantissimae suae dignitatis, nullâ ecclesiasticarum sanctionum, nullâ denique iuris gentium, quod apud barbaras quoque nationes sacrosanctum ac inviolabile est, habitâ ratione, multorum militum diurnâ nocturnâque custodiâ ut captivus detineretur, aliisque acerbissimis ac plane incredibilibus iniuriis et contumeliis, ipsis exhorrescentibus ethnicis, afflictus reperiretur, nihilominus, inter affectae valetudinis ac tot aliarum tribulationum, quas perferebat, incommoda, crescens quotidie magis in caritate Christi, invictoque animo illius causam agens, postquam praecipuos eiusmodi sacrilegorum excessuum adversus eius personam ac dignitatem commissorum auctores, ac verae iniquitatis filios, canonicae severitatis mucrone percusserat, illosque, affixis publice contra eos schedulis, maioris excommunicationis poenam incurrisse pronunciaverat, inter alia, atque ut sua, quinimo nostra, et eiusdem Sedis iura fortiter tueretur, imperterrito animo devenit (1), omnia et singula per curiam episcopalem Macaonensem contra ipsum eiusque iurisdictionem gesta, ut praefertur, utpote impedientia exercitium muneris sibi a nobis commissi, necnon ecclesiasticae libertatis et apostolicae auctoritatis summopere laesiva, circumscripsit, annullavit, revocavit, ac uti nulliter, attentate, temere et audaciter facta declaravit; sententiam insuper asserti interdicti in fratres et ecclesiam praedicti conventus Ordinis eremitarum Sancti Augustini sicut praemittitur latam, necnon quascumque citationes, mandata, edicta, ac scripturas, iurisdictionem apostolicam quomodolibet laedentes, aut illi quoquo modo contrarias, revocari, aboleri, deleri, ac pro nulliter factis, nulliusque roboris ac momenti haberi et habendas esse mandavit; ipsum vero Ioannem Episcopum propter praemissa censuras omnes sacris canonibus et apostolicis constitutionibus ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi et promulgari solitis contra similia perpetrantes inflictas damnabiliter incurrisse, illumque pro excommunicato et a fidelium consortio segregato et vitando haberi et habendum esse, similiter declaravit. Post haec, cum accepisset in eâdem civitate Macaonensi non semel adversus pontificiae potestatis iura et ecclesiasticam libertatem convenisse in unum, atque in tenebrarum consilia, non modo ministros et officiales laicos sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbrâ Ægypti, sed etiam eos, qui ceteris lucis exempla praebere, atque, utpote de altari viventes, vel religioso strictioris vitae et obedientiae instituto addicti, apostolicam auctoritatem praecipue excolere debuissent, turpiter conspirasse, omnia et singula in eiusmodi conventibus seu potius conciliabulis decreta et statuta, quae Sedis Apostolicae praedictae et ecclesiasticae immunitatis iura quovis modo laedere poterant, uti nulla, irrita et invalida, nulliusque roboris et momenti pariter habenda esse decrevit, omnesque et singulos cuiusvis status et conditionis, sive laicos sive ecclesiasticos, tam saeculares quam regulares, cuiuscumque ordinis vel instituti, qui conventibus seu conciliabulis huiusmodi

(1) An recta sit lectio iudicet lector soius.

interfuerant, ibique aut suadendo, aut consulendo, aut subscribendo, aut mandando, aut aliàs quomodolibet, directe vel indirecte, decretis et statutis praedictis consenserant, censuras et poenas ecclesiasticas contra haec perpetrantes in apostolicis constitutionibus ac potissimum litteris die Coenae Domini legi solitis supradictis contentas incurrisse, illosque propterea pro excommunicatis et a fidelium gremio segregatis et vitandis haberi et habendos esse, denunciavit. Novissime demum e remotissimis illis regionibus nobis significatum fuit, illatas eidem Carolo Thomae Cardinali, commissario et vicario generali, eiusque dignitati multiplices ac pene inauditas vexationes, etiam postquam illuc innotuerat, eum, eximiis suis ita exigentibus meritis, ad sublimem cardinalatus honorem a nobis evectum fuisse, minime cessasse; prae ceteris vero supradictum Laurentium Gomez assertum vicarium generalem Macaonensem in alium prorupisse gravissimum excessum. Cum enim dictus Carolus Thomas Cardinalis, ob iustas et rationabiles causas ab eo expressas, dilectos filios presbyteros regulares Societatis Iesu in dictâ civitate Macaonensi existentes, illorumque ecclesiam, collegium ac seminarium ecclesiastico interdicto supposuisset, idem Laurentius non modo interdictum huiusmodi irritum ac nullum temere declaravit, verum etiam, suo ad id promulgato monitorio seu edicto, omnibus et singulis episcopatus Macaonensis subditis, cuiuscumque tandem gradus, conditionis et praeeminentiae existerent, ne cum dilecto filio Petro de Amaral, fratre expresse professo Ordinis Praedicatorum, qui, pro debitâ eidem Carolo Thomae Cardinali semper et constanter praestitâ obedientiâ, aerumnas plurimas magno fortique animo sustinuit, aliisque fratribus conventus Macaonensis dicti Ordinis, imo nec cum aliis quibuscumque, sive laicis sive ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, cuiuscumque Ordinis seu instituti, dicto Carolo Thomae Cardinali obedientiam exhibentibus, consortium ullum seu commercium haberent, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes eo ipso incurrendâ, districte prohibuit et interdixit. Quibus permotus, aliisque pluribus supradicti Laurentii reatibus attentis, idem Carolus Thomas Cardinalis ipsum Laurentium excommunicatum publice declaravit, et tamquam putridum membrum a christifidelium consortio abscissum pronunciavit; subinde vero praedictum Ioannem Episcopum, non modo eiusdem Laurentii sui asserti vicarii generalis gesta temere ac perperam repugnantem (1), sed etiam secundum duritiem suam et impoenitens cor thesaurizantem sibi iram in die irae, ac peccatum super peccatum adiicere non dubitantem, mense septembris anni MDCCIX., dilecto filio promotori fiscali suae apostolicae visitationis instante, ad comparendum infra annum in almâ Urbe nostrâ coram nobis, ac se defendendum et purgandum de excessibus in praeiudicium Ecclesiae atque Apostolicae Sedis praedictae, et contra proprium iuramentum episcopale commissis, necnon ad dicendum causam, quare contra ipsum ad depositionis aliasque graviores poenas arbitrio nostro irrogandas procedi non deberet, citari ac moneri iussit et mandavit.

Multiplices adhuc vexationes illatae commissario.

Qui ob iustas causas interdicto supposuerat presbyteros Societatis Iesu illorumque ecclesiam.

Novae censurarum declarationes a commissario apostolico promulgatae.

§ 2. Cum autem ea omnia, quae adversus praedictum Carolum Thomam Cardinalem, sicut praemittitur, decreta, gesta atque attentata fuerunt, quaeque profecto nonnisi summo omnium christifidelium horrore ac moerore audiri possunt, intolerabilem prorsus ecclesiasticae immunitatis Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutae debitaeque huic S. Sedi obedientiae violationem imo potius eversionem importent, adeoque Romanum Pontificem in supremâ dictae Sedis speculâ cum potestatis plenitudine ab Altissimo collocatum, ad quem in primis pertinent damna et offensae quae Christo Domino inferuntur, in tantâ et tam gravi divini nominis atque humani iuris perturbatione otiosum ac desidem esse minime patiantur: hinc est quod nos, qui, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, quorumcumque eidem Apostolicae Sedi sanctaeque Dei Ecclesiae competentium iurium, necnon quarumvis ecclesiasticarum personarum, praesertim non minus insignium meritorum, quam sublimis in eâdem Ecclesiâ gradûs splendore fulgentium, libertatis ac dignitatis assertores in terris ac vindices a Domino constituti sumus, tametsi dictus Carolus Thomas Cardinalis, quantum sibi inter illas in quibus versabatur et forsan adhuc etiam versatur angustias permissum fuit, ea omnia, quae ad ipsius munus pertinebant, quaeque proinde firma semper

Enormitas omnium attentatorum praedictorum ex parte curiae Macaonensis.

Declaratio nullitatis ut in rubricâ, cum damnatione et censurarum confirmatione, severiorumque poenarum comminatione.

(1) Videtur legendum *gestis... non repugnantem;* aut *gesta... non reprobantem;* aut *gesta... approbantem.*

et salva esse volumus, strenue ac fideliter, ut praefertur, implere non praetermiserit, nihilominus pontificii etiam iudicii nostri accessione ecclesiasticae iurisdictionis indemnitati uberius consulere, nostraque et dictae Sedis iura sarta tecta atque illibata, quantum nobis ex alto conceditur, enixius tueri et conservare cupientes, necnon omnium et singulorum in praemissis, seu eorum occasione, tam ab eisdem Ioanne Episcopo ac Laurentio Gomez eius asserto vicario generali, quam a praedictis officialibus et ministris, aliisve quibuscumque personis, sive ecclesiasticis sive laicis, quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, necnon officialium, ministrorum, aliorumque praedictorum qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedicta omnia et singula decreta, monitoria, ordinationes, litteras, censuras, declarationes, resolutiones, interdicta, mandata et edicta, ac alia quaelibet, tam a Ioanne Episcopo et Laurentio Gomez eius asserto vicario generali, quam ab officialibus et ministris supradictis, aliisque quibusvis personis, tam saecularibus, sive ecclesiasticis sive laicis, cuiuscumque tandem status, gradus, conditionis et dignitatis fuerint, quam cuiusvis ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regularibus, in praemissis, sive eorum occasione, adversus personam seu dignitatem supradicti Caroli Thomae Cardinalis commissarii et visitatoris generalis, seu aliàs in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae atque auctoritatis apostolicae respective quovis modo edita, promulgata, scripta, lata, acta, facta, gesta et perpetrata, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris vel momenti et efficaciae esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec a quopiam observari posse vel potuisse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus. Firmas praeterea ac salvas esse similiter volumus atque decernimus quascumque censuras et poenas ecclesiasticas, sive a iure, sive a praedicto Carolo Thoma Cardinali latas et promulgatas, quas praedicti et alii quilibet, qui praemissa perpetrarunt, necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, sive qui illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt; a quibus, post condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, vel etiam ab ipso Carolo Thoma et Cardinali, aliove commissario et visitatore generali dictarum partium similiter pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari valeant. Facultate insuper non solum nobis et eidem Sanctae Sedi, sed etiam ipsi Carolo Thomae Cardinali, seu pro tempore existenti commissario et visitatori generali praedicto, expresse reservatâ (quatenus illi minime redierint ad cor, sed, in suâ contumaciâ persistentes, censuras et poenas ecclesiasticas huiusmodi, animo, quod absit, sustinuerint indurato) ad alia canonica et severiora remedia quandocumque procedendi.

Clausulae.

§ 3. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis, seu eorum aliquos, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesen-

tes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictos Cardinales, etiam de latere legatos et eiusdem Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et futuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, et, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae Macaonensis et quorumcumque ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ecclesiae Macaonensi, ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, praedictis, illorumque respective praesulibus, superioribus et personis, aliisve quibuslibet, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium, instantiam, aut earum contemplationem, seu aliàs quomodolibet, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur ac insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. martii MDCCXI. pontificatus nostri anno XI.

XXXVII.

Commemoratis amplissimis facultatibus Commissario et Visitatori Apostolico Sinarum collatis, inter quas constituendi etiam Vicarios Apostolicos, electionem ab eo factam Claudii Visdelou Societatis Iesu in Vicarium Apostolicum

Quei-cheu et Episcopum Claudiopolitanum ratam habet, et electum dispensat a voto in Societate emisso de non excipiendis dignitatibus extra Societatem (1).

Venerabili fratri Claudio Visdelou Episcopo Claudiopolitano

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatis tuae in nos et Apostolicam Sedem fides et devotio, ac christianae religionis catholicaeque fidei tuendae et propagandae zelus, aliaque laudabilia pietatis, doctrinae, prudentiae et caritatis, aliarumque episcopalium virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialis favore gratiae libenter prosequamur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis Maillard de Tournon nuncupatus, quem alias per quasdam nostras in simili formâ Brevis die IV. Iulii MDCCII. expeditas literas nostrum et Apostolicae Sedis Commissarium et Visitatorem generalem in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere Legati, necnon cum diversis et amplissimis facultatibus, ac inter alias interpretandi quascumque constitutiones apostolicas, moderandi itidem suspendendi atque revocandi quibuscumque personis, tam saecularibus quam regularibus etiam Societatis Iesu, quaecumque privilegia a Sede praedictâ quomodocumque et ex quavis causâ etiam pluries confirmata et innovata; praeterea Vicarios Apostolicos instituendi, et iam constitutos, seu etiam ab eo constituendos, quos in Domino magis idoneos tantoque muneri exequendo aptiores iudicasset, nonnullis cathedralibus ecclesiis, et signanter Claudiopolitanae, in aliis partibus infidelium consistentibus et pastoris solatio destitutis in Episcopos et pastores auctoritate apostolicâ praeficiendi, eisque sic praefectis munus consecrationis cum assistentiâ duorum aliorum presbyterorum etiamsi non essent Episcopi nec in ecclesiasticâ dignitate constituti, si adfuissent, sin minus etiam sine illorum assistentiâ impendendi, atque etiam consecrationem huiusmodi aliis Episcopis committendi: declarandi insuper et definiendi quaecumque dubia aut difficultates, quae super omnibus et singulis suis facultatibus insurgere aut excitari quoquo modo possent, ita ut eius declarationi omnes tam saeculares quam ecclesiastici et cuiuscumque Ordinis regulares, etiam dictae Societatis Iesu, quacumque appellatione remotâ, acquiescere et obedire tenerentur sub certis modo et formâ tunc expressis, constituimus et deputavimus: te, qui presbyter regularis eiusdem Societatis Iesu expresse professus eras, dictae ecclesiae Claudiopolitanae sub praecepto obedientiae in Episcopum et pastorem praefecerit, curam, regimen et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac forsan iuxta memoratarum suarum facultatum tenorem et formam tibi dictum munus consecrationis impenderit, seu consecrationem huiusmodi aliis Episcopis commiserit; nec non insuper te provinciae Quei-cheu in Sinis Vicarium Apostolicum constituerit et deputaverit; tu vero iuxta constitutiones dictae Societatis votum expresse emiseris, Deoque ac Domino nostro promiseris, te in tui electionem ad quamcumque praelationem vel dignitatem seu munus ecclesiasticum extra eamdem Societatem, quoad per te fieri posset, consensum minime praestiturum nisi coactum obedientiâ eius, qui tibi id praecipere potuisset sub poenâ peccati; per quasdam autem apostolicas constitutiones specialiter et expresse cautum reperiatur, neminem, etiam de latere legatum, nuncium et quemcumque alium etiam speciali notâ dignum vigore quarumcumque facultatum quavis ex causâ sibi concessarum super voto praedicto dispensare, seu illud commutare vel relaxare posse, sed huiusmodi dispensationem, commutationem, vel relaxationem dumtaxat nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservatam esse:

§ 2. Hinc est quod nos, ne de praemissorum validitate ullatenus dubitari contingat, illorum omnium et singulorum robori, firmitati et efficaciae, quantum cum Domino possumus, opportune providere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis oc-

(1) Ex App. Bul. de Prop. Fide vol. I., pag. 400, collat. cum Reg. Brev.

casione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum S.R.E. praedictae Cardinalium in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum a sede praedictâ specialiter deputatorum consilio, tecum super quocumque voto a te quomodolibet emisso et quantiscumque vicibus reiterato de non acceptandâ ullâ praelatione seu dignitate vel munere ecclesiastico extra Societatem praedictam, consensuque desuper non praestando, nec non quocumque iuramento, si quod forsan eâ super re praestiteris, ita ut illis non obstantibus praefectio de tui personâ in Episcopum et pastorem dictae ecclesiae Claudiopolitanae, ac constitutio et deputatio de eâdem tui personâ in Vicarium Apostolicum praedictae provinciae Quei-cheu a memorato Carolo Thomâ Cardinale Commissario et Visitatore Generali, vigore facultatum ei per supradictas nostras literas, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, attributarum, sicut praemittitur, facta, nec non susceptio muneris consecrationis, quod forsan dictus Carolus Thomas Cardinalis Commissarius et Visitator Generalis iuxta tenorem et formam dictarum facultatum tibi impendit seu ab aliis Episcopis tibi impendendum commisit, ut praefertur, ab ipso initio valeant viribusque plene subsistant, ac tibi in omnibus et per omnia suffragentur, perinde ac si votum et iuramentum praedictum nunquam emisisses et praestitisses, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, dispensamus, votumque et iuramentum huiusmodi tibi ad effectum praedictum relaxamus:

§ 3. Ac easdem de tui personâ in Episcopum et pastorem ecclesiae Claudiopolitanae praefectionem, nec non in Vicarium Apostolicum provinciae Quei-cheu constitutionem et deputationem, muneris quoque consecrationis susceptionem cum omnibus et singulis illorum vigore a te ceteroqui legitime factis, gestis, decretis, mandatis et ordinatis, ac alias quomodolibet inde ceteroqui pariter legitime secutis et secuturis, auctoritate et tenore praedictis ab ipso pariter initio validamus, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, qui propter praemissa quomodolibet intervenerunt seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, supplemus et sanamus.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. praedictae Cardinales etiam de latere Legatos, et dictae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam conciliaribus, nec non dictae Societatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xv. martii MDCCXI., pontificatus nostri anno XI.

XXXVIII.

Concedit religioni Bethlehemitarum privilegia Ordinum Mendicantium et congregationis Ministrantium Infirmis (1).

CLEMENS PP. XI.
ad perpetuam rei memoriam.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut, paternam sacrarum religionum et congregationum christianae ca- Exordium.

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

ritatis et hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium et institutum, quo, labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuent et ferventius exequantur, liberalibus gratiarum et privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Preces et motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Michaël de Iesu Maria, Congregationis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in hospitalibus pauperum convalescentium in Indiis Occidentalibus se exercentium iam in Romanâ Curiâ procurator, nobis nuper exponi fecit, fratres dictae Congregationis, nuper a nobis per quasdam nostras desuper in simili formâ Brevis die III. aprilis anni proxime praeteriti expeditas litteras in veram religionem erectae, tria substantialia vota in illâ ad instar ceterorum Ordinum et institutorum a Sede Apostolicâ confirmatorum de praesenti emittant, aliaque multiplicia atque insignia pietatis et christianae caritatis opera erga pauperes et convalescentes in eorum hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio, exercuerint, et in dies exercere non desinant; ut autem illa semper impensius et indefessi obeant et continuent, ipse Michaël plurimum cupiat, gratias et privilegia Ordinum Mendicantium et Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis, quae aliàs recolendae memoriae Urbanus PP. VIII., praedecessor pariter noster, Ordini, tunc Congregationi, nuncupatorum fratrum S. Ioannis Dei communicavit et concessit, nosque subinde, nempe die XXV. iunii MDCCI., per quasdam nostras in simili itidem formâ Brevis desuper expeditas litteras, ad Congregationem Caritatis sub titulo Sancti Hippolyti martyris in Indiis sub certis modo et formâ tunc expressis extendimus, praedictae Congregationi fratrum Bethlehemitarum, illiusque fratribus et locis, a nobis pariter communicari et concedi:

Concessio privilegiorum, ut in rubricâ.

§ 2. Nos, eamdem Congregationem fratrum Bethlehemitarum et pia illius instituta confovere et promovere, ac proinde dictum Michaëlem et dilectos filios fratres Congregationis huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus eiusdem Michaëlis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, attentis narratis, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates et exemptiones, libertates, ceterasque gratias, praeeminentias, et indulta cuiusque generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint (dummodo tamen sint in usu, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, et apostolicis constitutionibus et ordinationibus, vel memoratis regularibus dictae Congregationis Bethlehemitarum institutis non adversentur), praedictis Ordinibus Mendicantium, et Congregationi clericorum regularium Ministrantium Infirmis, eorumque conventibus, domibus et aliis locis regularibus, ac Ordinum et Congregationis huiusmodi generalibus, praesidentibus, et quibusvis aliis superioribus, praelatis et capitulis, etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, prioribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, et quibusvis eorum regularibus personis, tam in Urbe quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt et conceduntur, ac quibus de iure, usu, vel consuetudine, privilegio, seu concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, ad praefatam Congregationem Bethlehemitarum et singula illius hospitalia, domos et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos et quascumque regulares personas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus, illaque eis communicamus et denuo concedimus, ac suffragari volumus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et

pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae Camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis et fratrum dictae Congregationis Bethlehemitarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem plenum earum effectum sortiri et obtinere, illosque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem sub quovis praetextu et causâ etiam defectu intentionis nostrae per quoscumque quomodolibet indebite molestari; quinimo, quidquid in contrarium attentari vel fieri continget, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quascumque de quibus eis videbitur censuras et poenas ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione pospositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii PP. VIII., etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinum et Congregationis clericorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et formâ, derogari valeat, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. iulii MDCCXI., pontificatus nostri anno XI.

XXXIX.

Concedit extensionem numeri duodenarii magistrorum ad octodenarium pro provinciâ Limanâ Ordinis eremitarum Sancti Augustini in Indiis Occidentalibus (1).

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Const. edit. MDCCX., die XX. maii, pontif. X., auctus fuit numerus magistrorum in provinciâ Chiliensi; et const. ed. MDCCXX., die XX. octobris, pontif. XX., augetur numerus eorumdem in provinciâ Peruvianâ.

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Describitur praestantia quatuor domorum pro studiis provinciae.

§ 1. Exponi nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Limanae Ordinis eremitarum Sancti Augustini in Indiis Occidentalibus, quod dicta provincia quatuor domus studiorum non parum conspicuas et decoras habet, et in primâ quidem B. Mariae Virginis de Gratiâ nuncupatâ continuo adsunt quatuor lectores, duo nempe theologiae speculativae, alter theologiae moralis, et alius philosophiae; in secundâ vero, quae est collegium S. Idelphonsi, universitatis pontificiae praerogativâ maximisque privilegiis gaudens, octoginta circiter unâ cum lectoribus studentes, ac tres lectores theologiae speculativae, quorum primus matutinus, alter nonae, et alius vesperarum respective nuncupantur, necnon unus lector theologiae moralis, et alii duo philosophiae, unus regens et unus magister studiorum, qui semper est lector theologiae; ac in tertiâ, quae est Cuscensis, quinquaginta circiter studentes, duo lectores theologiae speculativae, alter theologiae moralis, et alius philosophiae, ac unus regens; in quartâ denique domorum huiusmodi, quae est Chuquisaquensis seu Platensis, quadrigentis leucis a civitate Limanâ distans, triginta circiter unâ etiam cum lectoribus studentes, quorum lectorum duo sunt theologiae speculativae, alter theologiae moralis, et alius philosophiae, respective reperiuntur: ac insuper in eâdem provinciâ quadraginta duo lectores iubilati numerantur, quorum decem vel duodecim in magno conventu Limano dicti Ordinis commorantur, ubi continuo pariter adsunt viginti doctores seu magistri in sacrâ theologiâ, qui doctoratus seu magisterii lauream in regiâ Limanâ studii generalis universitate adepti fuerunt, ibique a dictâ provinciâ, ad effectum ut succedente alicuius in dictâ universitate cathedrae vacatione ad illius consecutionem unâ cum aliis sive regularibus sive saecularibus ibidem ad eumdem effectum commorantibus concurrere valeant, manutenentur; ac pleramque Ordo praedictus tres aut quatuor cathedras in eâdem universitate habere solet.

Concessio numeri magistrorum ad sex alios.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta provincia pro tot religiosis studiis doctrinaeque deditis nullum aliud habeat quod virtuti rependat praemium quam duodecim magisteria de numero, nec ullus dictorum religiosorum ad magisterii huiusmodi gradum, nisi per obitum alicuius illum obtinentis vacaverit, promoveri possit; ac proinde ipsi exponentes, quo religiosis praedictis novi ad studia et virtutes stimuli addantur, duodenarium provinciae praedictae magistrorum numerum ad vigintiquatuor a nobis augeri plurimum desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui super praemissis dilectum filium procuratorem generalem dicti Ordinis audiverunt et votum capituli generalis eiusdem Ordinis novissime in almâ Urbe nostrâ celebrato viderunt, consilio, ut de cetero duodenarius dictae provinciae magistrorum numerus ad alios sex magistros augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro

plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI. februarii MDCCXII., pontificatus nostri anno XII.

XL.

Denegat missionario de Andrada Soc. Iesu in Indiis Occidentalibus extensionem facultatum matrimonialium ad primum affinitatis gradum, petitam etiam a pluribus Episcopis illarum partium (1).

Dilecto filio religioso viro Ludovico de Andrada Societatis Iesu missionario in Indiis Occidentalibus

CLEMENS PP. XI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Delata nuper iussu nostro ad Congregationem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ christianâ republicâ adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum, ibique mature discussa fuit tua ac plurium Episcoporum istarum partium postulatio, ut facultatem dispensandi in gradibus a iure vetitis, alias a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac etiam a nobis, omnibus Ordinariis et missionariis earumdem partium ad certum tempus et cum certis dumtaxat personis attributam, ad primum affinitatis gradum, etiam ex copulâ licitâ resultantis, ampliare ac extendere dignaremur. Eius autem Congregationis sententia fuit, observandas esse literas tum a felici record. Alexandro VIII. die XXX. maii anni MDCXC., tum etiam a nobis diebus II. et XXIX. aprilis, ac XI. iunii anni MDCCI. eâ de re editas. Quapropter ab huiusmodi sententiâ, quam iustissimam et huius S. Sedis mori consentaneam arbitramur, nobis discedendum non esse rati, te monitum volumus, ut limites in praefatis apostolicis literis constitutos, quantum ad te attinet, omnino custodias, nec tamen omittas, omnem operam, diligentiam, laborem ac studium pro spectato zelo tuo in id conferre, ut mala, quae magnâ cum animi nostri molestiâ istic invaluisse percepimus, omnino tollantur. Quod ut felicius exequaris, apostolicam benedictionem tibi amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX. aprilis MDCCXII., pontificatus nostri anno XII. (2).

XLI.

Ad Episcopum Meliaporensem documentum S. Inquisitionis mittit, ex quo ipsi ceterisque praesulibus et missionariis constet, decretum Cardinalis de Tournon anni MDCCIV. de ritibus sinensibus rescissum non esse (3).

Venerabili fratri Francisco Episcopo Meliaporensi

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Non sine gravi animi nostri molestiâ istis in partibus evulgatum fuisse audivimus, quod praescripta in quodam decreto die XXIII. iunii anno MDCCIV. Pudicherii edito a bo. me. Cardinali de Tournon, cum illuc ad sinensis imperii oras transmigraturus accessit, a nobis rescissa et abrogata, ac simul caeremoniae et ritus, qui eodem decreto superstitionis labe infecti declarantur, vel omni vel aliquâ ex parte approbati ac permissi fuerint. Cum autem maxime cupiamus, ut in re tanti momenti non modo fraternitati tuae, verum etiam, te curante, ceteris istarum partium Antistitibus ac missionariis aperte veritas innotescat, tibi coniuncta folia a notario S. R.

---

(1) Epist. et Brev. select. t. 2, pag. 165.
(2) Eod. in sensu scripsit Pontifex nonnullis Episcopis Americae meridionalis idem optantibus.
(3) Ex App. vet. Bull. de Prop. Fide vol. I., pag. 433, collat. etc.

ac universalis Inquisitionis subscripta ac eiusdem Inquisitionis signo roborata mittenda duximus, ex quibus abunde ac luculenter intelliges, quaenam eiusmodi in rebus hactenus fuerit et adhuc sit nostra mens, donec a nobis et Apostolicâ Sede aliter decernatur. Quod superest, pastorum Principem enixe rogamus, ut in arduis pastoralis officii curis caelesti suâ ope tibi iugiter adesse velit. Et fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII. sept. MDCCXII., pontificatus nostri anno XII.

XLII.

Concedit magistro generali Ordinis Praedicatorum facultatem erigendi in Sinis in eodem loco alteram confraternitatem SS. Rosarii pro mulieribus, cum solitis indulgentiis (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Preces magistri generalis, et causae concessionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche magister generalis Ordinis fratrum Praedicatorum, quod, cum in Sinarum regnis inviolabilis mos vigeat quod ecclesiae christifidelium, tam respectu situs, quam mulierum, inter eas et viros distinguantur, itaut nec viri ad earumdem mulierum ecclesias, nec praedictae mulieres ad illas virorum accedere valeant, ipse Antoninus magister generalis, ne mulieres huiusmodi a participatione indulgentiarum SS. Rosarii (cuius confraternitates in ecclesiis virorum erigi, illarumque erectio a constitutionibus apostolicis in unâ dumtaxat ecclesiâ cuiuslibet civitatis permitti solent) excludantur, easdem indulgentias etiam ad ecclesias praedictarum mulierum, quarum non minor est erga idem SS. Rosarium devotio, per nos extendi plurimum desiderat: nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio dictae facultatis.

§ 2. Nos igitur, ipsum Antoninum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, eidem Antonino magistro generali, ac ei, quem ipse in illis regionibus delegaverit, facultatem erigendi in eodem loco unam pro viris et alteram pro mulieribus confraternitatem SS. Rosarii, cum declaratione quod tam viri quam mulieres eisdem SS. Rosarii indulgentiis in eorum respective ecclesiis frui possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae

(1) Ex Bull. P. de P. F. vol. II., pag. 24, coll. cum Reg. Arch.

in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. februarii MDCCXIII., pontificatus nostri anno XIII.

XLIII.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium de suffragio concedendo superioribus cuiuscumque conventus Minorum de Observantiâ in provinciis Indiarum Occidentalium, non obstante constitutione Pauli V. (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Ne superiores parvorum coenobiorum suffragium ferrent in capitulis provincialibus obstabat Pauli V. constitutio.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Andreae de Quiles fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observentiâ nuncupatorum, procuratoris generalis in curiâ Matritensi omnium provinciarum Indiarum Occidentalium eiusdem Ordinis, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod, cum a longissimo tempore in pluribus conventibus et domibus earumdem provinciarum ob Indorum paupertatem exiguus religiosorum numerus sustentatus fuisset, dictique religiosi instructioni illorum populorum pro conservandâ fide catholicâ sedulam operam navassent, evenerat, prout de praesenti eveniebat, ut religiosi huiusmodi in aliquâ ex dictis domibus tres, in alterâ duo, in aliâ vero unus tantum reperirentur; ac, attento tam exiguo religiosorum numero, guardiani et superiores earumdem domorum impediti fuerint qui vota sive suffragia in eorum capitulis provincialibus absque notorio scandalo ferre potuerint in vim quarumdam litterarum felicis recordationis Pauli PP. V. praedecessoris nostri die XXIII. decembris MDCXI. expeditarum, per quas statuebatur ut conventus praedicti supprimi, eorum vero religiosi ad alios conventus commodiores transferri deberent; et aliàs, prout in praedictis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicebatur contineri: et in eâdem expositione subiuncto quod memorati Pauli praedecessoris litterae executioni demandatae minime reperiebantur, sed solum allegabantur ad fovendas dissensiones, prout venerabilis frater modernus Archiepiscopus S. Fidei in eisdem Indiis praedictae Congregationi Cardinalium retulerat: proindeque, ut inter memoratos religiosos mutua animo tranquillitas stabiliretur, eidem Congregationi Cardinalium supplicato ut circa praemissa id quod aliàs ad favorem provinciarum Floridae et de Buenosayres fratrum eiusdem Ordinis, necnon S. Antonini novi regni Granatae et S. Crucis Ordinis fratrum Praedicatorum in eisdem Indiis die XXI. novembris MDCCVII. et die XX. iulii MDCCVIII. necnon die X. iunii anni proxime praeteriti rescriptum fuerat, nempe ut, memoratis Pauli praedecessoris litteris minime obstantibus, etiam in reliquis supradictis eiusdem Ordinis Sancti Francisci de Observantiâ provinciis servari decerneretur: emanavit ab eâdem Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis.

« Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem hunc libellum remisit, audito patre procuratore generali Ordinis, referente eminentissimo de Abdua, censuit ac decrevit servandum solitum, enunciato Brevi S. M. Pauli V. et aliis quibuscumque non obstantibus. Romae XVI. martii MDCCXIII. G. Cardinalis CARPINEUS. T. A. Nicaenus secretarius. »

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Andreas nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Andreae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et ab-

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

solutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris die XVI. iunii MDCCXIII., pontif. nostri anno XIII.

XLIV.

Pariter confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium de concedendo suffragio superioribus cuiuscumque coenobii fratrum eremitarum S. Augustini in quibusdam provinciis Indiarum Occidentalium, non obstante constitutione Pauli V. (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Ne superioribus parvorum coenobiorum praedictorum suffragium de more concederetur, vetabat constitutio Pauli V.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Augustini Garciae de Galbes, fratris expresse professi Ordinis Eremitarum S. Augustini, in sacrâ theologiâ magistri, ac procuratoris generalis provinciarum B. Mariae de Gratiâ nuncupatarum novi regni Granatensis, Peruvii et Mexicanae eiusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod, licet in aliquibus earumdem provinciarum conventibus seu domibus valde exiguus, nempe duorum, trium seu quatuor, religiosorum numerus aleretur, ac etiam in nonnullis domibus huiusmodi unus tantum religiosus nomine prioris habitaverit et inhabitaret, nihilominus iidem conventus omnibus illis praerogativis, quibus ceteri conventus maiori et sufficienti eorumdem religiosorum numero referti frui solebant, fruebantur, et inter alia ut eorum priores seu vicarii pro legitimis superioribus semper habiti, ac voto sive suffragio in capitulis provincialibus potiti fuerint, ex eo quia praedictorum religiosorum munus in instruendis explicatione catechismi populis illarum partium, eisque ad gremium fidei catholicae adducendis versabatur, eâque de causâ satis longe se conferre cogebantur, nec eis ob tam considerabilem distantiam ad propriam domum nisi post plurium mensium vel etiam alicuius anni spatium redire licebat; porro, hoc minime obstante, vigore quarumdam literarum felicis recordationis Pauli PP. V. praedecessoris nostri, die XXIII. decembris MDCXI. in simili formâ Brevis desuper expeditarum, praetendebatur conventus huiusmodi, qui octo religiosorum numerum sustentare nequivissent, supprimi debere, si vero ad suppressionem huiusmodi devenire minime posset, religiosi ad alios conventus seu ad alias domos regulares transferendi essent, itaut in partibus Indiarum non reperiretur monasterium aut regularis domus, in quo seu qua minor numerus octo monachorum seu fratrum regularem vitam duceret; et aliàs, prout in supradictis Pauli praedeces-

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Simile decretum pro fratribus Minoribus de Observantiâ vide in constit. praeced. Porro in const. ed. MDCCVIII.. die XIV. augusti, pontif. VIII., extat decretum contra alternativam in provinciâ B. M. V. de Gratiâ, et const. ed. MDCCXX., die XX. octobris. pontif. XX., augetur numerus magistrorum in provinciâ Peruvanâ.

soris litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur: et in eâdem expositione subiuncto, quod praedictae Pauli praedecessoris litterae executioni nunquam demandatae fuerant, si vero executioni huiusmodi demandandae essent, diversae inordinationes, non sine maximo scandalo, exinde essent oriturae, prout venerabilis frater modernus Archiepiscopus S. Fidei eidem Congregationi Cardinalium retulerat; eâque de causâ memorati Pauli praedecessoris litterae, quarum executio arbitrio Archiepiscoporum et Episcoporum tunc in eisdem partibus existentium commissa fuerat, hucusque ab eis ob praemissa eiusmodi executioni demandatae minime reperiebantur: proindeque praedictae Congregationi Cardinalium supplicato ut circa praemissa nihil innovari, sed solitum in dictis provinciis, non obstantibus praefatis Pauli praedecessoris litteris (quemadmodum per eamdem Congregationem Cardinalium provinciae Floridae et de Buenosayres Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatae, die XXI. novembris MDCCVII., et die XXI. iunii MDCCVIII., necnon die X. iunii anni proxime praeteriti provinciae S. Antonini novi regni Granatensis et S. Crucis Ordinis fratrum Praedicatorum in eisdem Indiis, ad earum favorem rescribi obtinuerunt), servari deberet: emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis.

«Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem hunc libellum remisit, audito patre procuratore generali Ordinis, referente eminentissimo de Abdua, censuit ac decrevit servandum solitum, non obstante enunciato Brevi sanctae memoriae Pauli V., et aliis quibuscumque. Romae, XVI. martii MDCCXIII. — G. Cardinalis CARPINEUS. F. A. NICAENUS secret.»

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Augustinus Garzias nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Augustini Garziae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXI. iunii MDCCXIII., pontific. nostri anno XIII.

XLV.

Decernit P. servandum esse solitum super suffragio ferendo a superioribus cuiuscumque coenobii fratrum Ordinis Praedicatorum in provinciis Indiarum

Occidentalium, non obstante constitutione Pauli V. (1).

CLEMENS PAPA XI.
ad futuram rei memoriam.

Idem antea definitum fuerat a Congregatione pro provinciis S. Antonii et S. Crucis.

§ 1. Aliàs pro parte provinciarum S. Antonii novi regni Granatensis et S. Crucis Ordinis fratrum Praedicatorum in Indiis Occidentalibus nobis exposito, quod, licet praxis inconcussa inolevisset, priores seu Vicarios illorum conventuum seu domorum, tametsi sufficientem religiosorum numerum minime alerent, itaut in nonnullis ex eisdem conventibus quatuor religiosi, ac etiam unus uti prior seu Vicarius permanserit, ad provincialia capitula, cum voto et loco in superioris provincialis electione, iuxta etiam approbationem felicis recordationis Clementis VII., Pauli III., Gregorii XIII. et Alexandri etiam VII. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, semper accessisse, nihilominus nonnullis ab hinc annis ab aliquibus factionariis scandalose praetensum fuerat, provincialium seu vicariorum electiones cum voto et suffragio eorumdem priorum seu vicariorum sic celebratas nullas et irritas fuisse, et quidem vigore quarumdam piae memoriae Pauli Papae V. pariter praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis die XXIII. decembris MDCXI. expeditarum litterarum, quibus praescribitur, quod dicti conventus seu domus, numerum saltem octo religiosorum alere non valentes, perpetuo supprimi, aut fratres, in tam exiguo numero inibi viventes, ad alios conventus, ubi regularis vigeret observantia, transferri deberent: et in eâdem expositione subiuncto, quod eiusdem Pauli V. praedecessoris litteras huiusmodi per Episcopos et Archiepiscopos earumdem Indiarum, quorum arbitrio illarum executio remissa fuerat, executioni unquam demandatas fuisse non constabat; imo venerabilis frater Archiepiscopus S. Fidei infrascriptae Cardinalium Congregationi per peculiares litteras ipsi directas retulerat, impossibile prorsus fore ad earum executionem devenire: ideoque earumdem provinciarum nomine nobis supplicato ut in dictis provinciis tam circa permanentiam memoratorum conventuum, quam accessus ac suffragia danda ab illorum prioribus et Vicariis in eiusmodi capitulis provincialibus, non obstantibus praedictis Pauli V. praedecessoris litteris, solitum servari mandaremus: nos controversiam huiusmodi ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum examinandam remisimus; ipsa vero Congregatio per suum decretum die X. iunii anni proxime praeteriti emanatum rescripsit quod solitum servaretur, praedictis Pauli V. praedecessoris litteris et aliis quibuscumque non obstantibus.

Causa sequentis decreti, et preces procuratoris generalis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, ne eaedem praetensiones et scandala in omnibus aliis dictarum Indiarum Occidentalium provinciis praedicti Ordinis vigeant seu irrepant, ac proinde in illis id quoque, quod pro praedictis provinciis S. Antonini et S. Crucis decretum fuit, servari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum praedictum pro aliis provinciis.

§ 3. Nos igitur, dictum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de supradictae Congregationis Cardinalium consilio, ut de cetero in reliquis earumdem Indiarum Occidentalium provinciis eiusdem Ordinis, praedictis Pauli V. praedecessoris litteris et aliis quibuscumque minime obstantibus, servetur solitum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. octobris MDCCXIII., pontif. nostri anno XIII.

XLVI.

Maronitas laudat, quod ob Apostolicae Sedis sententiâ iterum Patriarcham susceperint, qui unicus in toto Oriente legitime ab iis eligitur; declarat tamen, si qui sint adhuc renuentes, eos incidisse in censuras Romano Pontifici reservatas (1).

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, nec non dilectis filiis Clero tam seculari quam regulari, principibus, et populo universo nationis Maronitarum

CLEMENS PP. XI.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Magno cum animi nostri gaudio nuper audivimus, vos alias nostras in simili formâ Brevis die XXIV. iunii MDCCXIII. proxime elapsi vobis conscriptas literas, quibus ea, quae in causâ ven. fratris Iacobi Patriarchae vestri hic gesta atque decreta fuerunt, accurate vobis significavimus eâ qua par erat reverentiâ et obsequio excepisse, nostrisque apostolicis definitionibus acquiescendo effecisse, ut idem Patriarcha pristinum in locum, unde perperam deiectus fuerat, restitueretur, eique tamquam vero et legitimo Antistiti vestro animarumque vestrarum pastori debita subiectio ac reverentia praestaretur. Est propterea ut filialem devotionem vestram cum incorrupta constantique in nos et S. hanc Sedem fide coniunctam, quam hac potissimum occasione luculenter testatam fecistis, meritis in Domino laudibus prosequamur. Quocirca vos, venn. fratres, dilecti filii, eo nomine non tam effuse commendamus, quam singulari paternae nostrae caritatis affectu complectimur, uberesque Deo O. M. gratias agimus, quod dederit vobis cor docile ut intelligeretis et bene ageretis. Vobis itaque inclytae nationi vestrae universae apostolicam benedictionem ex intimo paterni cordis nostri depromptam elargimur, simulque vos omnes enixe hortamur, admonemus et in Domino obtestamur, ut in pio ac salutari proposito, qua decet constantiâ ac animi firmitate, permanentes, eidem Iacobo Patriarchae vestro, qui unicus inter omnes Orientis Antistites non sine praecipuâ vestrae gentis gloriâ legitime a vobis eligitur, et ab hac S. Sede canonice confirmatur, quando reliqui omnes a non habentibus potestatem pari facilitate deputantur ac deponuntur, congruam debitamque obedientiam exhibere pergatis. Ubi vero inter vos (quod tamen credere nullo pacto possumus) aliqui ita perfricatae frontis obduratique animi adhuc reperientur, qui pontificiis nostris decretis obnitentes, memorato Iacobo Patriarchae morem gerere detrectarent: nos, excommunicationis sententiae a dilecto filio religioso viro Laurentio a S. Laurentio conventus fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum in Hierosolymitanâ civitate custode Commissario nostro apostolico latae inhaerentes, eiusmodi refractarios mandatorumque nostrorum contemptores, etiamsi archiepiscopali, episcopali, abbatiali, et quavis alia ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate praefulgeant, et cu-

(1) Epist. et Brev. select. t. 2, p. 425.

iuscumque status, gradus et ordinis ac instituti existant, nec non illis consilium, auxilium, favorem vel quamvis aliam damnabilem operam praestantes, vel ab eis gesta quomodolibet approbantes et rata habentes, etiamsi specialem expressam ac individuam mentionem exigerent, censuras omnes et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim literis die Coenae Domini quotannis legi et promulgari solitis constitutas in eis, qui apostolicis mandatis obtemperare detrectant seu illorum executionem quoquo modo impediunt, temere ac damnabiliter incurrisse, nec a censuris huiusmodi a quoquam nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse harum serie apostolicâ auctoritate decernimus et declaramus. Vobis demum, venn. fratres et dilecti filii, pontificiae nostrae caritatis testimonium apostolicam rursus benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. augusti MDCCXIV., pontif. nostri anno XIV.

XLVII.

Decreta Congregationis particularis, ac Episcoporum et Regularium confirmat, de revocatione decretorum capituli generalis MDCCIII. Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus; de eius erectione in religionem, aliisque nonnullis ad regimen pertinentibus (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Species facti. § 1. Aliàs emanarunt tam a Congregatione particulari nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus a nobis specialiter deputatâ, quam a Congregatione eorumdem Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositâ, ad supplicationem dilecti filii Francisci de Sancto Antonio, fratris expresse professi ac prioris hospitalium seu domorum Mexicanae, Angelopolitanae, Oaxacanae et S. Christophori de Havanâ nuncupatarum Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus, decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta S. Congregationis. Cum in asserto capitulo generali Congregationis Bethlehemitarum habito Guathemalae die XII. decembris MDCCIII. quamplura edita fuerint decreta contraria constitutionibus dictae Congregationis apostolicâ auctoritate erectae anno MDCLXXXVII. confirmatis, adversus praedicta decreta nomine hospitalium, seu domorum, Mexicani, Angelopolitani, Oaxacani, et S. Cristophori de Havana nuncupatorum eiusdem Congregationis, mediante personâ fratris Francisci a S. Antonio eorum specialis procuratoris habito recursu ad Sanctam Sedem Apostolicam, et negotii huiusmodi cognitione remissâ ad sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, et per eam deputatâ Congregatione particulari eminentissimorum dominorum Cardinalium S. Clementis, Gabriellii et Parracciani, usque et sub die XII. aprilis MDCCIX. prodiit decretum tenoris sequentis: « Revocatis decretis asserti capituli generalis in eâ parte, in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis, serventur omnino eaedem constitutiones; et Archiepiscopo Limano pro executione et convocatione capituli, cui praesideat per se sive per alium, cum omnibus facultatibus sacrae Congregationis; et, quatenus tunc temporis Archiepiscopus obierit, exequatur et praesideat Vicarius capitularis ». Quod decretum sub die XXV. martii MDCCX. fuit per speciale Breve a sanctissimo domino nostro confirmatum. Et postea, cum in eâdem Congregatione orta fuerit dubietas, an Congregatio Bethlehemitarum esset vere et formalis religio, habitâ de tali dubitatione notitiâ a fratre Michaële a Iesu Maria et a fratre Francisco a S. Antonio, isti recursum habuerunt ad Sanctissimum, ad hoc ut erigeret Congregationem Bethlehemitarum in veram religionem; et delegatâ instantiâ per Sanctitatem Suam eidem Congregationi particulari trium Cardinalium, prodiit sub die VIII. novembris eiusdem anni MDCCIX. decretum: « Consulendum Sanctissimo pro erectione Congregationis

---

(1) Ex Arch. Secret. Brev. Erectionem huius Congregationis eiusque constitutiones vide in Innocentii XI. const. ed. MDCLXXXVII., die XXVI. martii, pontif. XI.; erecta fuit in religionem ab hoc Pontifice const. editâ MDCCX., die III. aprilis, pontif. X.; et in Benedicti XIII. const. edit. MDCCXXV., die IV. maii, pontif. I., confirmantur quaedam resolutiones capituli generalis.

Bethlehemiticae in Indiis Occidentalibus in veram religionem cum votis solemnibus emittendis ex integro, etiam ab iis, qui hactenus vota emiserunt in eâdem Congregatione: ita tamen ut emittentes nova vota prius certiorentur de inefficaciâ praecedentium votorum ad constituendos eos veros religiosos ». Quod decretum fuit a Sanctitate Suâ approbatum per aliud Breve expeditum die III. aprilis MDCCX. Cumque, sub praetextu quod pater Rodericus a Cruce assertus praefectus generalis Ordinis Bethlehemitarum non fuerit auditus in supra relatâ propositione habitâ coram dictâ sacrâ Congregatione deputatâ, serenissimus rex Hispaniarum Philippus V., retentis dictis Brevibus, remiserit partes ad Sanctissimum, ad effectum audiendi super praemissis eius oraculum, porrecto pro parte fratris Michaëlis a Conceptione, procuratoris dicti patris Roderici, Sanctitati Suae supplici libello, et iterum delegatâ negotii cognitione sacrae Congregationi deputatae, et suffecto, in locum eminentissimi Gabriellii, eminentissimo domino Cardinali S. Priscae, sub die V. februarii MDCCXIV., auditis partibus, tam in voce quam in scriptis, prodiit decretum tenoris qui sequitur: « Sacra Congregatio particularis praedicta perstitit in decretis sub die XII. aprilis MDCCIX., nempe: quoad revocationem decretorum asserti capituli generalis Guathimalae in eâ parte in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis, serventur omnino constitutiones; et insuper declaravit et decrevit, capitulum generale omnino esse convocandum, in quo eligatur novus generalis, servatâ formâ constitutionum auctoritate apostolicâ confirmatarum, et, per vota secreta omnium capitularium, exquiratur an expediat religioni quod in posterum generalis sit ad sexennium seu potius ad novennium, exclusâ omnino perpetuitate generalatus: quoad duos vicepraefectos generales Mexici et Limae, serventur constitutiones: quoad electionem praefectorum localium, pariter serventur constitutiones: quoad votum assistentium, esse decisivum ad formam constitutionum: quoad Vicarium generalem per mortem generalis, pariter serventur constitutiones: quoad aetatem eligendorum in praefectos et magistros novitiorum, detur facultas dispensandi praefecto generali cum voto assistentium: quo vero ad concernentia erectionem Congregationis Bethlehemiticae in veram religionem, satis provisum per decretum huiusmet Congregationis sub die VIII. novembris MDCCIX. confirmatum per Breve apostolicum ». Et die XXVII. februarii MDCCXIV., factâ relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua approbavit et mandavit expediri Breve. Adversus quas resolutiones pro parte patris Roderici a Cruce, seu potius fratris Michaëlis a Conceptione eius procuratoris, habito usque de mense martii proxime elapsi recursu ad sanctissimum dominum nostrum, et per Sanctitatem Suam benigne remissâ causae cognitione ad sacram Congregationem generalem Episcoporum et Regularium, cum pluries pro parte fratris Francisci a S. Antonio fuerit intimata propositio, eiusque (1) sub die XXII. maii mandaverit sacra Congregatio quod proponeretur omnino in primâ, et, ad petitionem fratris Michaëlis a Conceptione, duorum et ultra mensium spatio dilata extiterit, repropositâ causâ per eumdem eminentissimum ponentem, eadem sacra Congregatio, partibus in voce et in scriptis acerrime informantibus super infrascriptis dubiis: I. An sit locus reformationi Brevis sanctissimi domini nostri super erectione Congregationis Bethlehemiticae in religionem editi die III. aprilis MDCCX.; II. An sit standum vel recedendum a decisis super aliis resolutionibus capitis (2) in sacrâ Congregatione particulari die V. februarii MDCCXIV.: respondit quoad primum nihil de praetensâ reformatione Brevis, et ad mentem, quae est quod detur optio iis qui actu sunt in Congregatione vel emittendi vota solemnia vel remanendi in eâdem Congregatione obnoxii prioribus votis: in reliquis, fratre Francisco a S. Antonio tantum informante, et fratre Michaële a Conceptione, diu expectato et continuis intimationibus lacessito, informare recusante, eadem sacra Congregatio in decisis in omnibus, et huiusmodi causam amplius non proponi mandavit, prout praesentis decreti vigore amplius non proponi mandat ac praecipit. Romae, XVII. augusti MDCCXIV. — F. Card. DE ABDUA. — FERDINANDUS Archiepiscopus Nicaenus, secretarius.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis subinde exponi fecit, ipse decreta huiusmodi, quo firmius subsistant,

(1) Videtur legendum *et usque*.

(2) Videtur legendum *captis*.

apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi Francisco gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae cum deputatione executorum.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiscopis Limano et Mexicano in solidum, ac dilectis itidem filiis eorum officialibus, et, in eorum defectum, primae dignitati, seu antiquiori canonico uniuscuiusque ecclesiae archiepiscopalis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte in praemissis interesse habentium seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, omnesque et singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt, praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis Bethlehemitarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. decembris MDCCXIV., pontif. nostri anno XIV.

XLVIII.

Decreta de ritibus et caeremoniis sinensibus confirmat, indictisque poenis, ab omnibus servanda mandat; missionariis iubet ut iuramentum de iisdem decretis servandis determinatâ formula emittant etc. (1).

(1) Ex vet. B. P. de P. F. pag. 305, coll. cum Reg. Bull. Abbreviatoris Curiae in tabulariis secretis vaticanis existente in quo asservantur minutae originales signatae a Pontifice. Laudata responsa hic referuntur, quae confirmata fuere const. ed. MDCCIV., die XXIX. novembris, pontif. IV. Observantia eorum et decreti commissarii generalis praecepta fuit decreto supra allato MDCCX., die XXV. septembris, pontif. X.; const. ed. MDCCXI., die XV. martii, pont. XI., confirmatum fuit dictum decretum commissarii.

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Exordium a necessitate submovendi dissidio.

Ex illâ die, qua, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, catholicae Ecclesiae gubernacula, hoc est munus suâ amplitudine gravissimum ac temporum iniquitate molestissimum, Deo sic disponente, suscepimus, nihil nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quam acerrimas contentiones iampridem in imperio Sinarum inter apostolicos illarum partium missionarios exortas, semperque in dies magis invalescentes, tam circa quasdam voces sinicas ad sanctum et ineffabile Dei nomen exprimendum inibi usurpatas, quam circa nonnullos earum gentium ritus veluti superstitiosos a quibusdam ex missionariis praedictis reprobatos, ab aliis vero, utpote eos civiles tantum asserentibus, permissos, apostolici iudicii censurâ opportune dirimere, ut, sublatis dissidiis christianae religionis catholicaeque fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipsum dicerent in eodem sensu et in eâdem sententiâ, unoque ore glorificaretur Deus ab iis qui sanctificati sunt in Christo Iesu.

Hinc edita et confirmata sequentia responsa.

§ 1. Hoc consilio responsa illa, quae ad varias quaestiones super eiusmodi rebus excitatas, praevio diuturno examine, dudum, videlicet tempore felicis recordationis Innocentii Papae XII. praedecessoris nostri, inchoato, ac deinde iussu nostro per plures annos continuato, auditisque utriusque partis rationibus, necnon complurium theologorum et qualificatorum sententiis, a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatorum data fuerunt, nos die XX. novembris MDCCIV. eâdem auctoritate confirmavimus et approbavimus.

Responsa data hic referuntur.

§ 2. Ea autem, quae in responsis huiusmodi decreta fuerunt, sunt quae sequuntur:

Cum Deus optimus maximus congrue apud Sinas vocabulis europaeis exprimi nequeat, ad eumdem verum Deum significandum vocabulum *Tien Chu,* hoc est, caeli dominus, quod a sinensibus missionariis et fidelibus longo ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse; nomina vero *Tien,* caelum, et *Xang Ti,* supremus imperator, penitus reiicienda. Idcirco tabellas cum inscriptione sinicâ *King Tien,* caelum colito, in ecclesiis christianorum appendi, seu, iam appensas, in posterum inibi retineri permittendum non esse.

Ad haec nullatenus nullâque de causâ permittendum esse christifidelibus, quod praesint, ministrent aut intersint solemnibus sacrificiis seu oblationibus, quae a Sinensibus, in utroque aequinoctio cuiuscumque anni, Confucio et progenitoribus defunctis fieri solent, tamquam superstitione imbutis. Similiter nec esse permittendum, quod in aedibus Confucii, quae sinico nomine *Miao* appellantur, iidem christifideles exerceant ac peragant caeremonias, ritus et oblationes, quae in honorem eiusdem Confucii fiunt, tum singulis mensibus in novilunio et plenilunio a mandarinis seu primariis magistratibus aliisque officialibus et litteratis, tum ab iisdem mandarinis, seu gubernatoribus ac magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post eiusdem possessionem adeptam, tum denique a litteratis, qui, postquam ad gradus sunt admissi, e vestigio ad templum seu aedem Confucii se conferunt.

Praeterea non esse permittendum christianis in templis seu aedibus progenitoribus dicatis oblationes minus solemnes eisdem facere, nec in illis ministrare aut quomodolibet inservire, vel alios ritus et caeremonias peragere.

Item nec esse permittendum praefatis christianis oblationes, ritus et caeremonias huiusmodi coram progenitorum tabellis in privatis domibus, sive in eorumdem progenitorum sepulchris, sive antequam defuncti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetas, unâ cum gentilibus, vel seorsim ab illis, peragere eisque ministrare aut interesse; imo praedicta omnia, utpote quae, perpensis hinc inde deductis, necnon diligenter ac mature discussis omnibus, ita peragi comperta sunt, ut a superstitione separari nequeant, christianae legis cultoribus ne quidem permittenda esse praemissâ publicâ vel secretâ protestatione se non religioso sed civili ac politico tantum cultu erga defunctos illa praestare nec ab eis quidquam petere aut sperare.

Non tamen per haec censendam esse damnatam praesentiam illam seu assistentiam mere materialem, quam cum gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam sive tacitam gestorum ap-

probationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque praestari contingat a christianis, cum aliter odia et inimicitiae vitari non possunt; factâ tamen prius, si commode fieri poterit, fidei protestatione, ac cessante periculo subversionis.

Demum permittendum non esse christifidelibus tabellas defunctorum progenitorum in suis privatis domibus retinere iuxta illarum partium morem, hoc est, cum inscriptione sinicâ, qua *thronus* seu *sedes spiritus* vel *animae* N. significetur; imo nec cum aliâ qua *sedes* seu *thronus*, adeoque idem ac priori, licet magis contractâ, inscriptione designari videatur. Quo vero ad tabellas solo defuncti nomine inscriptas tolerari posse illarum usum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia quae superstitionem redolent, et secluso scandalo, hoc est, dummodo, qui christiani non sunt, arbitrari non possint tabellas huiusmodi a christianis retineri eâ mente, qua ipsi illas retinent, necnon adiectâ insuper declaratione ad latus ipsarum tabellarum apponendâ, qua, et quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum in primogenitores pietas esse debeat, enuncietur.

Per praemissa nihilominus non vetari quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint, ab iis gentibus peragi consueta, quae vere superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem praeseferant; sed intra limites civilium et politicorum rituum contineantur. Porro quaenam haec sint, et quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore existentis commissarii et visitatoris generalis apostolici, seu eius vices exercentis in imperio Sinarum, tum Episcoporum et Vicariorum apostolicorum illarum partium iudicio relinquendum esse; qui tamen interea omni quo poterunt studio ac diligentiâ curare debebunt, ut (1), gentium caeremoniis penitus sublatis, illi sensim a christianis et pro christianis hac in re usu recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pro defunctis pie praescripsit.

Relata responsa cum decreto Cardinalis visitatoris de Tournon confirmata fuere.

§ 3. Post haec vero labente fere sexennio, nempe die XXV. septembris MDCCX., auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem mature ac diligentissime discusserunt, suffragiis, eadem responsa, necnon mandatum seu decretum, quod, illis expresse inhaerendo, a piae recordationis Carolo Thoma, dum vixit, eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali de Tournon nuncupato, tunc patriarchâ Antiocheno, commissario et visitatore apostolico generali in praefato imperio Sinarum, die XXV. ian. MDCCVII. editum fuit, ab omnibus et singulis, ad quos spectabat, inconcusse et inviolabiliter sub censuris et poenis in mandato seu decreto huiusmodi expressis observanda esse decrevimus et declaravimus, quovis contrafaciendi quaesito colore seu praetextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis ad nos et Sedem Apostolicam interpositâ, quam propterea prorsus reiiciendam esse similiter decrevimus, ac re ipsâ reiecimus, prout in decreto hac de re edito fusius continetur.

Causa ex praemissis iam absoluta fuerat, sed responsorum executio retardata fuit sinistrâ interpretatione pluribus prætextibus.

§ 4. Haec omnia plene et abunde sufficere debuissent, ut ea, quae inimicus homo superseminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, fidelesque omnes nostris et huius Sanctae Sedis mandatis eâ qua par erat humilitate et obedientiâ obsequerentur, praesertim cum in calce responsorum praedictorum a nobis sicut praemittitur confirmatorum et approbatorum causam iam finitam esse apertis et perspicuis verbis pronunciatum fuerit. Verum, cum, sicuti ex eisdem partibus, non sine intimo animi nostri dolore, ad nostri pervenit apostolatus auditum, tam enixe a nobis praescripta responsorum huiusmodi executio male a plerisque, sive vano falsoque obtentu quod illa a nobis suspensa fuerint vel minus legitime promulgata, sive conditionum, ut perperam asseritur, in eis insitarum, et ante executionem ipsam verificandarum, factorumque, super quibus ipsa emanarunt, non iustificatorum ratione, sive ulteriorum a nobis eâ in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quae tam missionariis quam missioni ipsi ex demandatâ executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demum decreti dudum, nempe die XXIII. martii MDCLVI., super eiusmodi ritibus seu caeremoniis sinicis a praefatâ Congregatione Cardinalium editi, ac a recolendae memoriae Alexandro PP. VII. etiam praedecessore nostro approbati, praetextu, non sine gravi pontificiae nostrae auctoritatis iniuriâ, christifidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento,

(1) Particula *ut* ed. taurin. addunt, sed est in originali.

satis diu multumque eludatur, aut saltem nimium retardetur:

Mandatum de observantiâ responsorum sub certis poenis.

§ 5. Hinc est quod nos, ex commissae nobis divinitus apostolicae servitutis munere, difficultates, tergiversationes, subterfugia et praetextus huiusmodi penitus et omnino e medio tollere ac reiicere, necnon christifidelium quieti animarumque saluti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de eorumdem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis Archiepiscopis et Episcopis in supradicto Sinarum imperio, aliisque ei conterminis sive adiacentibus regnis ac provinciis, nunc et pro tempore quandocumque existentibus, sub suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae, eorum vero officialibus ac vicariis in spiritualibus generalibus, aliisque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apostolicis qui Episcopi non sint, eorumve provicariis, necnon missionariis tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, regularibus, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo a quoquam praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, et quoad regulares etiam privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis, tenore praesentium praecipimus, ac in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut responsa praeinserta, omniaque et singula in eis contenta, exacte, integre, absolute, inviolabiliter et inconcusse observent, ac ab eis, quorum cura ad illos spectat, similiter observari, quantum in ipsis est, curent et faciant. Neque illis, sive ullo ex superius expressis, sive alio quovis titulo, causâ, occasione, colore vel praetextu, contravenire quoquo modo audeant vel praesumant.

Missionarii praestent iuramentum super dictorum observantiâ, nec ante ipsum missiones ineant.

§ 6. Praeterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie statuimus et sub eisdem excommunicationis reservatae ac privationis vocis activae et passivae poenis ordinamus, ut omnes et singuli ecclesiastici, tam saeculares, quam praedictorum Ordinum, Congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, regulares, ad Sinas aliave praefata regna et provincias sive ab hac Sanctâ Sede sive etiam ab eorum superioribus missi, et quandocumque in posterum mittendi, cuiusvis tandem tituli aut facultatis vigore illic existant vel in futurum extiterint, missi scilicet, statim ac praesentes litterae eis innotuerint, mittendi vero, antequam ibidem aliquod missionarii munus exercere incipiant, iuramentum de fideliter, integre ac inviolabiliter observando eiusmodi praecepto ac mandato nostro, iuxta formulam in praesentium litterarum calce annotandam, in manibus commissarii et visitatoris apostolici in praefato imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati, sive, eo deficiente, in manibus Episcoporum vel Vicariorum apostolicorum dictarum partium, in quorum respective iurisdictione commorantur vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum, regulares vero in manibus insuper superiorum suae religionis vel ab illis deputatorum in eisdem partibus existentium, praestare omnino debeant ac teneantur, itaut, ante praestationem iuramenti huiusmodi et subscriptionem sub eâdem formulâ ab unoquoque, qui iuramentum ipsum praestiterit, propriâ manu faciendam, nullum missionarii munus continuare aut exercere, imo nec tamquam deputati ab Episcopis seu Ordinariis locorum, aut tamquam simplices suae religionis presbyteri, sive alio quovis titulo, causâ seu privilegio, de quibus expressa, specialis et specialissima esset facienda mentio, christifidelium confessiones audire, concionari, aut sacramenta quomodolibet administrare ullo modo valeant, nullisque (1) omnino facultatibus, sive sibi speciatim, sive suis respective Ordinibus, Congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, huiusmodi generaliter a Sede praefatâ concessis uti possint, sed quoad eos, praeter et ultra superius expressas poenas, omnes et singulae facultates praedictae omnino cessent, nulliusque roboris sint et esse censeantur.

Praedicta iuramenta transmitti debent ad sacram Congregationem sanctissimae Inquisitionis.

§ 7. Omnia autem iuramenta huiusmodi, per quoscumque missionarios tam saeculares quam regulares in memoratorum sive commissarii et visitatoris apostolici pro tempore existentis sive Episcoporum aut Vicariorum apostolicorum manibus sicut praemittitur praestanda, postquam subscriptione munita fuerint, vel saltem au-

(1) Edit. Main. legit *nulliusque*.

thentica illorum exempla, per eosdem commissarium et visitatorem apostolicum pro tempore existentem, Episcopos et Vicarios apostolicos ad praefatam Congregationem Cardinalium, quantocitius fieri poterit, transmittantur. Superiores vero regulares cuiusvis Ordinis, Congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, illic nunc et pro tempore existentes, sub eisdem poenis teneantur non solum idem iuramentum in praefatorum sive commissarii et visitatoris apostolici pro tempore existentis sive Episcoporum aut Vicariorum apostolicorum manibus, iuxta modum praescriptum, praestare, eiusque formulae subscribere, sed etiam illius praestationem a suis respective subditis exigere, ac authentica eâ super re documenta quamprimum transmittere ad suos respective superiores generales, qui illa memoratae Congregationis Cardinalium statim tradere debebunt.

Clausulae amplissimae.

§ 8. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iustâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas, etiam quorumvis a Sede praefatâ concessorum privilegiorum praetextu, ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quavis causâ opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et praefatae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, institutorum, et societatum, etiam Iesu, ac quarumvis ecclesiarum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel, quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, institutis, et societatibus, etiam Iesu, ac ecclesiis, praedictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum etiam imperiali, regali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium in-

stantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etc. (1); ceterisque contrariis quibuscumque.

Formula iuramenti praestandi, ut supra.

§ 10. Formula autem iuramenti, sicut praemittitur, praestandi, est quae sequitur, videlicet:

Ego N. missionarius ad Sinas, *vel* ad regnum N., *vel* ad provinciam N., a Sede Apostolicâ, *vel* a superioribus meis iuxta facultates eis a Sede Apostolicâ concessas, missus, vel destinatus, praecepto ac mandato apostolico super ritibus et caeremoniis sinensibus in constitutione SS. domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae XI. hac de re editâ, qua praesentis iuramenti formula praescripta est, contento, ac mihi per integram eiusdem constitutionis lecturam optime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute ac inviolabiliter observabo et absque ullâ tergiversatione adimplebo; si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, poenis per praedictam constitutionem impositis me subiectum agnosco et declaro. Ita, tactis sacrosanctis evangeliis, promitto, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Ego N. manu propriâ.

Praesentium indicta transmissio et fides transumptorum.

§ 11. Ceterum volumus et expresse mandamus, ut eaedem praesentes litterae, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur et intimentur omnibus et singulis memoratorum Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, superioribus generalibus et procuratoribus generalibus, ad hoc ut tam suo quam praedictorum eis respective subditorum seu inferiorum nomine ipsas litteras fideliter exequi et observare spondeant, actumque sponsionis huiusmodi in scriptis reddant, earum vero exempla praedicta pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos subditos seu inferiores in Sinis aliisque regnis et provinciis supradictis degentes, cum arctissimis praeceptis easdem litteras et in eis contenta quaecumque plenario et integre, ac vere, realiter et cum effectu, in omnibus et per omnia, similiter exequendi et observandi. Quia vero difficile foret litteras huiusmodi originales ubique ostendi et publicari, volumus pariter et decernimus illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. martii MDCCXV., pontificatus nostri anno XV.

XLIX.

Approbat erectionem Collegii factam Lincii pro missionibus Sveciae, Daniae et Norvegiae curae presbyterorum Soc. Iesu commissi; facultatem superioribus confert statuta pro illo condendi; insuper eximit ab Ordinarii iurisdictione, subiiciens visitationi provincialis Soc. Iesu et Nuntii Apostolici (2).

CLEMENS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa, nos admonet et inducit, ut pia loca, quae pro christifidelium commodo et augmento erecta dicuntur, ut firma et illibata persistant, apostolico praesidio consolidemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Seminarii originem exponit.

§ 1. Sane, sicut nobis innotuit, in oppido capitali superioris Austriae civitate nuncupato Lincii Passaviensis dioecesis, post diuturna eademque continua missionariorum Societatis Iesu in septentrione ardentissima vota, novum Collegium seu Seminarium sub titulo et denominatione trium SS. Regum et Martyrum Erici, Canuti et Olai, ut in eo nobilis, ingenua et maioris spei iuventus ad orthodoxam fidem conversa vel ulteriori missionariorum operâ convertenda ex tribus septentrionalibus regnis, scilicet Sveciâ, Daniâ, Norvegiâ, eisdemque respective subiectis provinciis et stationibus oriunda, purâ ac catholicâ doctrinâ, pietate, probis honestisque moribus, bonis quoque artibus et scientiis orthodoxae fidei dilatandae, illisque in partibus

(1) Reliquae clausulae more solito.

(2) Ex App. Bul. P. de P. F. pag. 439, collat. etc.

promovendae, maxime necessariis imbuatur, sub auspiciis clarae memoriae Iosephi, dum viveret, Romanorum Regis in Imperatorem electi, ac sub curâ et directione clericorum regularium Societatis Iesu erectum et institutum fuerit, illudque dilectus filius noster Carolus modernus Romanorum Rex in Imperatorem electus, non modo caesareo suo patrocinio tuendum susceperit, verum etiam certis annuis proventibus ita liberaliter auxerit, ut quod huic piae causae a sola austriacae domus munificentiâ et pietate obvenerit, iam valorem quadraginta millium florenorum excedat; cuius exemplo non pauci tum saeculares Romani Imperii principes moti, inter quos domini status superioris Austriae, vel determinatos in finem praedictum alumnatus instituerint, vel certos annuos reditus pie et liberaliter impertiti fuerint, ut iam ibidem non contemnendus alumnorum et ministrorum numerus manuteneri valeat, et si quid supererit in missionum pro dictis regnis et provinciis substentationem impendi possit; cum etiam fabrica eiusdem Collegii seu Seminarii in amplitudinem aedificii redacta, ecclesia, speciem templi Bethleemici referens, officinae, cubicula, aliaque pro commodâ et decenti alumnorum, ministrorum aliarumque personarum in eodem Collegio seu Seminario degentium habitatione, ac pro regimine, gubernio et servitio dicti Collegii seu Seminarii necessaria absoluta fuerint, ipsumque Collegium seu Seminarium necessariis supellectilibus, benedicente Domino, iam sit provisum:

Pro seminarii bono dispositiones.

§ 2. Nos attendentes Collegii seu Seminarii erectionem huiusmodi in maximum catholicae fidei incrementum fore cessuram, volentesque tam pium tamque salutare opus, quantum cum Domino possumus, perpetuo nostro et Apostolicae Sedis munimine roborare; motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque animarum salutem, Collegii seu Seminarii praedicti erectionem, sic ut praefertur, factam, nec non omnia et singula in instrumento seu scripturis super huiusmodi erectionem confecto seu confectis, quorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur haberi volumus pro expressis, contenta, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis minime contraria, et inde legitime secuta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum in eis forsan omissarum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus, eidemque Collegio seu Seminario deservientium et in eo respective degentium congruâ et decenti sustentatione, ac officiorum aliarumque impensarum quomodolibet necessariarum supportatione, omnia et singula bona mobilia et stabilia, sacra et profana, domus videlicet, praedia, aedificia, vineas, reditus, proventus, iura, actiones et alia quaecumque cuiusvis generis, speciei et qualitatis sint, ac ubicumque locorum existant, quae eidem Collegio seu Seminario quomodolibet et quocumque titulo nunc spectant et quomodolibet in futurum spectare et pertinere possunt et poterunt, etiamsi talia forent quae specialem mentionem requirerent, etiam illa eidem Collegio seu Seminario a praedicto Carolo Romanorum rege in Imperatorem electo, dictique Romani Imperii principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, aliisque christifidelibus per viam testamenti, codicillorum, legatorum, donationum, eleemosynarum, aliarumque piarum elargitionum, ac alias quomodolibet iam relicta, donata, data et elargita, quam in posterum quandocumque et quomodocumque relinquenda, donanda, danda et elargienda, ita quod liceat semper et omni tempore praedicti Collegii seu Seminarii rectori, superioribus, ministris, aliisque personis ad eiusdem Collegii seu Seminarii reditus et proventus exigendum deputatis, vel in futurum pro tempore deputandis nomine dicti Collegii seu Seminarii omnium et singulorum bonorum fructuum, redituum, proventuum, elergitionum, eleemosynarum, donationum aliarumque rerum eidem Collegio seu Seminario donatarum ac assignatarum, ac in posterum quomodolibet donandarum et assignandarum realem, actualem et corporalem possessionem, seu quasi, propriâ auctoritate et de facto absque Ordinarii loci seu alterius cuiuscumque iudicis decreto, sententiâ sive ministerio libere apprehendere et adipisci, ac apprehensam et adeptam retinere, illorumque respective

fructus, reditus et proventus percipere, exigere, levare, locare, dislocare, arrendare et in dicti Collegii seu Seminarii, illiusque alumnorum, ministrorum, aliarumque personarum in eo nunc et pro tempore degentium, eique respective inservientium, necessarios usus et utilitatem convertere, eidemque Collegio seu Seminario eiusque rectori, superioribus, ministris, alumnis, aliisque personis et deservientibus et in eo degentibus huiusmodi illis in perpetuum uti, frui et gaudere perpetuo assignamus, applicamus et appropriamus; nec non rectori, superioribus, ministris, aliisque personis praedictis, ut bona eiusdem Collegii seu Seminarii tam stabilia quam mobilia, reditus et proventus huiusmodi, tam temporales quam perpetuos, eidem Collegio seu Seminario, ut praefertur, assignata et donata, ac assignatos et donatos, vel in posterum assignanda et donanda, ac assignandos et donandos quovis modo, aut sub quovis praetextu vel titulo, etiam cum cuiuscumque iudicis seu superioris auctoritate et facultate alienare vel dismembrare non possint absque expressâ nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ districtius inhibemus.

§ 3. Praeterea rectori et superioribus praedicti Collegii seu Seminarii nunc et pro tempore existentibus, ut pro salubri eiusdem Collegii seu Seminarii bonorum et rerum iuriumque temporalium et spiritualium conservatione oeconomos, deputatos et procuratores in eo deputare et amovere, et alios in eorum locum substituere, differentias, lites et controversias inter quascumque personas tam alumnorum quam ministrorum praedicti Collegii seu Seminarii huiusmodi tam clericorum quam laicorum exortas summarie, simpliciter et de plano sine figurâ et strepitu iudicii, appellatione quacumque remota, decidere, definire ac terminare, nec non pro felici statu, directione, gubernio et conservatione praedicti Collegii seu Seminarii, ac alumnorum et personarum in eo pro tempore degentium, quaecumque statuta, licita tamen et honesta ad formam aliorum Collegiorum seu Seminariorum in illis partibus existentium, eidemque Collegio seu Seminario convenientia, et sacris canonibus, constitutionibus apostolicis et Concilii Tridentini decretis praedictis minime contraria, sed cum illis conformia condere, edere et statuere, ac postquam condita, edita et statuta fuerint, toties quoties pro rerum, temporum et personarum qualitate expediens videbitur, corrigere, limitare, moderare, in toto vel parte revocare et alia de novo edere et exequi facere, iuxta providam dicti Concilii dispositionem, possint et valeant, licentiam et facultatem concedimus et impartimur, quodque statuta huiusmodi postquam condita, edita et stabilita, nec non pro temporum varietate correcta, moderata, addita, revocata et de novo iam condita fuerint, semper et omni tempore apostolicâ auctoritate approbata et confirmata censeantur, ac ab omnibus et singulis dicti Collegii seu Seminarii alumnis aliisque personis praedictis in eo degentibus firmiter observari debeant, volumus et mandamus.

§ 4. Nec non Collegium seu Seminarium praedictum, eiusque ecclesiam, rectorem, ministros, aliasque personas in eo degentes, uti cetera Societatis Iesu collegia, domus et ecclesiae ab Ordinarii visitatione exempta sunt et immunia, etiam ab Ordinarii loci visitatione eximimus et liberamus, dictumque Collegium seu Seminarium, ac alumnos et personas huiusmodi provincialis ac visitatoris dictae Societatis in Austriâ, qui ab eiusdem Societatis Iesu praeposito generali pro tempore deputabitur, ac extraordinarios pro tempore existentis nostri et Apostolicae Sedis Nuntii in illis partibus commorantis visitationi subiicimus.

§ 5. Postremo eidem Collegio seu Seminario, illiusque rectori, superioribus, alumnis aliisque personis in eo degentibus praedictis, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, favoribus et gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia Collegia et Seminaria eiusdem Societatis in illis partibus erecta in genere vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, pariformiter absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si illa praedicto Collegio seu Seminario, illiusque rectori, superioribus, ministris, alumnis aliisque personis praedictis specialiter et expresse concessa et elargita fuissent, concedimus et indulgemus.

§ 6. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque etiam

ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis, aut alia speciali et individuâ mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas eaedem praesentes literae emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, aut intentionis nostrae, aut ius seu interesse habentium consensus, aliove quomodolibet quantumvis magno, formali et substantiali necessariamque expressionem requirentium defectu, sive etiam ex eo, quod in praemissis eorumve aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis et enormissimae totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causâ etiam in corpore iuris clausâ, aliâve causâ etiam quantumvis honestâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissarum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, infringi, revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illos quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, aut intentato, vel etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare non posse, neque praesentes literas sub quovis similium vel dissimilium erectionum, appellationum, appropriationum, confirmationum, concessionum, indultorum et gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque Apostolicam sub quibusvis clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis quandocumque faciendis, unquam comprehendi aut comprehensos censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie redintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per rectorem, superiores et alumnos dicti Collegii seu Seminarii pro tempore existentes quandocumque eligendâ concessas, semperque firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari; et ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictos S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, et Sedis Apostolicae pro tempore Nuntios, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et pro tempore functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et potestate, iudicari et definiri debere. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis eorumque reformationibus et novis additionibus, stylo, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis ac locis quibuscumque, etiam specificâ, expressâ et individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu simili et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam reiteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque literas apostolicas etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictis, pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum, nisi huiusmodi derogationes consistorialiter factae, et per diversas literas intimatae fuerint. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio

Contrariis derogat.

seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias, et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter et de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis et expressis ac specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac sufficienter nec non specialiter et expresse, motu pari et ex certâ scientiâ deque apostolicae potestatis plenitudine, derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. iunii MDCCXV., pontificatus nostri anno XV.

L.

Agit cum Patriarchâ Alexandrino graeci ritus de eius ad Ecclesiam reditu. Pallium insuper ei cum absolutione tradendum a Custode Hierosolymitano Ord. Minorum significat, postquam formulam professionis fidei ratam habuerit, Romam postea mittendam ab eo subscriptam (1).

Venerabli fratri
Samueli Patriarchae Alexandrino

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Divinae Bonitatis magnitudinem in tuo ad orthodoxam ecclesiam reditu contemplantes, et quomodo quave potissimum ratione impulsus ex atrâ errorum, in quibus versabaris, caligine in lucem catholicae veritatis emerseris, attento nobiscum animo reputantes, primum quidem continere labia nostra nequaquam potuimus, quin cum Apostolo exclamaremus: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* Ostendit siquidem omnipotens Dominus tibi dura, sed ut potaret te vino compunctionis; intendit arcum, simul tamen dedit tibi significationem, ut fugeres a facie eius; idest tribulationes multas et malas in te immisit, non ut te affligeret, sed ut inde ad divinam illius Maiestatem clarius atque perfectius cognoscendam, veroque cultu deinceps honorandam, excitareris: quod cum egregie iam praestiteris, usurpare merito posse videris verba illa patientissimi viri, fructum, quem ipse ex propriâ tribulatione perceperat, Domino confitentis, nimirum: *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te.* Maximas deinde ac vere debitas agimus gratias eidem Patri misericordiarum, qui te ex tenebris vocavit in admirabile lumen suum, qui divitias gratiae suae in te abundanter effudit, qui te a salutis semitâ aberrantem ad sinum huius S. R. catholicae et apostolicae Ecclesiae, ceterarum omnium, quotquot in orbe terrarum sunt, ecclesiarum matris, capitis et magistrae, extra quam non est salus, benigne reduxit; qui demum nos ipsos replevit consolatione et gaudio spirituali, dum, quod tamdiu vehementer exoptavimus, id tandem nobis clementissime largiri dignatus est, ut scilicet nobis liceret appellare te fratrem, tibi veram salutem dicere, tibi denique paternam et apostolicam nostram impertiri benedictionem. Merito igitur magnificat anima nostra Dominum, merito illi sacrificium laudis immolamus, et reddimus Altissimo vota nostra, quod singulari eius benignitate ac ope, qui facit mirabilia magna solus, Alexandrina ecclesia, cuius eximia et antiquissima decora in ecclesiasticis monumentis tantopere celebrantur, sublato tandem intermedio pariete divisionis, in unitate fidei et vinculo caritatis cum Romanâ Ecclesiâ coniuncta sit, quodque Alexandrinus Antistes ad B̃mi Apostolorum Principis indignum licet ac immerentem successorem, hoc est, Marcus ad Petrum, discipulus ad magistrum, filius ad patrem, iis propemodum diebus, quibus ipsius B. Marci, necnon sanctissimi Alexandrini Episcopi Athanasii festa celebravimus (quod certe non sine peculiari divinae Providentiae omnia fortiter ac suaviter disponentis consilio evenisse arbitramur) corde puro et conscientia bonâ, et fide non fictâ, quemadmodum omnino credimus, reversus sit.

§ 2. Cum itaque sub finem praeteriti mensis martii ad almam Urbem nostram

(1) Ex App. Bul. P. de P. F. pag. 445, collat. cum Brev. select. editis.

advenisset dilectus filius religiosus vir Ioannes Ioseph Mazet Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum professor, quem fraternitas tua cum tuis literis ac documentis abiurationis schismatis necnon professionis orthodoxae fidei istic a te emissae ad nos allegaverat, ac insuper specialem procuratorem ad quaecumque aliâ necessaria suo nomine peragenda constituerat, eum protinus tanquam faustissimi eventus nuncium ad conspectum et colloquium nostrum benigne admisimus, laetoque animo atque hilari vultu excepimus, non secus ac si tè ipsum praesentem intueremur. Erumpentem subinde ex intimo cordis nostri laetitiam cum pluribus ex ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus communicandam duximus, eisque adventum apocrisiarii tui, et quam ob causam a te ad nos missus fuisset, significavimus, totâque re accurate cum iis discussâ ac deliberatâ, placuit ut certa statueretur dies, in qua idem procurator tuus publice ac solemniter a nobis exciperetur. Die igitur vigesimâ octavâ praeteriti mensis aprilis in dicto Consistorio in palatium notrum apostolicum Vaticanum, quod est apud celeberrimam basilicam Principis Apostolorum, ubi sacrum illius corpus asservatur, convocavimus quotquot in Urbe reperiebantur eiusdem S. R. E. Cardinales ex omni ordine episcoporum, presbyterorum et diaconorum, tuumque procuratorem supradictum, nec non duos monachos Ordinis S. Basilii, quos huc similiter miseras, et plures alios ex graecâ natione Romae degentes adesse iussimus; cumque multi praeterea Episcopi et praelati ac ex aulâ Romanâ viri nobiles, qui ad tantae rei spectaculum frequentissimi convenerant, praesentes essent, introducti primum fuere praefati procurator et monachi tuas literas ac documenta a te transmissa deferentes a graecis viris, qui in eorum comitatu erant, associati. Palam deinde ac elatâ voce iussu nostro perlectae sunt ipsaemet literae tuae, primum quidem linguâ, qua scriptae erant, graeca, mox etiam latinâ, eodemque modo recitatum est tuae abiurationis documentum. Tum idem procurator tuus debitam nobis tuo nomine subiectionem ac obedientiam praestitit, ac nos, licet meritis impares, in Sede tamen B. Petri, cuius dignitas etiam in indigno haerede non deficit, legitime sedentes, uti ipsius B. Petri successorem ac verum D. N. Iesu Christi in terris Vicarium et visibile totius catholicae ecclesiae Caput, humiliter agnovit et veneratus est. Mox tuo itidem nomine orthodoxae fidei professionem renovavit, eamque iuxta formulam Graecis ad unitatem S. R. E. redeuntibus a Sede Apostolicâ dudum praescriptam, sanctis Evangeliis in medio propositis, palam recitavit, solemni additâ promissione, quod fraternitas tua fidei professionem huiusmodi ratam et gratam habebit, et publicum rite confectae ratificationis instrumentum ad nos ac eamdem S. Sedem intra tempus competens omnino transmittet. His ita peractis, nos memores illius locum, licet immeritos, in terris tenere, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, quique ovem perditam diligentissime perquisivit, ac inventam in humeros suos sustulit et ad ovile ingenti cum gaudio reportavit, tibi ad catholicam ecclesiam ultro redeunti expansis pontificiae caritatis brachiis occurrimus, magnâque cum animi nostri exultatione una cum praefatis S. R. E. Cardinalibus praestitam nobis a te, ut praefertur, tam per tuas literas, quam per legitimum procuratorem tuum plenam obedientiam ac subiectionem libenter recepimus, nostramque tibi vicissim ac eiusdem Apostolicae Sedis gratiam, benevolentiam et patrocinium amantissime polliciti sumus.

§ 3. Petitum insuper a te Pallium de B. Petri corpore sumptum, in quo pontificalis officii plenitudo continetur, tibi benigne assignandum esse decrevimus, illudque ad dilectum filium religiosum virum Laurentium a S. Laurentio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum professorem et conventus eiusdem Ordinis in civitate Hierosolimitanâ custodem transmitti mandavimus, ut ab eo, praeviâ fraternitatis tuae in utroque foro absolutione, dispensatione et opportunâ rehabilitatione, postquam tamen orthodoxae fidei professionem a procuratore tuo hic emissam seu renovatam ratificaveris, tibi auctoritate nostrâ tradatur. Haec porro acta sunt omnia tanto cum gaudio nostro et fratrum nostrorum Cardinalium et eorum qui interfuerunt aut audierunt, ut omnem verborum explicationem facile supergrediantur.

§ 4. Non tamen in te uno sistit laetitia nostra: perpendentes enim eximiam tuam pietatem, cuius tam praeclarum accepimus testimonium, necnon singularem, quam, ut nobis innotuit, apud tuas late gentes existimationem obtines, uberiorem in dies

spiritualium gaudiorum messem expectamus. Ad eadem siquidem sequenda vestigia omnibus graeci ritus populis ac praesertim Episcopis valido incitamento futurum exemplum tuum omnino confidimus. Nunc ergo, ven. frater, agnosce abundantes divitias gratiae et bonitatis Dei, qui secundum magnam misericordiam suam et secundum multitudinem miserationum suarum tui misertus est. Narra populis et principibus quanta fecerit tibi Dominus: haec est enim gloria tua, ut omnes gentes longe lateque intelligant, quia fecit tibi magna qui potens est, et sanctum nomen eius. Dilige matrem tuam Romanam Ecclesiam quae te rursus in Christo genuit, nec dimittas legem illius, et praecepta eius cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum et annos vitae et pacem apponent tibi. Cave demum, ne quid in te, quod Deus avertat, fictum simulatumve sit. Nos enim, ut homines, externa tantum intuemur et de his iudicamus: Deus autem scrutatur renes et corda, eiusque oculis nuda et aperta sunt omnia. Nos piae matris ecclesiae gremium et portas caeli pontificiâ nostrâ auctoritate tibi, quantum in nobis est, aperuimus et aperimus: tu vide, ne tibi ipsi et ecclesiam et caelum claudas. Sed absit, ut haec unquam de te timeamus, imo nec cogitemus; cum potius in omni veritate mentisque candore coram Deo et hominibus te ambulare ac deinceps etiam ambulaturum esse constanter credamus, adeoque nonnisi magna et praeclara ad divinae gloriae et catholicae Religionis amplificationem, nec nisi digna Patriarchâ Alexandrino, digna pietate atque praestantiâ animi tui, digna postremo tot sanctissimis decessoribus tuis, qui catholicam ecclesiam scriptis rerumque gestarum gloriâ summopere illustrarunt, de te nobis omnino polliceamur.

§ 5. Reliquum est, ut quae procurator tuus apud nos egit, postquam istuc ad te redierit, rata habeas et confirmes, ac praecipue catholicam fidem denuo profitearis ex eâdem formulâ, quam ille de scripto coram nobis et fratribus nostris pronunciavit propriâque manu subscripsit, ac huiusmodi iteratae professioni tu quoque manu tuâ subscribas, tuoque signo obsignatam ad nos transmittas quamprimum. Nos porro eidem tuo procuratori, cum iniuncto sibi munere apud nos sedulo iam et cumulate perfunctus sit, quo etiam nomine illum fraternitati tuae diligenter commendamus, benigne veniam dedimus ad te remeandi, ac opportuno instructum viatico cum nostrâ benedictione dimisimus. Illi praeterea munuscula aliquot praesertim ad sacrorum usum ad te perferenda tradidimus, quae tibi pignus erunt propensae illius voluntatis, qua paternam nostram caritatem uberioribus largitionibus tibi aliquando explicare exoptamus. Ceterum cum nihil interea, quod ab auctoritate nostrâ in tui praesidium vel solatium conferri possit, a te desiderari velimus, ab ipso procuratore tuo fuse tibi significabuntur officia et studia, quibus nos maiores orthodoxos principes excitavimus, ut fraternitatis tuae patrocinium quam enixe suscipiant, et quibuscumque poterunt rationibus ac mediis te tuamque dignitatem tueri contendant. Te demum, ven. frater, toto corde ac intimo pontificiae caritatis affectu complectimur; tibi multis cum lacrymis prae gaudio manantibus paternam et apostolicam nostram benedictionem peramanter impertimur; Deumque O. M., qui gloriam suam in te manifestavit, suppliciter exoramus, ut ipse te caelestibus benedictionibus cumulet, quatenus in terrâ feliciter diu vivas, ac in caelo eâ, quae repromisit diligentibus se, immarcescibili iustitiae coronâ donatus, gaudiis perfruaris sempiternis.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis dioecesis sub annulo Piscatoris die xx. iunii MDCCXV. Pontific. nostri anno xv.

LI.

Electo Archiepiscopo Goano denunciat quae eius praedecessor gesserit contra Visitatorem Apostolicum et missionarios, illius proinde decreta iam a S. Sede rescissa ab eo removenda esse praecipit. Monet illum insuper ne Vicariorum Apostolicorum iurisdictionem laedat, ac ut revocet Vicarios de Vara, si adhuc sint in regionibus Vicariis Apostolicis subiectis. Iubet demum ut constitutionibus pontificiis, praecipue novissimae de ritibus sinensibus, pareat, ac alios parere curet (1).

(1) Epist. et Brev. select. t. 2, pag. 511.

Dilecto filio Sebastiano de Andrada Pessanha electo Goano,

CLEMENS PP. XI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

§ 1. Expensis meritis ac virtutibus, quibus divinae clementiae beneficio te praeditum esse accepimus, in nupero Consistorio nostro secreto te Metropolitanae Ecclesiae Goanae in Archiepiscopum praefecimus et pastorem, eiusque curam ac administrationem tam in spiritualibus quam in temporalibus de more, quemadmodum ex aliis nostris literis propediem desuper expediendis cognosces, tibi libenti prorsus animo commisimus; certam in spem erecti, fore ut iniuncto tibi munere plane gravissimo qua par est integritate, prudentiâ, solicitudine ac vigilantiâ fungaris, fideique tuae creditis ovibus non tam praeesse quam prodesse verbo et exemplo indesinenter cures; ut cum tempus reddendae rationis advenerit, qui Pastor pastorum est, vigilasse te in gregis sui custodiâ susceptumque officium fideliter gessisse, divino suo iudicio comprobare dignetur.

§ 2. Hunc porro in scopum te sedulo hortandum et admonendum in primis esse ducimus, ut praestitutos iurisdictioni ac auctoritati tuae fines transgredi nullo modo praesumas, caveasque praesertim diligenter a perniciosissimis in eâ regione a novissime defuncto praedecessore tuo relictis exemplis. Ille enim magnâ cum omnium fidelium offensione, nec minori cum sui nominis et conscientiae labe, Vicarios, missionarios aliosque administros ab hac S. Sede in illis partibus deputatos acerbe semper insectari consuevit, imo etiam eo temeritatis se abripi passus fuit, ut lato prius, nempe die XXII. decembris MDCCIV., suo edicto, censuras quasdam ecclesiasticas a bo: me: Cardinali Carolo Thomâ Maillard de Tournon, tunc Patriarchâ Antiocheno nostroque et Apostolicae Sedis Commissario ac Visitatore in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium regnis cum amplissimis facultatibus, etiam nostri atque eiusdem Sedis de latere Legati a nobis constituto, contra nonnullos regulares in dioecesi Meliaporensi promulgatas nullas et irritas declarare non erubuerit: subinde vero quadam suâ epistolâ pastorali datâ die XXV. aprilis MDCCX. omnibus suis subditis sub excommunicationis poenâ, inaudito antehac ausu, praeceperit, ne praefato Patriarchae Antiocheno vel cuicumque alteri Vicario Apostolico obtemperarent; pluraque forsan alia gerere non dubitaverit in maximum apostolicae auctoritatis contemptum ac praeiudicium. Quae sane omnia superius explicata, tametsi, uti per se manifeste irrita ac nullius roboris, speciali cassatione et abrogatione nostrâ non indigerent, cum tamen ad abundatiorem cautelam a nobis iamdiu tanquam absurda, temeraria, sacrisque sanctionibus adversantia expresse improbata, rescissa, cassata, damnataque fuerint, et nunc illa iterum quatenus opus sit improbemus, rescindamus, cassemus, abrogemus atque damnemus, adeoque uti vere irrita inania nulliusque prorsus efficaciae vel momenti cum omnibus inde secutis ubique censeri debeant; districte idcirco tibi iniungimus, ut cum primum te ad ecclesiam Goanam contuleris, alia quaecumque ab eodem praedecessore tuo contra memoratum Patriarcham Antiochenum acta seu potius attentata compereris, expresse similiter rescindas, abroges, improbes ac e medio tollas, ac una cum aliis a nobis, sicut praemittitur, rescissis, abrogatis, improbatis et abolitis ab omnibus haberi decernas et mandes.

§ 3. Praeterea cum pluribus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus caveatur, ut Vicarii et missionarii apostolici in Sinarum, Siami et aliis Indiarum Orientalium regnis constituti a quacumque pro tempore existentis Archiepiscopi Goani aliorumque Ordinariorum iurisdictione et superioritate prorsus exempti ac liberi sint; tibi sub poenis quae in eisdem constitutionibus praescribuntur interdicimus ac inhibemus, ne adversus praedictos Vicarios et missionarios apostolicos ullum iurisdictionis actum exercere, neve vicarios de Vara nuncupatos sive alios ministros et officiales quocumque tandem nomine nuncupentur in locis ubi ipsimet Vicarii Apostolici, privative quoad omnes Indiarum aliarumque Orientalium partium Ordinarios, constituti sunt, etiam in casu alicuius illorum obitus constituere audeas: imo neque id ipsum ab aliis Episcopis metropolitico iure tibi subiectis attentari ullo modo sinas. Unde etiam tibi insuper iubemus, ut, quos in proximo tuo ad praefatam Goanam Ecclesiam accessu a memorato praedecessore vel Episcopis Suffraganeis tuis deputatos hactenus fuisse

inveneris, eos protinus ab officio removere et revocare omnino debeas sive ab eisdem Episcopis Suffraganeis respective removeri ac revocari cures et mandes quamprimum: praefatis autem Vicariis Apostolicis necnon Visitatoribus ceterisque ministris, qui a nobis et ab hac S. Sede in illis partibus hucusque deputati fuerunt vel in posterum deputabuntur, non modo nullum interponas impedimentum, quominus ipsi tributam sibi iurisdictionem in locis assignatis exercere et facultatibus quibus potiuntur uti libere possint; sed illis potius pro eâ, quam nobis et eidem S. Sedi debes, reverentiâ et obedientiâ faveas et assistas.

§ 4. Te demum in Domino quam enixe hortamur, atque etiam apostolicâ auctoritate in virtute sanctae obedientiae tibi praecipimus et mandamus, ut iurisiurandi memor, quod in suscipiendo consecrationis munere propediem emissurus es, debitam antedictis apostolicis constitutionibus ac omnimodam obedientiam sincerâ promptâque, ut decet, mente praestes, et quantum in te erit ab aliis etiam praestari satagas; potissimum vero aliam novissime nempe die XIX. martii anni proxime elapsi super ritibus seu caeremoniis sinensibus a nobis editam constitutionem, cuius initium est *Ex illa die,* quotiescumque opportuna tibi se obtulerit missionariorum illac pertranseuntium occasio, ac praesertim per Suffraganeos Episcopos comprovinciales tuos in casibus ab eâdem nostrâ constitutione ipsis commissis, exequi ac observari cures, faciasque ut illa, quantum in te erit, plenarium suum atque integrum, ut par est, sortiatur effectum. Ceterum ut praefatarum nostrarum aliarumque apostolicarum constitutionum certiorem notitiam habeas, illarum exempla manu notarii publici subscripta et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munita ad te mittimus, et tum illa tum etiam has nostras literas reddi tibi volumus per ven. fratrem Vincentium Archiepiscopum Laodiceae Nuncium istic nostrum, cui hoc specialiter iniungimus, plenam ipsi de illorum praesentatione tibi factâ fidem habituri. Tibique, dilecte fili, apostolicam benedictionem, quam caelestium charismatum donis cumulari cupimus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die II. ianuarii MDCCXVI., pontificatus nostri anno XVI.

LII.

Significat causam rituum sinensium definitam esse, et regis praesidium implorat ut quae decreta de his fuerunt accurate custodiantur (1).

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni Portugalliae et Algarbiorum Regi Illustri,

CLEMENS PP. XI.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Praeter omnem expectationem nostram ex literis maiestatis tuae die XII. augusti proxime praeteriti ad nos datis, et a dilecto filio nobili viro marchione de Fontes Oratore tuo extraordinario nobis redditis, delatas a te querelas accepimus, eo quia in negotio erectionis trium novorum Episcopatuum in Sinis, quam, ut omnes in posterum amplissimi illius Imperii provinciae a propriis pastoribus regi valerent, enixe a nobis flagitasti, eiusmodi postulatis tuis non obsecundavimus. Omnem siquidem spem habebamus, fore ut maiestas tua omnino probaret rationes illas fuse eidem Oratori tuo coram explicatas, ob quas congruum nobis minime visum fuit, in praesenti perturbato rerum statu, in quo missiones sinicae reperiuntur, de novorum Episcopatuum erectione agere; ac eiusmodi rem ad illud tempus reservavimus, quo liberior atque felicior in illis partibus christianae Religionis propagatio sperari possit. Nihil propterea de hoc argumento adiiciendum in praesens nobis superest, nisi quod pro certo ac penitus explorato habere debes, nunquam nobis propositum fuisse nec esse in hac re laedere vel imminuere regia tua iura, quae potius amplificare pro paternâ ac plane intimâ voluntate erga te nostrâ cuperemus. Cum enim satis superque perspecta nobis sint praeclara regum Portugalliae in catholicam Religionem merita, et quo illa honore quibusque pontificiae liberalitatis documentis digna iudicaverint Romani Pontifices praedecessores nostri, ab illorum vestigiis recedere non intendimus.

§ 2. Ceterum quod attinet ad causam rituum seu caeremoniarum sinensium, cum illa dudum decretis nostris finita fuerit, ac novissime editâ a nobis constitutione, om-

(1) Ex App. Bul. P. de Prop. Fide pag. 150, coll. cum Reg. Vatic. epist. etc.

nes et quascumque rationes seu excusationes ad eorum executionem declinandam allatas, illamque praesertim a metu ductam gravium periculorum, quae tam missionariis quam missioni ipsi in huiusmodi executione obvenire possent, penitus reiecerimus, nullus iam relinquitur locus cuiquam novae huius negotii disquisitioni; sed eadem nostra decreta ab omnibus christifidelibus debitam apostolicis definitionibus obedientiam profitentibus, quavis ulteriori cunctatione abiectâ, integre, absolute ac inviolabiliter iuxta formam in ipsâmet constitutione nostrâ praescriptam, servanda sunt. Nec plane metuendum nobis esse credimus, quod ullum propterea christianae Religionis et catholicae veritatis propagationi detrimentum in eisdem partibus eventurum sit. Imo potius cum in iis, quae hucusque gessimus, non aliud in animo consilium neque scopum habuerimus, nisi ut latissimum illarum missionum campum ab omni superstitionis, nedum labe, sed etiam suspicione vindicaremus, certam firmamque spem concipere omnino possumus, quo magis ager ipse, in quo divini verbi semen spargendum erit, a spinis illud suffocare valentibus expurgabitur, eo largius ac uberius fore incrementum quod illi dabit Deus, ubi praesertim evangelici operarii, quorum ceteroqui in promovendo Christi regno labores et pericula magnam in Domino laudem promerentur, eum inter se pacis mutuaeque caritatis spiritum fovere ac servare satagant, qui eorum vocationi maxime convenit, quique accuratissime a nobis hactenus illis commendatus fuit atque etiam de cetero commendabitur.

§ 3. Hunc in finem maiestatis etiam tuae opem atque praesidium imploramus, praecesque nostras nuper, cum praefatam constitutionem tibi misimus, ad te delatas vehementiori quo possumus animi nostri studio instauramus, ut regiâ tuâ auctoritate strenue nobis adesse velis, quatenus id assequi possimus quod tam anxie inquirimus, quodque cum insigni spectatoque zelo, quo maiestas tua catholicae Religionis bonum exoptat, usquequaque consentire non dubitamus. Hanc porro eximiarum virtutum tuarum, pietatis praesertim quae ubique maxime celebratur, laudibus accessionem ex animo cupimus et speramus; dum a te postulantes, ut reliqua ad hoc idem negotium pertinentia ex dilecto filio magistro Iosepho Firrao Signaturae nostrae Gratiae nuncupatae duodecemviro, qui ea nostro nomine tibi fusius explicabit, cognoscere benigne velis, apostolicam benedictionem cum assiduo enixoque tuae felicitatis voto coniunctam maiestati tuae amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die IV. ianuarii MDCCXVI. pontificatus nostri anno XVI.

LIII.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium super associatione cadaverum ad ecclesias regularium pro provinciâ S. Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Praedicatorum in regno Peruviano, contra parochos et clerum saecularem (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Bernardini Solorzani procuratoris generalis provinciae S. Ioannis Baptistae Ordinis Praedicatorum regni Peruani in Indiis Occidentalibus, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod aliàs praedicta Congregatio die VII. decembris MDCXL., instante tunc existente commissario Curiae fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, declaraverat, parochos et presbyteros terrae de Lauretano, ac alios dioecesis Brundusinae, accipere non posse maiorem eleemosynam pro defunctis qui in ecclesiis dictorum fratrum sepeliebantur, quam accipiebant pro iis qui in ecclesiis dictorum parochorum et presbyterorum saecularium; similiter die XXXI. augusti anni MDCLVIII., instantibus fratribus provinciae Dalmatiae eiusdem Ordinis, decreverat functiones generales super cadaveribus defunctorum, quae itidem sepeliebantur in ecclesiis regularium postquam ipsa cadavera ad ecclesias ipsorum regularium pervenissent, ad Species facti.

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Idem concessum fuit Societati Iesu a Clemente X., const. ed. MDCLXXII., die III. augusti, pontif. III.; Innocentii XII. constit. ed. MDCXCIX., die IX. octobris, pontif. IX., mandata fuit observantia constitutionum circa fratres coniunctos dictae provinciae.

eosdem regulares, non autem ad parochos pertinere; eodemque modo die XVI. decembris MDCLXI. pariter declaraverat, super controversiis quae inter parochos civitatis Placentinae et monachos monasterii S. Sixti Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti occasione funerum exortae fuerant, prout statuerat et decreverat die XVII. decembris MDCLXXI. (1) ad instantiam tunc existentis procuratoris generalis eorumdem fratrum S. Francisci parochis qui associabant cadavera defunctorum quae in ecclesiis regularium pariter sepeliebantur, non licere eâ occasione ingredi ecclesias regularium, sed a ianuis ipsarum ecclesiarum dimittere debere cadavera huiusmodi, et solum posse benedicere et dare ultimum vale, officia vero et alia munia, quae in similibus fieri solebant, a regularibus non autem a parochis fieri debere; his vero non obstantibus, cum parochi in partibus Hispaniarum et Indiarum aliter in ecclesiis presbyterorum seu clericorum regularium Societatis Iesu in grave eorum praeiudicium praetenderent, tunc pariter existens procurator generalis earumdem Hispaniarum in Indiarum eiusdem Societatis memoratae Congregationi tunc existentium eiusdem S. R. E. Cardinalium die VI. maii MDCLXXII. supplicaverat, ut, ad removenda omnia et quaecumque scandala, benigne declararet, supradicta omnia decreta et declarationes ad unguem in ecclesiis suarum domorum et collegiorum servanda fore, ac si ad ipsius Societatis instantiam emanassent; dicta vero Congregatio Cardinalium indulserat decernendo, dandas esse praedictas declarationes aliàs editas, easque in dictis ecclesiis Societatis omnino servandas esse; eiusque decretum postmodum per felicis recordationis Clementem PP. X. praedecessorem nostrum per quasdam suas in simili formâ Brevis expeditas litteras confirmatum, ac pro earumdem (2) litterarum ac pro decreti huiusmodi executione monitorium a tunc etiam existente causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditore expeditum fuerat: et in eâdem expositione subiuncto quod dilecti filii parochi eiusdem regni Peruani in praedictis Indiis praetensiones dictis decretis et resolutionibus contrarias et oppositas habebant in ecclesiis domorum et conventuum dictae provinciae S. Ioannis Baptistae, et signanter oppidi de Potosi et civitatis de Cuquisache respective nuncupatorum, nempe exigendi maiorem eleemosynam (3) pro defunctis qui in ecclesiis parochorum et presbyterorum saecularium ibidem sepeliebantur, ac rursus peragendi super (4) ipsos functiones generales super defunctorum cadaveribus quae in eorumdem fratrum ecclesiis tumulabantur, postquam ipsa cadavera ad eorum ecclesias pervenerant, et tandem ingrediendi suas ecclesias occasione dictorum funerum et aliorum similium: ideoque, ad removenda scandala assiduasque discordias quae in dies oriebantur, pro parte eiusdem Bernardini procuratoris generalis eidem Congregationi Cardinalium supplicato ut super praemissis in omnibus et singulis ecclesiis supradictae suae provinciae eodem modo, quo ad favorem eorumdem presbyterorum seu clericorum Societatis praedictae in partibus Hispaniarum et Indiarum provisum fuerat, ut praefertur, provideret, decretaque, ad eorum et aliorum favorem edita, ad dictas ecclesias memoratae provinciae S. Ioannis Baptistae, et signanter oppidi de Potoso et civitatis de Cuquisache provinciae et Ordinis huiusmodi, in posterum eâdem formâ exacte ac si ad eorumdem fratrum Praedicatorum provinciae, oppidi ac civitatis praedictorum favorem emanassent, extendi ac observari ac executioni demandari praeciperet: emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum MDCCXVI quo extenduntur relata decreta etiam ad provinciam S. Ioannis Baptistae.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis narratis, ac referente eminentissimo S. Priscae, censuit ac decrevit danda esse decreta aliàs edita, et signanter illud emanatum sub die VI. maii MDCLXXII. ad instantiam D. Alonsi de Alarcos, procuratoris generalis Hispaniarum et Indiarum Societatis Iesu, videlicet: « Sacra, etc., oratoris precibus benigne indulgens, censuit dandas esse petitas declarationes saepe aliàs editas, easque etiam in praenarratis ecclesiis Societatis esse observandas, nimirum parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias regularium, sed teneri dimittere eadem ca-

(1) In datis huiusmodi certe error irrepsit.
(2) Edit. Main. legit *eorumdem*.
(3) Videtur deesse *quam*.
(4) Forsan *per* pro *super*.

davera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis regularibus peragi debere, non autem a parochis; Episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere, ut parochi, aliique de clero saeculari, maiorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali seu aliâ ipsius cleri saecularis ecclesiâ sepeliri voluissent; functiones funeralium super cadavera defunctorum quae in ecclesiis regularium contigit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos regulares, non ad parochos, pertinere.

Contrariis quibuscumque circa suprascripta omnia minime obstantibus. — Romae, XXIV. aprilis MDCCXVI. — F. Cardinalis De Abdua Archiepiscopus Damascenus, secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Bernardinus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Bernardini procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eùmque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. iunii MDCCXVI., pontificatus nostri anno XVI.

LIV.

Confirmat litteras patentes commissarii generalis Indiarum Occidentalium Ordinis Minorum de Observantiâ de visitatore provinciae Chilensis (1).

CLEMENS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Musillo, frater expresse professus ac custos et procurator provinciae Chilensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod aliàs dilectus etiam filius Iosephus Sanz, commissarius generalis provinciarum earumdem Indiarum, ad parcendum innumeris expensis, quae pro visitatoribus euntibus ad visitandos conventus supradictae provinciae Chilensis requiruntur, per suas patentes litteras desuper emanatas praecepit, ut in posterum non admittatur nec recipiatur in provinciâ huiusmodi aliquis visitator ex aliâ provinciâ, nisi solum ex illâ Assumptionis beatae Mariae Virginis Tucumanis, prout continetur in ipsius Iosephi commissarii generalis litteris praedictis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae praedictae anno MDCCXV. editae de recipiendo solo visitatore provinciae Assumptionis B. M. Tucumanis, vel commissario generali Peruviano.

Frater Iosephus Sanz, Ordinis sancti patris nostri Francisci regularis observantiae lector iubilatus, examinator synodalis Archiepiscopi Toletani, theologus regis catholici in Immaculatae Conceptionis Deiparae congressu, exprovincialis provinciae Castellae, pater eiusdem et provinciarum Aragoniae et Cataloniae, ac commissarius generalis omnium Occidentalium Indiarum cum

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

plenitudine potestatis, et servus, etc., reverendo patri provinciali et venerabili definitorio nostrae provinciae SS. Trinitatis de Chile, salutem et pacem in Domino nostro Iesu Christo, etc. Cum certiorati simus de excessivis expensis, quibus gravantur illae nostrae praefatae provinciae, quando reverendi patres visitatores ad eas visitandas nominantur ex aliis longinquis provinciis, et quod sint illae gravissimae et magnae expensae indispensabiles et necessariae propter longissima itinera per regiones desertas, ut fiat transitus ex unâ ad alias provincias, ut experientiâ notum est; et cum, propter praefatae nostrae provinciae SS. Trinitatis paupertatem, nequeant fieri illae magnae expensae necessariae ad conducendum visitatores ex longinquis provinciis; nos propterea, desiderantes ut in praedictâ nostrâ provinciâ evitentur tam graves sumptus seu expensae, necnon et adhaerendo constitutioni generali praecipienti eligi visitatores ex propinquioribus provinciis, ideoque virtute harum nostrarum litterarum, nostro nomine et propriâ manu subscriptarum (et quas sigillo maiori nostri officii sigillamus et per nostrum secretarium attestamur) praecipimus et ordinamus, ut deinceps non admittatur nec recipiatur in praefatâ nostrâ provinciâ aliquis visitator ex aliâ provinciâ, nisi solum ex illâ Assumptionis Virginis Mariae Tucumanis quae proximior est, ut hoc modo occurratur damnis quae evenire possunt ob excessivas expensas, et ut observetur generalis constitutio nostri Ordinis; quapropter mandamus, ut, statim ac ipsae nostrae litterae patentes accipiantur in praefatâ nostrâ provinciâ, intimetur nostrum mandatum in eis contentum reverendo patri commissario generali nostrarum provinciarum regni Peruani, ut de illo sit admonitus; cui insuper mandamus virtute sanctae obedientiae et Spiritus Sancti, quod nullo modo nec sub aliquo praetextu se opponat, nec contradicat nostro mandato et dispositioni, nisi solum in casu quo sua paternitas reverendissima velit suâ propriâ personâ praedictam provinciam visitare.

Datis in hoc conventu S. Francisci Matriti, die XXXI. iulii MDCCXV.

Fr. IOSEPH SANZ
commissarius gen. Indiarum.

Loco † sigilli.

De mandato paternitatis reverendissimae, frater CLEMENS ZURITA secret. gen. Ind.

Confirmatio relatarum litterarum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes procurator praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ioannem procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum pariter filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, praeinsertas patentes litteras a memorato Iosepho commissario generali Indiarum expeditas, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus om-

nibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV. ianuarii MDCCXVII., pontificatus nostri anno XVII.

LV.

Concedit facultatem eligendi commissarios visitatores ex eâdem provinciâ pro provinciâ Conceptionis B. M. fluminis Ianuarii fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum (1).

CLEMENS PP. XI.
ad futuram rei memoriam.

Expositio motivorum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus a Plagis, procurator provinciae Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae fluminis Iuanuarii Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quod aliàs quondam Petrus Marinus Sormanus, dum vixit, minister generalis dicti Ordinis, incommodis, expensis, gravissimisque molestiis, quae ex deputatione commissariorum europaeorum, ad visitandas personas et S. Antonii Bahiensis eiusdem Ordinis provincias in Brasiliâ earumque capitulis praesidendum mitti solitorum, proveniebant, simulque vagationibus fratrum, qui propter causas appellationum longissimis itineribus se committere cogebantur, opportunis rationibus occurrere volens, nonnullas ordinationes in dictis provinciis servandas fecit per quasdam suas patentes litteras die XXIX. martii MDCLXXXII. expeditas, per quas praecepit ne in posterum ad dictas provincias commissarii visitatores europaei mitti, sed ipsi ex eisdemmet provinciis assumi deberent modo sequenti, nempe ut in quolibet capitulo provinciali secundodictae provinciae S. Antonii novum definitorium tres religiosos ex primodictâ provinciâ Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae in commissarios visitatores eiusdem provinciae S. Antonii eligeret, eorumque nominatio ad dictum ministrum generalem, datâ primâ occasione discessûs alicuius navis ad partes europaeas, sub poenâ suspensionis a divinis, tam a ministro provinciali quam ab aliis, qui praemissa neglexissent, incurrendâ, mitteretur, itaut visitatores commissarii unius provinciae ex aliâ reciperentur; et aliàs, prout in praedictis litteris patentibus, per quasdam felicis recordationis Innocentii PP. XI. die XIII. (2) maii dicti anni desuper in simili formâ Brevis expeditas confirmatis, uberius dicitur contineri. Postmodum vero, cum quondam Philippus a Matre Dei, procurator dictae provinciae S. Antonii, bonae memoriae Alderano, dum vixit, Episcopo Ostiensi S. R. E. Cardinali Cybo nuncupato, tunc dicti Ordinis apud Sedem Apostolicam protectori, exposuisset, quod dicti commissarii visitatores, sive ex Portugalliae sive ex fluminis Ianuarii provinciis huiusmodi selecti fuerant, ex se ob magnam distantiam commissum sibi munus minime adimplere poterant, ipse Alderanus Episcopus Cardinalis et protector, de consensu et approbatione definitorii generalis et ministri generalis praedicti Ordinis, die XI. augusti MDCLXXXVIII. per suum decretum praecepit et mandavit, ut de cetero in capitulis provincialibus praedictae provinciae S. Antonii tres religiosi seligi possent, iique ministris vel commissariis generalibus pro tempore existentibus proponi deberent, ad hoc ut unum ex his in commissarium visitatorem eiusdem provinciae constituerent et deputarent, et, in defectum primi, alterum subrogarent, quam quidem deputationem ad eamdem provinciam quamprimum remittere deberent ad hoc ut commissarius visitator intra tempus a constitutionibus Ordinis huiusmodi praescriptum visitationem assumere et complere posset; et aliàs, prout in eiusdem Alderani Episcopi Cardinalis et protectoris decreto ac litteris apostolicis in simili formâ Brevis die XXVIII. eiusdem mensis augusti super illius confirmatione emanatis, quorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. De huiusmodi commissariis vide Innocentii XI. const. infra citatam; in huius Pontificis const. edit. MDCCXVII., die XXV. ianuarii, pont. XVII., confirmatae fuere litterae de visitatore provinciae Chilensis; const. ed. MDCCXVII., die XX. augusti, pont. XVII., revocantur indulta personalia concessa dictae provinciae Conceptionis et S. Antonii; et Benedicti XIII. const. ed. MDCCXXIV., die XX. decembris, pontif. I., agitur de visitatore provinciae Assumptionis B. M. Tucumanis.

(2) Vide supra pag. 56.

ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Sicque praedicta provincia S. Antonii hucusque gubernata fuit.

Concessio dictae facultatis pro provincia Fluminis Ianuarii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, memoratus Antonius procurator, quo praedictis inordinationibus, quibus dicta provincia sua de praesenti obnoxia reperitur, occurrere valeat, praedictae suae provinciae eamdem facultatem, quae provinciae S. Antonii concessa fuit, a nobis concedi plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsius Antonii procuratoris votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium frafratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationes iam defuncti procuratoris generalis et dilecti filii moderni vice-prioris generalis dicti Ordinis Discalceatorum et Recollectorum super eisdem praemissis dictis Cardinalibus factas audiverunt, consilio, fratribus definitorii primodictae provinciae facultatem eligendi in eorum capitulis provincialibus tres religiosos benemeritos, et quos magis idoneos iudicaverint, eosque ministris vel commissariis generalibus pro tempore existentibus proponendi, ad hoc ut ex iis tribus unum commissarium visitatorem eiusdem provinciae constituant et deputent, et, in defectum primi, alterum subrogent, ac deputationem ad eamdem provinciam quamprimum remittere debeant, ut commissarius visitator intra tempus a constitutionibus praescriptum visitationem assumere et complere possit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. septembris MDCCXVII., pontificatus nostri anno XVII.

LVI.

Unit beneficium in ecclesia SS. Petri et Marcellini fundatum hospitio monachorum Maronitarum prope illam ecclesiam erecto, usquedum iidem monachi in eo hospitio morentur (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Supereminenti B. Petri Principis Apostolorum Cathedrâ, meritis licet imparibus et divinâ sic disponente clementiâ constituti, adeo libenter intendimus, per quae hospitia et regulares domus in almâ Urbe nostra ad divini cultus augmentum constructa seu constructae possint semper manuteneri, et eorum seu earum indigentiis ac necessitatibus adiutrices porrigimus manus, prout locorum, temporum et personarum

(1) Ex Arch. S. Cong. de Prop. Fide.

qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus PP. II. praedecessor noster, postquam nonnulli RR. Pontifices praedecessores sui per diversas eorum constitutiones, quos suo tempore dumtaxat durare voluerunt, quaecumque beneficia ecclesiastica, quae sui familiares et continui commensales tunc obtinebant, eorum familiaritate durante obtinerent, etiamsi ab ipsâ familiaritate per obitum eorumdem praedecessorum aut aliàs recessissent, et in quibusvis locis vacarent, collationi et dispositioni suae reservaverant, irritanti decreto desuper apposito, cum, praedecessoribus ipsis de medio sublatis, et eorumdem beneficiorum vacationibus occurrentibus, haesitaretur, an beneficia huiusmodi propter reservationem et decretum praefatum dispositioni apostolicae reservata et affecta remansissent; ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium suae perpetuae et irrefragabilis constitutionis edicto decrevit et declaravit, omnia beneficia ecclesiasticâ, ut praefertur, reservata et per RR. Pontifices successores suos canonice intrantes in posterum reservanda, ac etiam quovis modo vacantia et in posterum vacatura per huiusmodi reservationem et decretum remansisse et remanere semper affecta, nullumque de illis, cum primum illa vacare contingeret, praeter Romanum Pontificem disponere potuisse seu posse, irritanti decreto etiam desuper apposito; et deinde praedict. me. Innocentius PP. XI. praedecessor noster simili modo omnia beneficia ecclesiastica, quae sui familiares et continui commensales tunc obtinebant, et in posterum obtinerent, eorum familiaritate durante, etiamsi ab ipsa familiaritate etiam, ut praefertur, recepissent, tunc vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni suae reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Unionis rationem exponit.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, nuper in almâ Urbe nostrâ praefatâ hospitium dilectorum filiorum monachorum Maronitarum prope ecclesiam SS. Petri et Marcellini de eâdem Urbe, quae titulus presbyteri Cardinalis existit, pro habitatione praefatorum monachorum constructum fuerit, et, sicut etiam accepimus, perpetuum, simplex et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare seu sub invocatione eorumdem Sanctorum Petri et Marcellini in dictâ ecclesiâ fundatum, quod quondam Tiberius Quadri clericus seu presbyter in dictâ ecclesiâ perpetuus beneficiatus, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Tiberii, qui etiam, dum viveret et beneficium huiusmodi obtineret, praefati Innocentii praedecessoris familiaris et continuus commensalis existens, apud Sedem Apostolicam de anno Domini MDCCVII., seu alio veriori tempore, diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illo, praeter Romanum Pontificem, hac vice disponere potuerit seu possit, reservatione, decreto et declaratione obsistentibus supradictis, dictum vero hospitium pro manutentione monachorum in eo pro tempore degentium sufficientes reditus non habere, proptereaque considerantes quod, si beneficium praefatum, praeviâ illius tituli collativi suppressione et extinctione, hospitio praefato per nos perpetuo uniretur et incorporaretur, ex hoc profecto dicti hospitii necessitatibus aliquo modo consultum foret; Nos igitur qui domorum regularium conservationi, ac personarum in eis Altissimo famulantium manutentioni, quantum cum Domino possumus, occurrere solicite studemus, eiusdem hospitii rectorem et monachos praefatos nunc et pro tempore existentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad hospitii illiusque rectoris et monachorum praefatorum vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meràque deliberatione nostris, et de apostolicae potestatis plenitudine beneficium praefatum, cuius, et illi forsan annexorum, fructus reditus et proventus decem ducatorum auri de Camerâ, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut pariter accepimus, non excedunt, sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personâ, seu per liberam resignationem dicti Tiberii, vel cuiusvis alterius de illo in Romanâ Curiâ, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii eccle-

Unionem decernit iuxta modum.

siastici quavis auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem praefatam legitime devoluta, ipsumque beneficium dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservatum existat, et super eo inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, praeviâ illius tituli collativi suppressione et extinctione, cum annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, dicto hospitio, ita quod liceat eiusdem hospitii rectori nunc et pro tempore existenti dicti beneficii fructuum, redituum, proventuum, iurium, bonorum, obventionum, pertinentiarum et emolumentorum universorum corporalem, realem et actualem possessionem per se, vel alium seu alios, eius ac dicti hospitii nominibus, propriâ auctoritate apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, arrendare, exigere, percipere, levare et recuperare, ac in dicti hospitii et monachorum in eo pro tempore degentium praefatorum communes et religiosos usus, utilitatem et necessitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, supportatis tamen, per nunc et pro tempore existentem dicti hospitii rectorem, omnibus et singulis dicti beneficii oneribus, apostolicâ auctoritate tenore praesentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore, etiam ex eo quod causae, propter quas illae emanaverint, coram nostro in eâdem Urbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, seu dictae ecclesiae pro tempore existente Cardinali titulari, vel alias examinatae, verificatae et approbatae, ac quaecumque in praemissis et circa ea interesse habentes seu habere praetendentes, ad id vocati respective non fuerint, nec eisdem praesentibus consenserint, seu alias ex quibuscumque causis, quantumvis legitimis et iuridicis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retardari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas, quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari posse, neque illas sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum, etiam unionum, suum plenarium effectum nondum sortitarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos vel RR. Pontifices successores nostros, etiam in crastinum assumptionis cuiuslibet ipsorum ad summi Apostolatus apicem, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis pro tempore factis comprehendi, sed tamquam pro manutentione et utilitate dicti hospitii illiusque incremento concessas, semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo ante quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per dicti hospitii rectorem et monachos praefatos quandocumque eligendâ concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec quemquam ad easdem praesentes motus proprii huiusmodi literas in Cancellariâ seu Camerâ Apostolicâ iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV. similiter praedecessoris nostri desuper editam, quandocumque praestandas, iusiurandas, et registrari faciendas, teneri, neque illas propterea irritas esse, sed omnino valere et suffragari debere, perinde ac si constitutio Pii praedecessoris huiusmodi vel alia contraria minime emanassent, sicque per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes et dignitate fulgentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, et Sedis praefatae Nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet qualibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac de unionibus, applicationibus et concessionibus perpetuis committendis ad partes vocatis quarum interest, aliisque apostolicis, etiam in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis dictae ecclesiae, illiusque Cardinali titulari, ac dictae urbis Senatori, Conservatoribus, et

populo romano, aliisque quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis nec non irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas, et occasiones pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse, motu pari, harum serie, derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem quod in eventum, in quem Monachi praefati in dicto hospitio habitare desierint, unio, annexio et incorporatio praefatae pro non factis habeantur, illaeque dissolvantur, et dissolutae sint et esse censeantur eo ipso, et dictum beneficium ad pristinam sui tituli collativi naturam revertatur.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, motus proprii, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXVIII., IX. kal. iunii, pontif. nostri anno XVIII.

LVII.

Confirmat et innovat constitutionem Clementis X., qua privilegia personalia pro provinciis fratrum Minorum Discalceatorum in Brasilia revocantur (1).

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, ut illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pro felici christifidelium, qui, abnegantes semetipsos, e fluctibus saeculi in regularis vitae portum confugerunt, directione et quiete, salubriter constituta esse dignoscuntur, quo serventur in posterum exactius, innovemus, et apostolicae confirmationis nostrae patrocinio constabiliamus. Exordium.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Clemente PP. X. praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: Constitutio Clementis X., qua revocata fuere et in posterum prohibita privilegia personalia, nonnullis exceptis, cum poenis in contravenientes.

Clemens PP. X., ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officium, etc. (2).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. octobris MDCLXXII., pontificatus nostri anno III.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii fratres provinciarum S. Antonii et Immaculatae Conceptionis in Brasiliâ Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, ne in posterum in provinciis huiusmodi ambitionis et relaxationis laxentur habenae, praeinsertas litteras per nos confirmari, ac aliàs opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent: nos, inviolabili praeinsertarum litterarum observationi, quantum cum Domino possumus, peramplius consultum esse cupientes, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis super Confirmatio recensitae constitutionis cum novâ prohibitione eorumdem privilegiorum.

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Reliqua vide Vol. I., pag. 406.

praemissis audiverunt, consilio, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, pro dictis duabus provinciis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac, quatenus opus sit, innovamus; necnon insuper indulta seu privilegia personalia huiusmodi etiam a nunc et pro tempore existente nostro et dictae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncio concedi minime posse, ac concessa nullum habere vigorem nec executionem, dictâ auctoritate, harum serie, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in praeinsertis litteris idem Clemens praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx. augusti MDCCXVIII., pontif. nostri anno XVIII.

LVIII.

Iuxta decretum particularis Congregationis Cardinalium negotiis Prop. Fidei praepositorum super rebus Indiarum Orientalium deputatae, commissarium et visitatorem instituit cum ordinariis et extraordinariis facultatibus (1).

Venerabili fratri Carolo Ambrosio Patriarchae Alexandrino

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Speculatores domus Israel super cathedram principis Apostolorum, inscrutabili divinae providentiae arcano constituti, non modo gravissima ecclesiarum omnium sollicitudine premimur, sed ad universam, quae sub caelo est, ex omni tribu et lingua et populo et natione gentium multitudinem mentis nostrae oculos iugiter circumferimus; quantum siquidem in nobis est, a solis ortu usque ad occasum laudari nomen Domini summopere cupimus, adeoque etiam ad remotissimas ab hac Sancta Sede regiones pastoralis vigilantiae nostrae curam extendimus, ut ibidem christiana fides quotidiana infidelium accessione latius propagetur, et quo alias inducta fuit, sublatis dissidiis illius incrementa turbantibus, solidius in dies, benedicente Domino, stabiliatur.

Commissarium instituit.

§ 1. Hinc est, quod nos peculiari quodam paternae nostrae caritatis affectu ad amplissimum Sinarum Imperium studia nostra connectentes, te, de cuius spectata fide, integritate, prudentia, doctrina, pietate, caritate, rerum agendarum peritia ac catholicae religionis zelo plurimum in Domino confidimus, tanquam nostrum et Apostolicae Sedis visitatorem cum potestate etiam Legati de latere una cum congruo missionariorum comitatu illuc mittere decrevimus, ut coeptum illic iamdudum conversionis infidelium ac orthodoxae fidei propagationis opus, iis omnibus inde zizaniis, quae inimicus homo superseminaverat, penitus extirpatis, firmius et felicius opera tua promoveatur. Igitur te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Indiarum Orientalium a nobis specialiter deputatorum consilio, te nostrum et dictae Sedis commissarium et visitatorem cum potestate etiam Legati de latere in praefatis Sinarum aliisque Indiarum Orientalium regnis et insulis, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus.

Facultates ordinarias et extraordinarias concedit.

§ 2. Tibique, quamdiu Visitatoris Apostolici a nobis, ut profertur, deputati munere fungendo in illis partibus commoraberis, ultra solitas et consuetas facultates Visitatoris Apostolici huiusmodi, etiam administrandi omnia sacramenta, etiam parochialia, ac omnes etiam sacros et presbytera-

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

tus ordines, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis interstitiis, atque etiam sine titulo, prius tamen recepto missionibus perpetuo inserviendi iuramento, conferendi et pontificalia exercendi absque ullius Ordinarii vel dioecesani quacumque dignitate, etiam metropolitana aut primatiali, fulgentis consensu seu scientia; instituendi, destituendi, mutandi, suspendendi, etiam iuris ordine non servato, et extraiudicialiter procedendo, quoscumque Vicarios Apostolicos, ac novos etiam Vicariatus ubi et quoties opus fuerit, in locis tamen, qui non subsunt Episcopis aut Vicariis a Sede Apostolica constitutis, erigendi, ibique Vicarios Apostolicos similiter praeficiendi cum solitis facultatibus declarandi, moderandi, suspendendi et revocandi quibuscumque personis tam Saecularibus quam Regularibus, etiam Societatis Iesu, quaecumque privilegia etiam a dicta Sede quomodocumque, et ex quavis causa concessa, etiam pluries confirmata et innovata; substituendi et deputandi unum, vel plures sacerdotes, quos magis idoneos iudicaveris in Visitatores Apostolicos locorum seu provinciarum ubi opus fuerit, iisdemque communicandi ad tempus Tibi benevisum facultates necessarias et opportunas; deputandi quoscumque Missionarios Apostolicos, tam Saeculares quam Regulares, etiam dictae Societatis Iesu, eosque, et alios etiam a Sede praedicta deputatos, removendi et transferendi de loco in locum, eisdemque solitas facultates ad tempus Tibi benevisum concedendi, concessasque etiam ab eadem Sede et dicta Cardinalium Congregatione pro tuo arbitrio et prudentia moderandi seu revocandi in totum vel in partem; convocandi Synodos Dioecesanas, provinciales seu nationales, iisque dicta auctoritate apostolica praesidendi seu praesidentiam aliis demandandi, atque etiam extra Synodos constitutiones et statuta condendi. Duodecim viros ecclesiasticos doctrina, virtute et meritis praestantes, ac nostri et dictae Sedis in primis devotos, in nostros et eiusdem Sedis notarios dicta auctoritate recipiendi et admittendi, ac illos aliorum nostrorum et dictae Sedis notariorum numero et consortio favorabiliter aggregandi, illisque ut, etiamsi habitum et rochettum non deferant, nihilominus omnibus et singulis favoribus, honoribus, praeeminentiis, indultis, privilegiis, exemptionibus et praerogativis, quibus alii nostri et eiusdem Sedis notarii tam de iure quam de consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum (absque tamen nostrorum et eiusdem Sedis notariorum de numero participantium praeiudicio, et citra exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, aliaque similia privilegia eisdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis praetensa, quibus notarii a te creandi nullibi uti valeant, et si secus ab eis factum fuerit, irritum et inane existat), uti, potiri et gaudere possint et valeant, concedendi et indulgendi; apposito tamen in tuis literis eorum creationis in notarios decreto, quod ipsi antequam exercitio tituli, insignium et privilegiorum notariis huiusmodi competentium perfrui incipiant, in manibus tuis, seu alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede Ap. propositos emittere, et solitum fidelitatis iuramentum praestare teneantur; nec non, ubi opus fuerit, alios notarios etiam clericos, tam saeculares quam regulares, recepto prius ab eis fidelitatis debitae solito iuramento, cum facultatibus necessariis et opportunis creandi, ac viginti quatuor auratae militiae equites instituendi, illosque aliorum equitum huiusmodi numero et consortio favorabiliter aggregandi, ac illis, ut torquem aureum et aurata calcaria gestare, nec non omnibus privilegiis, indultis, favoribus, honoribus et praerogativis, quibus alii equites huiusmodi de iure, usu, vel consuetudine uti, potiri et gaudere solent, et possunt, ac poterunt in futurum, similiter uti, frui et gaudere possint, et valeant (citra tamen facultates, et exemptiones ab eodem Concilio Tridentino sublatas) pariter concedendi et indulgendi; dispensandi cum clericis tam saecularibus quam regularibus super exercitio artis medicinae, ita ut inde irregularitas non contrahatur, in iis praesertim locis, ubi non sint laici et catholici medici, dummodo tamen sint in ea arte periti, et citra membrorum incisionem et adustionem, ac gratis et sine ulla prorsus mercede artem medicinae huiusmodi exerceant; dispensandi super defectu aetatis tredecim mensium ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint; dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis;

dispensandi gratis in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici, et mixto, atque etiam in secundo solo quoad matrimonia praeterita, quo vero ad futura per te ipsum tantum, et urgente magna necessitate, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et mulier rapta non fuerit, vel saltem in potestate raptoris non existat, et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam; dispensandi super impedimento criminis neutro coniugum machinante, atque etiam utroque, vel altero machinante, si impedimentum sit occultum, et necessitas postulet, ratione alicuius gravis imminentis periculi, et restituendi ius petendi debitum: concedendi mediantibus coronis, crucibus, numismatibus, parvisque imaginibus sacris a te benedictis plenarias aliasque minores indulgentias in formula typis edita indulgentiarum coronis, crucibus, numismatibus, et sacris imaginibus per nos concedi solitarum contentas; et insuper largiendi semel indulgentiam plenariam pro una die visitantibus quamlibet ecclesiam, cum primo ad eam accesseris; qualibet die non impedita, semel tamen in hebdomada, celebrando missam de requiem in quocumque altari, etiam portatili, liberandi animas secundum tuam intentionem a Purgatorii poenis per modum suffragii; fruendi pro te, ac sociis tuis missionariis seu familiaribus, privilegiis, quibus christifideles in Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac eorumdem regnorum insulis in Indiis Orientalibus et ultramarinis conquistis terris et locis, eorumdem regnorum Portugalliae et Algarbiorum dominio subiectis commorantes, et ad illa declinantes vigore literarum apostolicarum a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, imo etiam a nobis pro cruciata sancta concessorum fruuntur, in locis tamen, ubi dictorum privilegiorum usus viget; absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide et a schismate, quoscumque etiam ecclesiasticos, tum saeculares quam regulares, etiam relapsos in foro conscientiae tantum; tenendi et legendi libros haereticorum, vel infidelium de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, et huiusmodi facultatem aliis pro tua prudentia (exceptis Caroli Molinei et Nicolai Macchiavelli operibus, ac libris de Astrologia Iudiciaria tractantibus) concedendi; admittendi per te ipsum dumtaxat quascumque appellationes etiam ad Sedem praedictam interpositas a quibuscumque Ordinariorum seu delegatorum tam saecularium, quam cuiusvis instituti, etiam specialiter nominandi regularium, sententiis seu decretis, etiam omisso medio, earumque causas tam per te quam per alios cognoscendi, et fine debito etiam sine strepitu et figura iudicii, sed simpliciter, et de plano, et sola facti veritate inspecta, terminandi, exequendi, seu ab aliis exequi mandandi, quaecumque tua decreta, sententias, praecepta, et ordinationes, quacumque appellatione, recursu, recusatione seu nullitatis dictione minime obstante, ita ut quaelibet appellatio solum in devolutivo, et non retardata executione, et non nisi ad dictam Sedem interponi possit; exercendi omnes et singulas facultates, etiam ultra supra expressas ab eadem Sede quibuscumque Vicariis Apostolicis tam regni Sinarum quam caeterarum regionum Indiarum Orientalium huiusmodi concedi solitas, et alias quandocumque concessas, nec non plenissime gaudendi, utendi ac fruendi quibuscumque privilegiis, indultis et gratiis praedictis Vicariis Apostolicis quandocumque concessis, et quomodolibet competentibus, et signanter communicandi sacerdotibus idoneis omnes et singulas facultates, quas iidem Vicarii Apostolici aliis communicare possunt; declarandi et definiendi dicta auctoritate apostolica quaecumque dubia aut difficultates, quae super his omnibus et singulis facultatibus, earumque tenore insurgere aut excitari quoquomodo possent, ita ut tuae declarationi omnes tam saeculares quam ecclesiastici, et cuiusvis ordinis regulares, etiam Societatis Iesu, quacumque appellatione remota acquiescere et obedire teneantur. Ac demum utendi eisdem omnibus et singulis facultatibus, easque libere exercendi, absque ulla obligatione illas vel praesentes literas aut alia documenta super earum concessione publicandi, exhibendi, ostendendi, seu praesentandi cuiquam quacumque tam saeculari quam ecclesiastica etiam episcopali, archiepiscopali aut primatiali, etiam Legati Apostolici, dignitate fulgenti, facultates intra tuae legationis limites exercendas, auctoritate praefata earumdem serie praesentium concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus Lateranensis Concilii novissime celebrati decreto notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum sit, cui per hoc alias non intendimus

derogare, ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de non tollendo iure quaesito, nec non fel. rec. Bonifacii PP. VIII. praedecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec non quorumvis ordinum, congregationum, institutorum, societatum, etiam Iesu, ac conventuum, collegiorum et hospitiorum, ac quarumvis ecclesiarum et locorum piorum, et aliis quibuslibet etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, eisdem ordinibus, congregationibus, institutis, societatibus, conventibus, collegiis, hospitiis, ecclesiis et locis piis, illorumque superioribus et personis, et aliis quibuslibet, etiam speciali mentione et expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis et decretis in genere vel in specie, etiam motu proprio, et de apostolica potestatis plenitudine ac consistorialiter, vel etiam ad imperatorum, regum et principum, aliarumque quarumvis personarum qualibet ecclesiastica vel mundana dignitate seu praeeminentia fulgentium instantiam vel eorum contemplatione, seu alias quoquo modo concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, datas formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis espressis et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse ac plenissime derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Quocirca fraternitati tuae per praesentes mandamus, quatenus iniunctum tibi munus, huiusmodi ita fideliter et strenue exequaris, ut ex tuis laboribus, fide et diligentia, divina favente bonitate, optati et sperati fructus ad Dei gloriam et animarum salutem proveniant. Propitium interim bonorum omnium auctorem Deum tibi, venerabilis frater, enixe precamur, atque apostolicam benedictionem ex omni cordis nostri sensu impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. sept. MDCCXIX., pontificatus nostri anno XIX.

LIX.

Commendat Imperatori Sinarum Patriarcham Alexandrinum quem in Sinas Visitatorem Apostolicum et Legatum a latere mittit; ostendit aequitatem constitutionis circa ritus Sinenses (1).

---

(1) Ex Ep. et Br. select. t. 2, p. 721, coll. etc. Sequenti lit. apost. eidem facultas tradebatur ut quatuor Vicarios Apostolicos in illis partibus iam constitutos, seu et a se constituendos, quos in Domino magis idoneos, et tanto muneri exequendo aptiores iudicaverit, cathedralibus ecclesiis Maximopolitanae, Irenopolitanae, Germanocopolitanae et Neliopolitanae in partibus infidelium consisten. in Episcopos et Pastores praeficere, eisque munus consecrationis cum assistentia duorum Presbyterorum, licet non Episcoporum nec ecclesiastica dignitate constitutorum, si adfuerint, sin minus etiam sine illorum assistentia, impendere valeat.

Venerabili Fratri Carolo Ambrosio Patriarchae Alexandrino,

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos, pro commisso nobis divinitus apostolicae servitutis munere, etiam ad remotissimas ab Sancta Sede regiones Pastoralis vigilantiae nostrae curam extendentes, per alias nostras in simili forma Brevis literas, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, te nostrum et Apostolicae Sedis commissarium et visitatorem in Sinarum Imperio aliisque Indiarum Orientalium regnis et insulis, cum potestate etiam nostri et eiusdem Sedis de latere Legati, ac diversis facultatibus et indultis constituerimus, et deputaverimus; fieri vero possit, ut pro specialibus christifidelium illarum partium necessitatibus aliquos ex Vicariis Apostolicis ibidem constitutis, seu etiam a te constituendis, in Episcopos aliquarum ecclesiarum, in infidelium partibus consistentium quantocius promoveri expediat. Nos saluti animarum, quantum nobis ex alto conceditur, per amplius providere cupientes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis super

Illustri ac potentissimo utriusque Tartariae ac Sinarum Imperatori

CLEMENS PP. XI.

Illustris ac potentissime Imperator, salutem et lumen divinae gratiae.

De apostolico Legato in Sinas mittendo.

§ 1. Aliis nostris in simili formâ Brevis die xxx. ianuarii proxime praeteriti datis literis solicitam tibi significavimus curam, in qua tunc versabamur, exequendi quantocius fieri potuisset susceptum iamdudum a nobis consilium istas in partes mittendi illustrem aliquem praesulem titulo ac insignibus Apostolici nostri Legati decorandum, ut solemni eiusmodi expeditione novum atque praeclarum tibi praeberemus argumentum veteris nostrae de tuâ amplissima dignitate existimationis, multoque magis de praestantissimis excelsi animi tui dotibus, quarum causâ apud omnes orbis nationes ac in nostrâ praesertim Europâ clarissimum tuum nomen summis laudibus extollitur ac celebratur; tum etiam, ut per eumdem praesulem tibi luculenter explicaremus praecipuum et constans, quod fovemus, desiderium quacumque oblata opportunitate, quoad nobis licuerit, obsecundandi votis tuis, adeoque promerendi, ut tu vicissim consuetâ nos benevolentiâ respicere, nostrosque apostolicos missionarios benigno tuo patrocinio tueri pergeres, quemadmodum uberiùs ex memoratis nostris literis intellexeris, quos multo antequam praesentes ad te perferantur, tibi redditas fuisse confidimus, a duobus religiosis viris missionariis, quos sub labentis anni initium tamquam Legati nostri praecursores istuc amandavimus. Eumdem porro Legatum sublatis tandem, quae illius expeditioni diu intercessere, magnis ac multiplicibus impedimentis, alacri laetoque animo ad te nunc allegamus. Delegimus ad hoc munus ven. fratrem Carolum Ambrosium Mediobarbum Patriacham Alexandrinum, generis non minus quam virtutum fulgore conspicuum, qui easdem praesentes nostras literas tibi reddet, simulque plures non vulgari bonarum artium et scientiarum peritiâ excellentes viros, quos iussu nostro secum ducit, tuo obsequio addicet. Eidem insuper commisimus, ut partes Superioris et Visitatoris istarum missionum suscipiat ac obeat, illudque potissimum strenue curet, ut inter missionarios nostros solida ac sincera pax animorumque coniunctio ita coalescat atque firmetur, ut eorum causâ nullam unquam in Imperio tuo perturbationem accipias. Minime autem dubitamus, quin ipsum Legatum nostrum insitâ tibi benignitate, quemadmodum a te petimus, excepturus sis, ac vicissim pro explorato habemus, illum, sicut ei iniunximus, sedulo ac fideliter tibi expositurum esse illas rationes quae nos, ut superius innuimus, ad ipsius expeditionem impulerunt.

Gratias agit de prudentia adhibita in accusationibus contra missionarios.

§ 2. Primum tamen omnium plurimas ille tibi nomine mandatoque nostro habebit gratias duorum illustrium eximiae moderationis exemplorum, quae non ita pridem intuitu nostro edidisti, quaeque, ubi quodcumque aliud nobis deesset argumentum, ad plene declarandam non minus excelsam magnanimitatem quam prudentiam, aequitatem et sapientiam tuam plane singularem satis superque sufficerent. Alterum ex his tunc contigit, cum ante tres annos Europaeis nostris christianae legis professoribus falso apud te insimulatis, quod turbas excitarent seditionesque in amplissimo tuo Imperio molirentur, quin immo ipsimet missionarii Evangelii praecones,

---

rebus Indiarum Orientalium a nobis specialiter deputatae consilio, fraternitati tuae ultra alias iam tributas facultates, ut Vicarios Apostolicos in primodictis partibus iam constitutos, seu etiam a te constituendos, quos in Domino magis idoneos et tanto muneri exequendo aptiores iudicaveris, cathedralibus ecclesiis Maximopolitanae, Irenopolitanae, Germanicopolitanae et Neliopolitanae in aliis partibus infidelium consistentibus, et pastorum solatio destitutis, in Episcopos et pastores auctoritate nostra apostolica praeficere, eisque sic praefectis munus consecrationis cum assistentia duorum presbyterorum, etiamsi non sint Episcopi nec in ecclesiastica dignitate constituti, si adfuerint, sin minus et sine illorum assistentia, servatis tamen, quantum locus et tempus permiserint, ceremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius ab illis nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento impendere, atque etiam consecrationem huiusmodi aliis Episcopis committere libere et licite possis et valeas, facultatem dicta auctoritate tenore praesentium tribuimus et impertimur. Ceterum praefatis Episcopis a te, ut praefertur, promovendis, et eorum cuilibet ut ipsi ad ecclesias, quibus eos respective praefeceris, quamdiu illae ab infidelibus detinebuntur, accedere, et apud illas personaliter residere nullatenus teneantur, ex nunc, prout ex tunc, auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non omnibus et singulis illis, quae in praedictis literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. octobris MDCCXIX., pontificatus nostri anno XIX.

sub obtentu sanctae legis praedicandae copias conficere conarentur eum in scopum, ut coniunctis internis externisque viribus contra ius fasque aliquam ex tuis terris seu regionibus occuparent, tametsi ad extrema quaeque in ipsos decernenda a tuis tribunalibus incitaveris, iis tamen auscultare abnuisti et, quacumque duriori deliberatione suspensâ, te non minus delationis calumniam quam delatorum innocentiam acerrimo solertique ingenio tuo probe cognovisse ostendisti. Quod etsi iustitiae actus fuerit a te redditae profitentibus religionem, quae non modo iniusta id genus ac enormia facinora execratur, sed cum aperte doceat atque praecipiat reverentiam, subiectionem ac fidem erga principes, illius potissimum praecones obstringit, ut hisce ipsis sensibus atque dogmatibus alios erudiant, praeclaro tamen hoc tuo facto voluntatem nostram tibi maiorem in modum et usque adeo devinxisti, ut eius memoria nunquam ex animo nostro delenda sit. Interim vero persuasum ac penitus exploratum habere te cupimus, neminem tibi fideliorem, addictiorem, tuaque ad obsequia quocumque tempore paratiorem fore Europaeis christianis, illisque praesertim, qui ad sanctam legem edocendam a nobis istuc mittuntur: hoc etenim, nedum ab ipsamet quam profitentur lege, verum etiam a nobis diserte strictissimeque illis iniungitur atque mandatur. Aliud egregiae tuae moderationis exemplum tunc dedisti, cum postquam ante plures annos ad nos allegasses religiosos viros Antonium Barros et Antonium Beavvolier, ac subinde alios itidem religiosos viros, nempe Iosephum Provana et Raymundum de Arxo, ut quaedam eis a te mandata nobis exponerent, nullumque postmodum de ipsis nuncium accepisses, nec quid ii apud nos egissent, ullâ ex parte significatum tibi fuisset; tametsi non deessent qui malevolo in nos animo nequiter tibi suaderent, eiusmodi eventum incuriae nostrae et forsan etiam dignitatis tuae contemptui ac despicientiae tribuendum esse, adeoque auctores tibi forent ad ea in nostros missionarios statuenda, quae certe praeter modum nobis acerba accidissent, nihilominus ab omni nobis molesto consilio tibi perhumaniter temperasti, quinimo aliis super alias constitutis induciis, ut quid vera memorati eventus causa fuisset explorate cognosceres, palam testatum fecisti te de nobis ita sentire, ut iudicaveris in nos cadere minime potuisse culpam adeo alienam a sublimi illo honoris et pretii loco, quam semper apud nos obtinuisti et adhuc obtines. Quod pariter quamvis tuae erga nos iustitiae actus fuerit, novo tamen et arctissimo vinculo humanitati tuae adeo nos obstrinxit, ut hoc peculiari nomine gratum memoremque animum nostrum, quoad vita suppetet, tibi praestare nunquam praetermissuri simus. Affirmare autem ingenue nobis liceat in eo, quod de nobis hac in re tulisti iudicio, te nullatenus deceptum fuisse; quoniam, ut priusquam hae tibi literae reddantur facile intellexeris, antedicti Antonius Barros et Antonius Beavvolier, dum in Europam tenderent, naufragio facto misere perierunt, adeoque nedum ad hanc almam Urbem, sed neque etiam ad Italiam appellere potuerunt; illis proinde ad Sinense Imperium reverti non licuit, ut mandatorum, quae eis iniunxeras, rationem tibi redderent, nullumque nos responsum tradere poteramus ad ea quae prorsus ignorabamus, quaeque ab ipsis nunquam nobis significata fuerunt. Quod autem ad Iosephum Provana et Raymundum de Arxo attinet, ipsi quidem Romam feliciter pervenerunt, et ex iis alter, nempe secundus, expletis una cum primo mandatis tuis, dudum hinc discessit istas in partes rediturus, et ubi iter prospere conficere tuumque in conspectum venire illi datum fuisset, ea forsan nostris verbis tibi explicasset, quae eximiae mentis tuae aequitati usquequaque satisfecissent; sed ipse similiter dum institutum iter istuc prosequeretur, lethali interceptus aegritudine in Hispaniis vitam cum morte commutavit. Ioseph vero Provana, qui variis gravibusque impeditus morbis in Italiâ constitit, et ab iis diu inibi permanere coactus fuit, ferendis tam longae atque arduae profectionis incommodis prorsus impar, adhuc ibidem moram traheret, nisi vigor illius animi ac fervens in primis, quo tenebatur, desiderium tuae voluntati obsequendi, languido eius corpori robur ac vires addidissent, quibus suffultus ac erectus iter istuc aggredi posset, quemadmodum ante plures menses alacriter ac strenue, quibuscumque contemptis periculis, aggressus fuit. Satis id fore arbitramur, ut perspicue dignoscas, consilium a te magnanimae tuae indolis instinctu susceptum quibuscumque aliis causis potius quam culpae nostrae adscribendi retardatum tuorum Ablegatorum ad Sinas reditum, iustitiae tuae prorsus consentaneum extitisse. Ceterum ubi praefatus Io-

sephus Provana sospes et incolumis ad te perveniat (quod ut feliciter contingat, divinam Clementiam obsecravimus, ac assidue obsecrare non omittimus), ille fuse tibi explicabit, qua sedulitate, maturitate ac diligentiâ ea omnia expenderimus, quae ab eo eiusque socio nobis tuo nomine proposita fuerunt, ac simul quam iuxto maturoque iudicio super iis congruas iniverimus deliberationes, quae etiam ab ipso usquequaque probatae et commendatae fuerunt. Quoniam vero afflicta nimis et infirma valetudo, quae idem religiosus vir itineri se commisit, magnum nobis iniicit metum eventus, quem ipse eiusmodi sui itineris habiturus sit; eximiam idcirco benignitatem tuam impense rogamus, ut a memorato Patriarchâ Alexandrino Legato nostro ea omnia audire digneris, quae dictus Iosephus Provana tibi coram exponere debuisset.

Constitutionem de ritibus confirmat et laudat.

§ 3. Paucis interea tibi denunciamus eos omnes istius inclytae nationis mores et ritus quos religionis nostrae institutis non adversari comperimus, permissos a nobis fuisse illis, qui istis in partibus eamdem religionem susceperunt, vel de cetero suscipient. Interdictum autem, quo ex opposito eos mores et ritus minime probavimus, quos cum eâdem religione nostrâ congruere non posse credidimus, nunquam profecto displiciturum tibi fore existimavimus. Cum enim ex incomparabili tuâ clementiâ, cuius memoria christianis in annalibus aeterna erit, tot ab hinc annis solemni decreto indulseris atque permiseris, ut in tuis ditionibus liberum cuicumque foret christianam legem profiteri: recte censere potuimus a te simul indultum permissumque fuisse, quemadmodum alias tibi perscripsimus, ut illis, qui in tuo Imperio christianam legem amplexi fuerint, sicuti permissum erat conformare se moribus huic instituto congruis, ita ab iis liceret e contra abstinere, quae ab eâdem lege dissentiunt. Nimis enim ab egregiâ animi tui aequitate alienum esset, quod sancta nostra religio, insignibus adeo gratiis ac praecipuis beneficiis a te cumulato, deterioris esset conditionis, quam reliquae aliae in tuo imperio toleratae religiones, a quarum professoribus nullatenus exquiritur, ut accepimus, nec postulatur, an observent necne mores ritusque Sinicos, sed iuxta eorum leges et consuetudines quiete vivere permittuntur, dummodo iis quae tibi debentur obsequiis non desint; qua sane in re christianae legis professores, ut diximus, quoscumque alios omni tempore superabunt.

§ 4. Age igitur, potentissime Imperator, clementiam illam qua sanctam legem hactenus tantâ cum tui nominis gloriâ per Imperium tibi subiectum sine formidine praedicari indulsisti, nunc potissimum explica: illius praecones tuere, ac benigno refove patrocinio; eos qui illam profitentur, a molestiis eripe; compesce qui illos conturbant. Neque enim quidquam timendum est ab iis qui eam profitentur religionem, quae iubet fieri observationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, eisque debita obedientiae fidei ac devotionis officia exhiberi: quae itidem non modo minime improbat, quod eius asseclae grato ac memori sint animo erga progenitores suos, quibus se plurimum debere intelligunt, sed potius districte praecipit filiis, ut omnem parentibus honorem et reverentiam praestent, quatenus bene sit ipsis filiis et sint longaevi super terram; quae demum alia plurima praescribit publicae felicitati, ac principum quieti adeo opportuna, ut merito illorum tutelam atque praesidium ei valeant conciliare. Quod super est, enixe te requirimus et obsecramus, ut eumdem Patriarcham Alexandrinum Legatum nostrum prae valido tuo patrocinio tueri, et quotiescumque opus fuerit in iis, quae ad commissum illi a nobis ministerium recte obeundum pertinere possunt, benigne fovere atque iuvare digneris, eique eam ipsam adhibere velis fidem, quam nobis te alloquentibus adhiberes. Tibique demum, potentissime Imperator, perennem felicitatem cum diuturnâ incolumitate coniunctam ac lumen caelestis gratiae a Deo O. M. per quem reges regnant, ex animo postulamus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. sept. MDCCXIX., pontificatus nostri anno XIX.

LX.

Mittit ad Episcopum Pekinensem decretum S. Congregationis Universalis Inquisitionis quo, iuxta sententiam, eiusdem Episcopi damnatur libellus (1).

(1) Ex Reg. Vat. Ep. ad Principes et alios viros, vol. XX., pag. 147.

Venerabili fratri Bernardino Episcopo Pekinensi

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Delatum non ita pridem ad nos libellum typis Sinicis impressum, atque hoc titulo inscriptum: *Informatio pro veritate contra iniquiorem famam sparsam per Sinas cum calumnià PP. Societatis Iesu et detrimento missionis communicata missionariis in Imperio Sinensi anno* MDCCXVII.: mature ac diligenter, ut moris est, examinari mandavimus in Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum ab hac S. Sede specialiter deputatorum, a qua decretum prodiit iussu nostro roboratum, cuius exemplum ad fraternitatem tuam cum praesentibus literis perferetur. Ex eo agnosces aequissimo, quod de eodem iniurioso, maligno ac seditioso libello tulisti, iudicio pontificiae auctoritatis nostrae pondus accessisse. Quod dum gratum tibi fore non ambigimus, vigilantiam tuam meritis in Domino laudibus prosequimur, ac ut ad cohibendam similia attentantium audaciam, christianae illi, quae inter Evangelii praecones maxime convenit, paci summopere adversam, strenue ac sedulo incumbat, hortamur enixe fraternitatem tuam, cui apostolicam interim benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. februarii MDCCXX., pontif. nostri anno XX.

LXI.

Erigit P. in provincias binas vicarias Bahiae ac fluvii Ianuarii in Brasilià Ordinis fratrum Carmelitarum antiquae Observantiae (1).

CLEMENS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati nostrae nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut, inter multiplices apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio complectamur, per quam personae sub suavi religionis iugo divini Numinis obsequiis insistentes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Erectio huiusmodi vicariarum

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarii provinciales et definitores actuales, aliique religiosi definitorii, tam proprio quam reliquorum fratrum vicariarum, unius scilicet Bahiae et Pernambuci, alterius vero fluvii Ianuarii respective nuncupatorum, Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo antiquae Observantiae etiam nuncupati, in Brasilià, nomine, quod alias, nempe anno MDCLXXXV. praedictae vicariae a quondam Angelo Monsignano, dum vixit, dicti Ordinis priore generali divisae, et anno MDCLXXXVI. auctoritate apostolicà respective erectae fuerunt, ac postmodum eodem anno MDCLXXXVI. pro eis certa particularis regiminis forma, quae ab altero priore generali praedicti Angeli successore, stabilita, et eàdem auctoritate apostolicà anno MDCLXXXVII. confirmata reperitur, stabilita fuit, prout in litteris apostolicis in simili formà Brevis desuper expeditis, quas praesentibus pro insertis (2) haberi volumus, uberius continetur.

Causae eas erigendi in provincias.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatae vicariae, sic erectae et institutae ac divisae, congruo numero religiosorum et conventuum, ad effectum illas erigendi in duas separatas provincias, refertae sint, in primodictà quidem Bahiae et Pernambuci septem conventus, comprehensis reformatis, aliàs in litteris supradictis divisionis expressis, ultra hospitia et domos missionum, in secundodictà vero vicarià, videlicet fluvii Ianuarii, sex alii conventus in eisdem litteris divisionis specificati numerentur; ac proinde dicti exponentes, attento praenarrato conventuum et religiosorum numero, pro meliori et salubriori regimine et regulari observantià et disciplinà augendà, dictas binas vicarias in duas provincias formales separatas et de per se stantes ad instar aliarum provinciarum eiusdem Ordinis erigi posse, illisque sic erectis omnia et singula privilegia, gratias et praeeminentias ac indulta, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae de iure, usu et consuetudine, iuxta dicti Ordinis

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Edit. Main. legit *in simili formà Brevis, quas praesentibus desuper expeditis.*

constitutiones et statuta dictâ auctoritate confirmata, fruuntur et gaudent, per nos concedi plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio praefatarum vicariarum in duas distinctas provincias, salvis privilegiis Reformatorum.

§ 3. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re benigne annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti etiam filii moderni prioris generalis dicti Ordinis rationesque deductas mature perpenderunt, consilio, supradictas vicarias in duas provincias formales ad instar aliarum provinciarum eiusdem Ordinis, salvis tamen privilegiis eorumdem conventuum reformatorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iuxta petita, erigimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventuum, vicariarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx. aprilis MDCCXX., pontificatus nostri anno xx.

LXII.

De congregato Synodo Zamosciae disponit et plurimum gratulatur cum congregatis Episcopis Ruthenis (1).

---

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad princ. et alios. Huiusmodi Synodus acta et decreta vide in Collectione Lacensi vol. II., p. 3 et sequent. S. P. iam ab anno MDCCXVI. commiserat Nuntio Poloniae Synodum regere et nomine S. Ap. praesidere seq. lit. ap. deprromp. ex Reg. Vat. ep. eodem ad princ.

Venerabili fratri Archiepiscopo Edessen., nostro et Apostolicae Sedis in regno Poloniae Nuntio

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus, modernus Metropolita Russiae una cum venerabilibus etiam fratribus Episcopis Ruthenis unitis Synodum super rebus ad eius metropolitanam aliasque Ecclesias Ruthenas spectantibus propediem celebrare intendat: nos Synodum huiusmodi recte et feliciter ad Dei gloriam dictarumque ecclesiarum utilitatem celebrari cupientes, te, de cuius prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in praedicta Synodo nostro et Sedis Apostolicae nomine Praesidentem cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, honoribus et oneribus similibus Praesidentibus competentibus et aliis solitis et consuetis apostolica auctoritate tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus; teque in Domino hortamur et monemus, ut Synodum huiusmodi fideliter regere ac in illa omnia, quae ad prosperum ecclesiarum praedictarum regimen et gubernium pertinent, decerni, statui et ordinari cures et facias, ita tamen, ut ea, quae in eadem Synodo decreta, statuta et ordinata forent, in suspenso remaneant illorumque exsequutio, donec a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita, examinata et approbata non fuerint, differri debeat: mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae praedictis Metropolitae et Episcopis ac dilectis filiis [e] clero in praedicta Synodo congrega-

Venerabilibus fratribus Leoni Kiszka, totius Russiae Metropolitano, ac universis Ruthenis Episcopis Ritus Graeci in Provinciali Synodo Zamosciae congregatis.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabiles fratres salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Verbis exprimere non satis possumus gaudium plane intimum et singulare, quo paternum cor nostrum perfusum fuit, ubi a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum negotiis Propagandae Fidei praepositorum nuper accepimus, fraternitates vestras ad restituendam in istis Ruthenae Nationis Dioecesibus veram pietatem ac ecclesiasticam disciplinam ferventi studio incumbere, eoque potissimum consilio ad istam provincialem Synodum convenisse, ut scilicet opportunas rationes ac salubriora remedia constitueretis, per quae errores temporum calamitate hominumque fraude invecti extirparentur, ac regimini vestro commissi sacerdotes et populi ad sincerum cultum orthodoxae religionis, sine qua placere Deo nequaquam possumus, tum etiam ad illibatam ac integram Ritus Catholici professionem revocarentur. Quocirca post actas coelesti pastorum principi humiles gratias, quod fraternitatibus vestris piam hanc gradusque vestri amplitudine et sanctitate maxime dignam mentem iniecerit, pontificii muneris nostri esse ducimus, vobis effusam meritamque tribuere laudem et quamvis ultro bene currentibus paternae vocis nostrae calcar admovere, ut in suscepto religiosissimo proposito constanter pergatis, ac in eo praesertim strenuam sedulamque ponatis operam, ut graves illi abusus, qui in sacrorum ministrorum electione, non sine magno animarum detrimento, quemadmodum probe nostis, irrepserunt, ex vestris Dioecesibus eliminentur quam primum ac penitus e medio tollantur.

§ 2. Quae quidem vota ac desideria nostra fusius vobis explicabit venerabilis frater Hieronymus Archiepiscopus Edessae, noster et Apostolicae Sedis in regno Poloniae Nuntius, quem nos, illustre vobis praebituri argumentum existimationis ac amoris, quo Ritus Graeci professores et Ruthenam in primis nationem omni tempore complexi sumus et adhuc complectimur, Synodo vestrae coram adesse, eique nostro nomine praesidere voluimus, ut spiritualibus vestris necessitatibus auctoritate nostra praesens opem ferre ac ea omnia sedulo promovere possit, quae communi vestro bono, animarum saluti, divinaeque gloriae incremento utilia ac opportuna fore videbuntur.

§ 3. Vestrum itaque erit eumdem praesulem iis honoris et reverentiae significationibus excipere, quae praestantibus illius virtutum ornamentis ac in primis conspicuo, quo a nobis insignitus est, muneri plane debentur; tum etiam iis, quae ipse nostro nomine vobis exponet, integram adhibere fidem ac demum illius consiliis et monitis pronas facilesque praebere aures, cum pro explorato habere debeatis, ea non aliunde proficisci, quam a paterna ac sane intima, qua vos in Domino prosequimur, caritate; nec aliud certe spectare, quam communem vestram totiusque Ruthenae Nationis nobis commendatissimae utilitatem. Haec autem omnia pro prospecta virtute zeloque vestro ita praestanda a vobis fore confidimus, ut uberiora in dies ab hac Sancta Sede laudum praeconia ac tandem a Redemptore nostro amplissimam illam, quam bonis fidelibusque pastoribus pollicitus est, retributionem consequi mereamini. Eum interim nos enixe rogare non desinemus, ut sit in medio vestrum, quatenus ad illius iustitiam faciendam vestra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera; et fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. iulii MDCCXX., pontificatus nostri anno XX. (1).

---

tis aliisque, ad quos pertinet, ut te in eiusdem Synodi nostro et praedictae Sedis nomine Praesidentem reverenter suscipiant, tibique in omnibus ad Praesidentis officium pertinentibus pareant, obediant et assistant, tuaque salubria monita et iussa humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ecclesiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentium pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. martii MDCCXVI., pontificatus nostri anno XVI.

(1) Acta confirmavit Ben. XIII. const. *Apostolatus officium*, quam infra suo loco adnotabimus.

LXIII.

Extendit numerum octodecim magistrorum pro provinciâ Peruvianâ Ordinis eremitarum Sancti Augustini (1).

CLEMENS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius extensionis et preces provinciae pro numero quinquaginta magistrorum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Peruvianae Ordinis eremitarum Sancti Augustini, quod, cum in eâdem provinciâ numerus religiosorum auctus sit, illiusque conventus in statu satis diviti reperiantur, necnon in ultimo examine peracto religiosi habiles et capaces ad consequendum magisterii in sacrâ theologiâ gradum usque ad numerum quinquaginta, qui tamen laureâ emeritâ donari nequiverunt, ex quo in provinciâ huiusmodi octodecim magistri in eâdem sacrâ theologiâ numerantur, reperti fuerint; ipsi exponentes, quo religiosis praedictis novi ad studia et virtutes stimuli addantur, numerum magistrorum huiusmodi ad quinquaginta a nobis augeri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio numeri octodecim magistrorum ad viginti quatuor tantum.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisve ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, qui relationem dilectorum pariter filiorum modernorum vicarii generalis et procuratoris generalis dicti Ordinis super praemissis eisdem Cardinalibus factam viderunt et iura deducta perpenderunt, consilio, octodecim magistrorum praedictae provinciae numerum pro nunc ad viginti quatuor, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus, et in reliquis votum futuri capituli generalis exquiri mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. octobris MDCCXX., pontificatus nostri anno XX.

LXIV.

Ad collegium missionum erigendum sub dependentia S. Cong. de P. F. concedit ecclesiam vulgo Delle Fornaci *congregationi Fratrum Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum Excalceatorum* (2).

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Const. edit. MDCCXII., die XXVI. februarii, pontif. XII. auctus fuit numerus magistrorum in provinciâ Limanâ.

(2) Ex App. Bull. de Prop. Fide vol. II., pag. 8, collat. etc.

CLEMENS PAPA XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ecclesiae catholicae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ad ea, per quae collegia et alia regularia loca ad religionis et divini cultus incrementum, fideique catholicae conservationem et propagationem ubique ac praesertim in almâ Urbe nostra erigi et institui valeant, propensis studiis intendimus, ac pastoralis officii nostri partes desuper interponimus sicut omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis ad omnipotentis Dei gloriam et dominici gregis utilitatem animarumque salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Historiam narrat ecclesiae *Delle Fornaci*. § 1. Alias siquidem nobis pro parte dilecti filii procuratoris generalis fratrum Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniarum exposito quod, cum dudum, nempe anno MDCLXXXIII. quondam Iosephus Faraldi presbyter ex dioecesi S. Severinae oriundus varia christianae pietatis et devotionis opera in loco, ubi vulgariter dicitur *Delle Fornaci, Monte della Creta* prope et extra moenia Urbis praedictae ac portam Equitum levis armaturae nuncupatam, intra limites scilicet parochialis Ecclesiae S. Angeli ad Fornaces, quae basilicae S. Petri in Vaticano de eâdem Urbe filialis existit, posito, de licentiâ bon. mem. Gasparis, dum viveret, S. R. E. Cardinalis Carpinei nuncupati, tunc temporis in Urbe praedictâ eiusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis, festivis diebus exercere ac spirituales ad christifideles, quibus ipse Iosephus a sacris confessionibus erat, sermones habere primum coepisset, pluribusque aliis utriusque sexus christifidelibus illuc postmodum confluentibus, parvam ex ligno cappellam, in qua imaginem B. Mariae Virginis Immaculatae sub titulo seu invocatione Deprecatricis gratiarum collocaverat, eiusdem Gasparis Cardinalis Vicarii auctoritate erexisset, inde vero, auctâ populi devotione et frequentiâ, a fel. rec. Alexandro Papa VIII. praedecessore nostro humiliter petiisset, quatenus sibi ampliorem ibidem ecclesiam ex lapide construendi, ad quod situm necessarium a legitimis dominis ex eorumdem christifidelium eleemosynis coemerat, potestatem faceret; reque eiusmodi per ipsum Alexandrum praedecessorem praedicto Gaspari Cardinali Vicario commissâ, idem Gaspar Cardinalis Vicarius, auditis prius capitulo et tunc existentibus canonicis supradictae basilicae S. Petri super omni eorum praetenso iure et interesse, factâque memorato Alexandro praedecessori totius rei relatione, de mandato eiusdem Alexandri praedecessoris vivae eius vocis oraculo accepto, praedicto Iosepho istiusmodi ecclesiam construendi, sine tamen iurium parochialium dictae parochialis ecclesiae S. Angeli praeiudicio, et eâ adiectâ lege, ut ecclesia sic construenda Sedi Apostolicae ac pro tempore existenti in eâdem Urbe Vicario in spiritualibus generali in perpetuum subiecta foret, amplam facultatem et licentiam concesserat et alias, prout in decreto per eumdem Gasparem Cardinalem Vicarium die v. octobris MDCXCI. desuper edito, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicebatur contineri; atque in vim eiusmodi facultatis fabrica dictae ecclesiae coepta, prosequuta et ad eum in quo conspiciebatur statum producta fuerat: et in eadem expositione subiuncto, quod praedicta congregatio Hispaniarum, quae sub unius ministri generalis nobis ac dictae Sedi duntaxat subiecti obedientiâ et gubernio regitur, non mediocres, benedicente Domino, progressus fecerat, ac nedum in regnis Hispaniarum et Italiâ, sed etiam in Austriâ, Hungariâ et Bohemiâ, Transylvaniâ, Poloniâ, Lythuaniâ, ac novissime in Portugalliae regnis feliciter propagata fuerat; fratres vero eiusdem congregationis aliquod Collegium seu seminarium, quod omnium earum nationum, in quibus illa iam propagata reperiebatur, eamque in posterum propagari contigeret, ipsius congregationis religiosis commune foret, in Urbe praedicta habere plurimum desiderabant, ut delectiores ex eis iuvenes a pro tempore existente ministro generali dictae congregationis illic collocandi, eo magis habiles et idonei redderentur ad obeundas missiones, quas iidem fratres tam in regionibus septentrionalibus, **Petitio procuratoris generalis pro seminario missionum.** in quibus conventus habent haereticis aut infidelibus circumdatos seu conterminos, quam ubi in turcicas et scythicas aliasque eorumdem infidelium partes ad opus redemptionis captivorum pergebant, facere consueverant: ac proinde pro parte ipsius procuratoris generalis nobis supplicato, ut praedictam ecclesiam B. Mariae Virginis cum illius rebus, bonis et oneribus uni-

versis fratribus dictae congregationis ad effectum inibi erigendi Collegium seu seminarium apostolicum missionariorum huiusmodi sub conditionibus nobis benevisis et huic rei magis accommodatis, concedere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Vicarii petitioni consensus iuxta modum.

§ 2. Nos supplicem libellum nobis desuper porrectum dilecto filio nostro Ioanni Dominico S. R. E. praedictae Cardinali Paracciano nuncupato nostro in Urbe et districtu praedictis Vicario in spiritualibus generali, cuius consensum idem procurator generalis ad haec quoque requisiverat, remisimus, qui provide considerans per eiusmodi concessionem non modo statui, perfectioni et manutentioni fabricae dictae ecclesiae B. Mariae Virginis, quae adhuc imperfecta reperitur, vixque alias, praesertim si eleemosynae deessent, absolvi posset ob graves quae ad id exiguntur expensae, quibus tenues illius redditus nusquam pares esse possunt, provisum iri, sed et Sedem praedictam copiam et commoditatem religiosorum ad sacras missiones habilium, quos, quoties et quocumque opus fuerit eive libuerit, ad easdem missiones amandare poterit, in eâdem Urbe habituram fore, ac demum maximam animabus circumvicinorum vinitorum, fornariorum aliorumque accolarum, utpote qui in spiritualibus eorum indigentiis et sacramentorum administratione a dictis fratribus tam in vitâ quam in morte, attentâ praesertim eorum a dictâ parochiali ecclesia distantiâ, multipliciter iuvari poterunt, proventuram esse utilitatem; post rem totam mature diligenterque discussam ac nobis relatam, memoratae concessioni consensum suum praestitit, sub diversis tamen per eosdem fratres adimplendis conditionibus vulgari idiomate expressis, tenoris qui sequitur, videlicet:

I. Obligare ed ipotecare i beni della sudetta congregazione, particolarmente dei conventi di Roma, Livorno, Milano ed Alessandria non solo ad una esattissima e fedelissima amministrazione delle rendite e limosine spettanti alla detta chiesa, ma anche d'impiegarle nella fabbrica della medesima e del Collegio.

II. Che questo Collegio debba esser seminario apostolico di missionari, e sì quello come questi debbano in tutto e per tutto esser soggetti agli ordini della S. Congregazione de Propaganda Fide, conforme lo sono gli altri Collegi de' regolari, cioè quello di S. Pietro in Montorio de' padri Minori Osservanti Riformati di S. Francesco, di S. Bartolomeo all'Isola de' religiosi Minori Osservanti pure di S. Francesco, ed altri: e che debbano dalla medesima S. Congregazione ricever le regole che gli saranno prescritte, ed altre determinazioni che stimerà bene la stessa in qualunque tempo di stabilire, tanto concernenti il numero e qualità de' religiosi, ministri ed alunni del Collegio, quanto il buon regolamento anche temporale di questo ed altro; non essendo luogo a dubitarsi, che la medesima S. Congregazione, il di cui pio istituto tende unicamente alla maggior gloria di Dio ed alla propagazione della vera fede, non sia per coadiuvare in tutto la nostra intenzione colla sua solita vigilanza e buona direzione.

III. Che nella cessione da farsi, come sopra, della detta chiesa e suoi annessi e connessi si debbano anche assegnare ai medesimi padri tutti i nomi de' debitori e creditori della stessa chiesa, a' quali dovranno soddisfare, siccome tutti gli altri pesi annessi alla medesima chiesa.

IV. Inoltre, che tutti gli argenti, gioie, libri e supellettili sagre e non sagre spettanti alla detta chiesa della Madonna delle Fornaci, delle quali già se n'è fatto l'inventario, si debbano consegnare per istromento pubblico ai detti padri, ad effetto di tenerle e conservarle; cioè i libri per la libreria del nuovo Collegio, e le altre cose per uso ed ornamento della stessa chiesa e della sudetta santa Immagine, ed in quelle, dove sono le armi de' benefattori, non debbano levarle, ma lasciarle e raccomandare al Signore nelle loro orazioni i detti e tutti gli altri benefattori della medesima chiesa.

V. Che a D. Angelo Finita sacerdote della diocesi di Sabina, odierno custode della detta nuova chiesa, molto benemerito della stessa per la sua fedeltà ed assistenza sperimentata nel corso di ventiquattro anni, debba darsi la solita provisione di scudi cinque il mese, che attualmente gode, sintanto non sarà provvisto di benefizî, cappellanie, o altro assegnamento uniforme alla detta provvisione: e per conto delle pretensioni d'altri interessi, che ha il detto D. Angelo colla medesima chiesa per le sue provvisioni e salarii degli anni passati, debba starsi a quel, che sarà risoluto da noi, in caso che prima della spedizione del Breve non avessimo risoluto questo punto.

vi. E finalmente, che le condizioni e patti suddetti debbano inscriversi in una lapide da collocarsi in luogo visibile, affinchè possa conservarsene in perpetuo la memoria: e che di più s'inseriscano nel Breve, che si spedirà, medianti le premure, che se ne faranno appresso la Santità di nostro Signore dalla sopranominata S. Congregazione de Propaganda Fide per conferma e perpetuo stabilimento delle cose sudette.

Dato in Roma dalla nostra solita residenza questo dì xxiv. maggio MDCCXX.

G. D. Cardinal Vicario.

Nicola Antonio Canonico Cuggiò Segret.

Concessionem confirmat.

§ 3. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis denuo exponi fecit, ipse etiam consensum a dilectis filiis capitulo et Canonicis praedictae basilicae S. Petri sine eiusmodi iurium parochialium praeiudicio desuper obtinuerit, cupiatque propterea praedictae congregationi in praemissis opportune a nobis provideri, et ut infra indulgeri, nos igitur eiusdem procuratoris generalis votis in hac re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auditâ et approbatâ relatione per ipsum Ioannem Dominicum Cardinalem Vicarium nobis desuper factâ, supradictam ecclesiam B. Mariae Virginis cum universâ illius supellectili sacrâ et profanâ, argentis, gemmis ac omnibus et singulis bonis, fructibus, reditibus, proventibus, iuribus et pertinentiis, nec non oneribus, annexisque et connexis quibuscumque fratribus dictae congregationis Hispaniarum, ad effectum inibi Collegium seu seminarium apostolicum missionariorum eiusmodi erigendi et instituendi, ita ut ipsi procuratori generali liceat per se vel per alium seu alios memoratae congregationis nomine supellectilem, argenta et gemmas praedictas recipere, ac Ecclesiae, bonorum, fructuum, redituum, proventuum, iurium, pertinentiarum et annexorum huiusmodi veram, realem, actualem ac corporalem possessionem seu quasi possessionem propriâ auctoritate libere apprehendere et apprehensam retinere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium absque dictorum iurium parochialium praeiudicio perpetuo concedimus et applicamus, salvis tamen ac firmis remanentibus omnibus et singulis praeinsertis conditionibus a praedicto Ioanne Dominico Cardinale Vicario praescriptis. Nos enim illas, ac omnia et singula in eis contenta et expressa eâdem auctoritate harum serie itidem perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, atque illa per fratres dictae congregationis exacte observari et adimpleri praecipimus, volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras etiam ex eo, quod quilibet alii in praemissis, seu eorum aliqui forsan ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipse praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis iuridica, pia et privilegiata causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine concesso, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, seu ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari

et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de perpetuis applicationibus quorumcumque bonorum et fructuum ecclesiasticorum committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero annuo valore secundum communem aestimationem, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. novembris MDCCXX., pontificatus nostri anno XX.

LXV.

Magnificatâ antiquâ Maronitarum fide, eos ad concordiam instaurandam invitat, et ad hoc facilius obtinendum ad eos Ablegatum suum mittit Gabrielem Eva monachum Ordinis S. Antonii eiusdem ritus (1).

Venerabilibus fratribus Petro Iacobo Patriarchae, Archiepiscopis et Episcopis, nec non dilectis filiis Clero saeculari et regulari, Principibus, ac universis Christifidelibus nationis Maronitarum ad Montem Libanum.

CLEMENS PP. XI.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Etsi quotquot sunt in universo terrarum orbe nationes nulla locorum distantia a pontificia solicitudine disiungat, ac nos pro apostolici muneris nostri debito ea assidue meditemur consilia, per quae cunctorum christifidelium tranquillo et prospero statui animarunque saluti opportune consulatur; propensiori tamen quodam paternae caritatis affectu respicimus, omnique felicitate florere maiorem in modum optamus nationem vestram, quae pluribus sane rationibus commendatissima nobis est; sed eâ in primis, quod cum perenni sui nominis gloriâ veram ac solidam pietatem semper egregie coluerit, et iuxta monitum Apostoli nunquam in fide fluctuans, nec circumferri se sinens omni vento doctrinae in nequitiâ hominum, antiquissimas atque sanctissimas catholicae Ecclesiae leges et dogmata a maioribus tradita servare perpetuo studuerit incorrupta, ac in media barbarorum tyrannide constantem erga sacrosanctam hanc Romanam Ecclesiam, ceterarum omnium ecclesiarum matrem et magistram, atque Romanos Pontifices praedecessores nostros devotionem et studium plane eximium omni tempore professa fuerit.

§ 2. Hinc porro, venerabiles Fratres, dilecti filii, satis intelligetis quam gravi ac prorsus acerbâ animi molestiâ correpti fuerimus, ubi non ita pridem ex Congregatione venn. fratrum nostrorum Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum scissuras, contentiones et dissidia inter vos excitata, ac, nisi cito extinguantur, in magnam universae nationis et orthodoxae potissimum religionis perniciem eruptura, cognovimus. Pastoralis itaque officii nostri, tum etiam praecipuae, qua vos in Domino prosequimur, dilectionis esse duximus vos hortari ac obtestari, quemadmodum in praesens

(1) Ex App. Bull. P. de Prop. Fide pag. 176, collat. etc.

quo maiori possumus paterni cordis nostri fervore vos hortamur ac obtestamur ut iis quae inimicus homo superseminavit zizaniis e medio sublatis, pacis inire consilia et pristinam inter vos concordiam ac sinceram animorum et voluntatum consensionem redintegrare atque fovere velitis, omnique adhibito studio curetis, ut offensioni et scandalo, quo ceterae nationes ac ipsimet infideles ex eiusmodi dissidiis vestris facile commoti fuerint, quin etiam gravissimis detrimentis, quae inde rationibus vestris afferri possent, quamprimum nullâque interiectâ morâ occurratur.

§ 3. Hunc autem in scopum ad vos ablegandum existimavimus dilectum filium religiosum virum Gabrielem Eva monachum Congregationis Reformatae Antonii Abbatis expresse professum, zelo, pietate et prudentia instructum, morum ac institutorum nationis vestrae probe conscium, nobisque apprime acceptum et commendatum, qui apostolicam nostram benedictionem vobis deferet, et quam impense cupiamus, ut in domo Domini ambuletis cum consensu, diserte vobis ac luculenter exponet.

§ 4. Vestrae igitur humanitatis erit eumdem religiosum virum Ablegatum nostrum congruis honoris ac benevolentiae significationibus excipere, eiusque verbis pronas aures ac plenam adhibere fidem; dum Nos interim Deum O. M., a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera, humiliter obsecrare non desinemus, ut effundat super vos misericordiam suam, mentesque vestras caelestis suae gratiae donis illustret, quatenus ad eius iustitiam faciendam publicamque tranquillitatem vobis tantopere necessariam conciliandam, vestra procedant eloquia nec non cogitationes et opera dirigantur. Id equidem nos de veteri perspectâque pietate vestra nobis pollicemur: id ipsum de singulari studio, quo divinae gloriae cultum publicumque nationis vestrae bonum promovere consuevistis, haud dubie expectandum arbitramur; eâque freti spe ex visceribus paternae nostrae caritatis depromptam apostolicam benedictionem vobis, venn. fratres, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. ianuarii MDCCXXI. pontificatus nostri anno XXI.

LXVI.

Eidem Ablegato facultatem impertitur absolvendi a censuris quas contraxerant Maronitae inobedientes decreto anni MDCCXIII.*, et ab irregularitate quam clerici forte incurrerant ob spretum censurarum, sanatis etiam pro hac vice absolutionibus, quas Patriarcha auctoritate suâ, vel missionarii ex consuetis facultatibus fortasse concedere putaverunt* (1).

Dilecto filio Gabrieli Eva, Abbati S. Maurae Congregationis Reformatae Ordinis S. Antonii Abbatis.

CLEMENS PP. XI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Cum sicut accepimus, occasione decreti a Congregatione vener. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum die VIII. maii MDCCXIII. emanati et per nos approbati super confirmationem sententiae pro reintegratione ven. fratris Petri Iacobi Patriarchae Maronitarum ad eiusmodi patriarchatum, a quo per aliquot eiusdem nationis Episcopos aliosque eis adhaerentes depositus fuerat, a dilecto filio Laurentio a S. Laurentio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum professore tanquam delegato et commissario apostolico editae, nonnulli fortasse christifideles illarum partium censuris et poenis ecclesiasticis in memorato decreto adversus inobedientes inflictis et contentis, quarum absolutio nobis et huic S. Sedi specialiter reservata fuerat, irretiti remanserint; nos eiusdem nationis paci dictorumque christifidelium conscientiae tranquillitati paternâ caritate consulere volentes, de praedictae Congregationis Cardinalium consilio, tibi quem ad eumdem Petrum Iacobum Patriarcham ac ven. etiam fratres Archiepiscopos, Episcopos necnon dilectos filios clerum saecularem et regularem, principes ac christifideles dictae nationis inter se dissidentes, ut eos nostro nomine ad christianae concordiae consilia, iuxta instructionem tibi a praedictis Cardinalibus datam, adhortari atque adducere studeas, ablegandum duximus; omnes

(1) Ex App. B. P. de P. F. vol. I., pag. 479, coll. cum Reg. Arch. Brev.

et singulos christifideles cuiuscumque gradus et conditionis extiterint, tam saeculares quam cuiusvis Ordinis instituti regulares in illis partibus commorantes, qui censuras et poenas ecclesiasticas praedictas quomodolibet incurrerunt, a censuris et poenis huiusmodi, impositâ eis pro praemissis arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, et aliis quae de iure fuerint iniungenda iniunctis, in utroque foro, etiam secreto, et absque ulla solemnitate, absolvendi et totaliter liberandi, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittendi et condonandi, ac cum illis qui clerici seu etiam presbyteri fuerint super irregularitate per eos, quia censuris huiusmodi propter eadem praemissa innodati missas seu alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu alias in suis ordinibus ministrarunt, quovis modo contractâ, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispensandi; ipsosque et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, ceteroquin tamen canonice per eos obtenta, aut alias in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, et adversus eadem praemissa rehabilitandi, restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, quamcumque necessariam et opportunam facultatem auctoritate apostolicâ tenore praesentium tribuimus et impertimur: necnon absolutiones et dispensationes, quas ab eodem Petro Iacobo Patriarchâ ordinariâ suâ auctoritate, seu a dilectis quoque filiis missionariis earumdem partium sub obtentu facultatum generalium sibi ab eâdem Sede attributarum super praemissis, hactenus ac donec similes literas eidem Petro Iacobo Patriarchae reddideris, concedi forsan contigerit, auctoritate praedictâ harum serie sanamus et convalidamus, ac necessaria iurisdictionis et potestatis, aliosque, si qui desuper intervenerint, defectus supplemus. Ita tamen, ut dictus Petrus Iacobus Patriarcha in posterum a similibus abstineat, ipsisque missionariis denuncies et inhibeas, ne deinceps a memoratis censuris et poenis, utpote nobis et Sedi praedictae specialiter, sicut praefertur, reservatis, absolvere, seu cum dictis christifidelibus in praemissis dispensare audeant vel praesumant. Non obstantibus praedictis, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die XII. martii MDCCXXI. Pontificatus nostri anno XXI.



INNOCENTIUS XIII.

CONSTITUTIO I.

Omnia generalia et specialia privilegia Terrae sanctae a suis praedecessoribus concessa confirmat (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Piis Christi fidelium votis, ex quibus sanctorum locorum venerationem et animarum salutem provenire conspicimus libenter annuimus, et illa, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus apostolicis confovemus. Cum itaque sicut dilectus filius Emanuel Del Rio frater expresse professus, ac lector iubilatus et custos provinciae burgen. ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, necnon commissarius generalis in romana curia totius familiae Terrae sanctae, nobis nuper exponi fecit, ipse ad eiusdem Terrae sanctae subsidium, eorumdemque fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium, sacraque loca venerantium subventionem, necnon ad spiritualem catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis causa peregrinantium consolationem et profectum, omnia et singula, gratis, privilegia et indulgentias huc usque sacris eiusdem Terrae sanctae locis apostolica auctoritate concessa et confirmata, per nos eadem auctoritate etiam confirmari et approbari plurimum desideret. Nos desiderio huiusmodi annuere, ipsumque Emanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, caeterasque gratias spirituales et temporales eisdem locis, et illa visitantibus, necnon dicti ordinis guardiano et fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel specie, vel alias quomodolibet concessa, quatenus sint in usu, et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque canobibus, constitutionibus apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur, apostolicâ auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, necnon omnibus et singulis eorumdem fratrum interpretibus nunc Ierosolymis, Bethlehem et Nazareth existentibus et viventibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. ianuarii MDCCXXI., pontificatus nostri anno I.

II.

Episcopatus Fogarasiensis graeci ritus erectionem in Transilvania a Clemente XI. decretam confirmat; et, licet Clemens de re literas apostolicas obitu praeveniente expedire nequiverit, omnia tamen effectum suum sortiri iubet ab ipsa decreti die (2).

INNOCENTIUS EPISCOPUS
servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Rationi congruit et convenit honestati, ut ea quae de Romani Pontificis vigili prudentia et benignitatis gratia processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apo-

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. et ex B. P. Terrae S.

(2) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 3.

stolicae desuper confectae non fuerint, suum tamen debite sortiantur effectum.

Erectionis historia.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa XI. praedecessor noster, cui coelestis paterfamilias suas dederat pascere oves in terris, ex onerosa sui muneris huiusmodi curâ assidue levabat in circuitu sollicitae mentis suae oculos, ut, si dominicum gregem, divinâ sic disponente bonitate, augeri prospiciebat in dies, ut grex ipse sic auctus commodius ad externae amoenitatis pascua dirigi valeret, novos ei pastores iuxta eiusdem gregis indigentiam constituere satagebat, ad hoc quoque exequendum libentius intendebat, quoties laudabilis christianorum principum sibi in custodiendo augendoque grege ipso opitulantium, pietas id postulabat, gaudebatque in Domino, quod suae providentiae implemento, eorum quoque regalis munificentiae decus, et bonorum operum gloria rutilaret; proptereaque attendens, quod gratia, benedicente Domino, nonnulla millia Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum, aliorumque, qui graecum ritum sequebantur et per universam Transylvaniae provinciam commorabantur, ad Sanctae Romanae Ecclesiae gremium advolavissent, et, eâdem gratiâ coadiuvante, quamplures alii ex Graecis, Ruthenis, Valachis, Rascianis, aliisque praeactatis ad idem gremium in dies advolaturi operabuntur, et ut novus grex dominicus huiusmodi eorum propriam sedem propriumque haberent pastorem, qui oves huc illuc dispersas in aulam Domini congregat, easque in viam veritatis dirigendo ad caelestia pascua revocari, aliisque accedentibus causis in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, eiusdem S. R. E. Cardinalium rebus consistorialibus praepositorum, de quorum numero nos quoque tunc eramus, perpensis; ad pias et enixas christianissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum, et Romanorum Regis in Imperatorem electi preces, sub dato videlicet tertio nonas februarii pontificatus sui anno XXI., de eorumdem praedictae S. R. E. Cardinalium consilio, ecclesias et personas tam saeculares, quam ecclesiasticas ritus graeci praefati, tam in oppido Fogarasiensi in dicta provincia, quam in locis, castris, villis, territoriis, districtibus, aliisque annexis, atque adiacentibus locis in oppido provinciâque praedictis existentes, a quacumque aliâ ordinariâ iurisdictione divisit et separavit, illaque omnia et clerum ac populum ritus huiusmodi, quoad legem dioecesanam, ab Episcopi latini Transylvaniensium superioritate, iurisdictione, potestate, subiectione, visitatione et correctione, si qua in eos exercere consueverat, prorsus eximit et liberavit, ac oppidum Fogarasiense praeactatum in civitatem erexit, illiusque incolas civium nomine, titulo, et honore decoravit, illudque et in eo ecclesiam divo Nicolao dicatam in cathedralem ritus graeci praefati, sub invocatione eiusdem divi Nicolai, pro uno Episcopo ritus graeci redigi faceret, nec non episcopalem iurisdictionem, auctoritatem in omnes et singulos Graecos, Ruthenos, Valachos, et Rascianos praefatos, tunc et pro tempore in universâ provinciâ praeactatâ commorantes, et commoraturos exercere, omniaque et singula, quae iurisdictionis, quaeque ordinis et cuiuslibet muneris episcopalis erant, et quae alii Episcopi graeci ritus in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus facere poterant, et deberent facere, libere et licite posset et debeat, ac in eadem ecclesia sic erecta episcopalem dignitatem eiusdem graeci ritus, cum sede episcopali et capitulari, aliisque cathedralibus insigniis, de simili consilio, apostolica auctoritate erexit et instituit, ac eidem sic erectae ecclesiae oppidum Fogarasiense praefatum sic in civitatem erectum pro civitate, et, si quae essent, alia oppida, castra, villae et territoria eidem oppido Fogarasiensi annexa et ab eo dependentia, pro dioecesi, nec non ecclesias eiusdem graeci ritus praedicti in civitate et dioecesi huiusmodi, omnesque et singulos Graecos, Ruthenos, Valachos, et Rascianos, qui in universâ provinciâ praeactatâ partibusque annexis praedictis pro tempore degissent, pro populo, de consilio et auctoritate paribus concessit et assignavit, civitatemque, dioecesim, clerum et populum huiusmodi Episcopo Fogarasiensi graeci ritus praeactati illiusque ordinariae iurisdictioni subiecit et mensae episcopali fogarasiensi, et pro illius dote tria millia et octoginta quatuor florenorum cum quindecim crucigeris monetae illarum partium, mille quingenta scuta monetae romanae circiter constituentium, ex pagis de Bessembach, necnon dominis Szamosnirar dicto episcopatui annexis, annuis reditibus fiscalibus a praeactato Carolo Hispaniarum et Romanorum Rege, in Imperatorem electo, donata et assignata similiter applicavit et appropriavit, et insuper eidem Carolo Hispaniarum et Romanorum Regi, in Imperatorem electo, uti

Transylvaniae principi, eiusque haeredibus et successoribus in eodem Transylvaniae principatu, ius patronatus, et praesentandi etiam a primaeva tunc, ut praeferebatur, facta electione infra tempus ad id a iure praefixum, eidem Clementi praedecessori, et Romano Pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad dictam Ecclesiam fogarasiensem in illius Episcopum graeci ritus praedicti, et pastorem ad praeservationem huiusmodi, et non alias praeficiendam reservavit et concessit, ac ius patronatus et praesentandi huiusmodi eidem Carolo Hispaniarum et Romanorum Regi, in Imperatorem electo, illiusque haeredibus et successoribus praedictis, ut Transylvaniae principibus ex meris fundatione et dotatione competere, illique per Sedem Apostolicam etiam consistorialiter quacumque ratione vel causa derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi praefati Caroli Hispaniarum et Romanorum Regis, in Imperatorem electi, et in dicto Transylvaniae principatu suorum haeredum et successorum praefatorum ad id expressus accederet assensus, et si aliter quovis modo derogaretur, derogationes huiusmodi cum inde sequutis nullius roboris, efficaciae et momenti futuras fore, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Apostolicae Nuncios, aliosve quoslibet aliter iudicandi et definiendi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigisset attentari, irritum decrevit et inane, non obstantibus Lateranensis Concilii novissime celebrati, ecclesiarum dismembrationes fieri prohibentis, ac eiusdem Clementis praedecessoris, et Cancellariae Apostolicae regulis de non tollendo iure quaesito, et quatenus opus esset de unionibus committendis ad partes, nec non de exprimendo vero annuo valore, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habitura foret de litteris tenoris illarum Clementis praedecessoris, si desuper confectae fuissent, pro expressis habens, illis aliàs in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat specialiter et expresse derogavit, ceterisque contrariis quibuscumque. Voluit autem idem Clemens praedecessor, quod tunc et quamprimum, emi deberet domus episcopalis, pro qua quatuor millium florenorum summa iam tum assignata reperiebatur.

§ 2. Quod, quia iuxta graeci ritus ordinationes in eàdem Ecclesià Fogarasiensi constitui debeant monachi et sacerdotes, si forte tunc non adessent graeci ritus praefati, qui loco forent canonicorum et capituli, ac insuper quod promovendi ad dictam ecclesiam Fogarasiensem, eorum tantum, qui graecis ritibus addicti erant, Episcopi vocari et esse deberent, ac in illos tantum iurisdictionem exercere valerent, declaravit, ac cum hoc tamen, quod servarentur decreta omnia Congregationis de Propaganda Fide quoad Graecos qui Latinis immixti vivunt saepius emanata, per suas autem litteras, si desuper confectae fuissent, iurisdictioni venerabilis fratris nostri, tunc sui, Georgii Martonsi Episcopi latini Transylvanensis eiusque successorum, ac alias iuxta decretum Congregationis eorumdem fructuum rebus consistorialibus praepositorum desuper emanatum praeiudicare non intendit. Hae autem de divisione, separatione, eximitione, liberatione, erectione, institutione, concessione, assignatione, applicatione, appropriatione, subiectione, reservatione, concessione, decreto, voluntate, derogatione, declaratione, aliisque praemissis Clementis praedecessoris litterae eius superveniente obitu confectae non fuerunt, valeant; quomodolibet haesitari volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod divisio, separatio, eximitio, liberatio, erectio, institutio, concessio, assignatio, applicatio, appropriatio, subiectio, reservatio, concessio, decretum, voluntas, derogatio, intentio, aliaque praemissa a die III. nonas februarii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis praedecessoris litterae sub dato eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur ad probandam plene divisionem, separationem, eximitionem, liberationem, erectionem, institutionem, concessionem, assignationem, applicationem, appropriationem, subiectionem, reservationem, concessionem, decretum, voluntatem, derogationem, declarationem, intentionem, et alia praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis veterius adminiculum requiratur.

§ 3. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti et voluntatis in-

fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apost. eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXXI., XV. kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

III.

Confirmat Regulas Collegii Missionum S. Mariae vulgo delle Fornaci *Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum; Collegium subiicit immediate ministro generali Ordinis sub protectione et dependentiâ S. Congregationis de P. F. et Procuratoris missionum eiusdem Ordinis* (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ad pastoralis dignitatis fastigium per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam evecti, illa, quae pro felici collegiorum seu seminariorum, in quibus religiosi ad christianam fidem catholicamque religionem propagandam mittendi opportune instituantur, regimine et directione provide constituta et ordinata esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus.

Institutionis collegii historia. § 1. Aliàs siquidem fel. record. Clemens Papa XI. praedecessor noster ecclesiam Beatae Mariae Virginis ad Fornaces prope et extra moenia Urbis, cum illius bonis, iuribus et oneribus universis, dilectis filiis fratribus Ordinis Ssmae Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatis nuncupatis congregationis Hispaniarum, ad effectum inibi Collegium seu seminarium apostolicum missionariorum pro religiosis dictae congregationis erigendi et instituendi, perpetuo concessit et assignavit, sub diversis tamen conditionibus a bon. mem. Ioanne Dominico S. R. E. Cardinali Paracciano nuncupato, dum vixit in eâdem Urbe et eius districtu Vicario in spiritualibus generali, iisdem fratribus praescriptis et ab eodem Clemente praedecessore approbatis: ac praecipue, quod tam Collegium seu seminarium sic erigendum, quam missionarii praedicti Congregationi venn. fratrum nostrorum, tunc suorum, eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositae, in omnibus et per omnia ad instar aliorum similium Collegiorum seu seminariorum missionariorum regularium, nempe in S. Petri in Monte Aureo Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, et in S. Bartholomaei in Insula de Urbe praedicta Ordinis eorumdem fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ etiam nuncupatorum, conventibus respective institutorum, subesse deberent, ac regulas pro salubri eorum directione ab eâdem Congregatione Cardinalium accipere tenerentur, et alias prout in eiusdem Clementis praedecessoris in simili formâ Brevis die VIII. novembris proxime praeteriti desuper expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Nunc vero, sicut memorati Cardinales nobis nuper exposuerunt, praedictae Regulae pro novo Collegio seu seminario eiusmodi eorum iussu confectae, ipsisque Cardinalibus, ut ab iis approbarentur, exhibitae fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Regulae pro novo Collegio seu seminario missionum, apud ecclesiam B. Mariae Virginis ad Fornaces, erigendo pro PP. Excalceatis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum.

I. Pater generalis intra spatium sex annorum teneatur erigere dictum Collegium seu seminarium, in quo sex saltem religiosi, ex quibus duo semper Itali, permanere et sustentari debeant, qui studiis et apostolicae disciplinae vacent, nec non lectores iuxta numerum inferius praefigendum. Qui quidem collegialium numerus opportuno tempore arbitrio p. generalis ac definitorii augeri valeat, ita tamen ut duodenarium non excedat. In dicti Collegii autem et seminarii aptiori loco apponatur inscriptio:

COLLEGIUM SEU SEMINARIUM
PRO MISSIONIBUS.

II. Cum missionariorum munus vere apostolicum sit, patris generalis conscientia

---

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide, vol. II., pag. 46, collat. etc.

gravetur, ut nonnisi fratres regulari disciplinâ, probitate morum et zelo gloriae Dei praeditos et ad animarum salutem eximiâ caritate accensos eligat, quique philosophiae ac theologiae studia laudabiliter expleverint: utque validius labores missionum sustinere possint, non minores sint viginti quatuor annis nec maiores triginta quinque, ac robustâ corporis valetudine gaudeant ad iugiter laborandum in vineâ Domini. Quo vero apostolicus missionum spiritus per totum praefatum Ordinem diffundatur, idem pater generalis ex omnibus provinciis et nationibus, quae eamdem Congregationem componunt, quaeque ipsi obediunt, novos studentes accersere curet, dummodo praedictis qualitatibus praediti sint: moneatque insuper provinciales, superiores, aliosque si opus fuerit religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant, et contra tales dissuadentes et male consulentes, poenas comminetur privationis activae et passivae vocis, aliasque arbitrio S. Congregationis.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem aut saltem octo dies, cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit descendens a Patre luminum; et deinde immediate in manibus patris generalis aut, eo absente, ipsius commissarii vel alterius ab eo deputandi, iuramentum iuxta infrascriptam formulam praestent, illudque ad S. Congregationem transmittatur. Formula iuramenti talis est:

Ego fr. N. professus in conventu provinciae N. Ordinis PP. Discalceatorum Ssmae Trinitatis Redemptionis Captivorum congregationis Hispaniarum iuro et promitto in manibus Reverentiae vestrae N., sive superioris delegati, me ab hoc Seminario non discessurum, neque discedere procuraturum mediate vel immediate, per me vel per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ a Reverentiâ vestrâ vel a vestris successoribus canonice intrantibus, et non aliàs. Insuper pro fidei catholicae propagandae causâ et salute infidelium procurandâ, ad eum locum, provinciam seu regnum sine aliquâ repugnantiâ aut exceptione iturum, ad quem seu quod a vestrâ Reverentiâ ero destinatus et missus. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Ego N. N. affirmo, ut supra, manu propriâ.

IV. In Seminario permaneant spatio trium annorum et non ultra, quo melius eorum vocatio probetur, et plene in studiis apostolicâque disciplinâ instituantur.

V. In omnibus collegiales subsint, prout etiam lectores, obedientiae patris praesidis, qui pro Seminario a patre generali Ordinis eligetur, cum participatione et approbatione S. Congregationis in scriptis faciendâ; donec in eodem Seminario commode subsistere et habitare possint tot religiosi, quot regula primitiva Ordinis praescribit pro conventu formali constituendo: tunc enim a capitulo generali quolibet triennio praeficietur pater superior localis, qui minister de more religionis nuncupabitur.

VI. Quousque Collegium seu seminarium erigendum, Deo favente, sufficiens habeat ex propriis reditibus fundamentum, teneatur pater generalis cum suo diffinitorio de corpore religionis et sufficienti provinciarum contributione providere de necessariis, tam circa expensas in fabricâ faciendas, quam circa congruam sustentationem et vestiarium alumnorum aliorumque ministrorum iuxta laudabilem Ordinis consuetudinem. Collegium seu seminarium praedictum vero nulli Ordinis provinciae aggregatum esse intelligatur, nec ullus provincialis in eo iurisdictionem exercere possit; solummodo curae et vigilantiae patris generalis et Sacrae Congregationis protectioni et superioritati commissum: quinimo stegmata seu insignia cuiusvis principis saecularis in dicto Seminario seu ecclesiâ apponere vetitum sit.

VII. Duo semper ad minus in hoc Seminario adsint lectores, alter controversiarum et alter linguae arabicae, et, si possibile sit, addatur tertius linguae illyricae, qui non admittantur nisi praevio examine et confirmatione S. Congregationis, iisdemque serio iniungatur sedulitas et assiduitas in lectionibus et repetitionibus et exercitiis; ac dicti lectores, dum actu legunt, gaudeant exemptionibus, privilegiis et praerogativis, quibus ceteri Ordinis potiuntur lectores; ita tamen, ut quoad haec lector controversiarum aequiparetur sacrae theologiae lectori, cum et ipse revera lector theologiae sit; lectores autem linguarum philosophiae lectoribus aequiparari debeant.

VIII. Lector controversiarum per tempus ad formam constitutionum Ordinis a S. Sede Apostolicâ confirmatarum tradat in scriptis lectiones utiles pro missionibus, ad quas alumni huius Seminarii sunt destinandi et

post vesperas earumdem habeat conferentias, frequentibusque exercitiis studentes instituat. Disputationes vero traditae doctrinae de more religionis habeantur. Alii autem lectores linguarum ter in hebdomadâ legant, et rerum, quas studentes docuerint, repetitionem ab eis exigant singulis diebus quibus legere tenentur, per horam post vesperas auditores suos exercendo.

IX. Prohibetur aeque lectoribus ac studentibus diebus lectionum e Seminario egredi quacumque de causâ, nisi expletis integre lectionibus ac exercitiis, eâ die qua fieri debebunt, et in hoc praeses diligenter incumbat: et si theses eâdem die habeantur, absolute licentiam deneget.

X. A lectionibus, repetitionibus ac exercitiis utriusque studii nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, et si quis neglexerit, a superiore corrigatur; idemque fiat, si aliquem negligentem in scribendis lectionibus, aut in dictis studiis, desidiosum reperiat, et tam lectores quam praeses de omnibus patrem generalem vel, eo absente, Commissarium ac etiam S. Congregationem certiorent.

XI. Senis quibuscumque mensibus theses theologicae seu controversiarum arabico, latino et, quatenus fieri possit, illyrico idiomate habeantur, quibus praeses interesse teneatur ad dignoscendum eos qui proficiant, et monere debeat patrem generalem, vel eo absente commissarium, de iis qui fortasse studio huiusmodi minus vacaverint, ut valeat, illis submotis, alios subrogare.

XII. Curet pater generalis aliquem religiosum zelo praeditum deputare, qui ad ipsos studentes singulis mensibus concionem habeat de missionariorum muneris praestantiâ, deque peculiaribus eiusdem functionibus, quo spiritus apostolicus in eis accendatur ac perseveret: erudianturque in iis omnibus, quae ad illud congrue et cum Dei gloriâ peragendum pertinent.

XIII. Pater generalis vel, eo absente, Commissarius aut alter ab eo delegandus, singulis saltem quatuor mensibus studium istud visitet, et si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliquâ poenitentiâ iniunctâ, qua alii ab assumpto munere negligendo deterreantur, eum ad propriam provinciam redire iubeat, et Sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum quamprimum subroget. Ultra vero praedictam patris generalis visitationem Secretarius itidem Sacrae Congregationis idem Seminarium bis visitet in anno absque superiorum interventu, ut liberius queat statum et necessitates Collegii exponere, adhibito secum dumtaxat aliquo arabicae linguae perito, per quem possit alumnos examinare et de eorum progressu certiorari.

XIV. Singulis diebus dominicis et aliis festivis de praecepto praedicti collegiales in ecclesiâ, vel alio opportuno loco a patre generali destinando, explicent catechismum Romanum, et unusquisque turnarie continuet per mensem, ad hoc ut aptiores evadant tempore quo in missionibus operam praestare debebunt.

XV. Completo triennio abeant studentes; quo a S. Congregatione destinati fuerint. Quod si nullus tunc temporis sit in promptu missionis locus, liceat patri generali eos propriis provinciis restituere, certioratâ prius S. Congregatione: curetque, ut in iis conventibus collocentur, in quibus commodius studiis controversiarum et linguarum exerceri possint, quousque advenerit occasio missionis, ad quam ab eâdem S. Congregatione erunt destinandi. Interim vero immunes se esse non credant ab observantiâ regulari et officiorum servitio. Quod si aliquis illorum ad destinatas missiones renueret aut negligeret accedere, arbitrio S. Congregationis plectetur.

XVI. Ii vero, qui sacris missionibus per statutum tempus inservierint, et a S. Congregatione ad propriam remeandi provinciam facultatem obtinuerint, nullâ prorsus inibi exemptione, privilegio aut praeeminentiâ gaudere ac potiri praesumant, solam a Domino, qui est bonorum operum retributor, mercedem recepturi; cum religiosi viri perfectio consistat in humilitate et huius saeculi rerum contemptu. Stricte tamen iniungitur patribus superioribus Ordinis, ut in emeritos huiusmodi Christi fidei praecones omnem caritatem exerceant, cum plerumque, vel assiduis laboribus consumpti vel longis ieiuniis extenuati, aegritudinibus aliisque corporis incommodis sint obnoxii.

XVII. Studeat superior generalis opportuno tempore deputare cum participatione et approbatione S. Congregationis procuratorem pro missionibus, qui vel in Collegio vel in conventu Urbis proprii Ordinis commoretur, et unum socium gratum habeat, qui in gerendis negociis missionum

eum coadiuvet, et petitâ solitâ benedictione a superiore locali e conventu exeat: qui quidem procurator vel per sexennium completum fuerit praefectus, vel per decennium missionarius.

XVIII. In iis omnibus S. Congregatio conscientiam patris generalis oneratam esse voluit, eiusque arbitrio reliquit alia statuendi (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam regularem disciplinam, tum studiorum profectum concernentia et ab eadem S. Congregatione approbanda.

Regulas approbat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati Cardinales, factâ sibi per ven. fr. Petrum Aloysium Archiepiscopum Larissae Secretarium Congregationis eorumdem Cardinalium, omnium et singularum Regularum huiusmodi distinctâ relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint; hinc est, quod nos inviolabili earumdem Regularum robori et efficaciae providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easdem praeinsertas Regulas, cum omnibus et singulis in eis contentis auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes literas ac Regulas huiusmodi semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et congregationis fratrum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. augusti MDCCXXI., pontif. nostri anno I.

IV.

Concedit custodi et guardiano S. Sepulchri facultatem conferendi sacramentum Confirmationis (1).

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Innocentii XI. constit. edit. MDCLXXVIII., die XXV. maii, pontif. II., designatus fuit conventus ubi Neapoli morari debeat commissarius Terrae Sanctae; et Benedicti XIII. constit. edit. MDCCXXVII., die III. martii, pontif. III., confirmantur privilegia et indulgentiae concessa fratribus Terrae Sanctae. Addimus decretum de quo in h. const. loquitur.

DECRETUM

Sacrae Congregationis Generalis Sancti Officii confirmatum litteris apostolicis praecedentibus.

Feria V., *die* XI. *augusti* MDCCXXI.

In congregatione generali S. R. et universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico montis Quirinalis, coram sanctissimo Domino nostro D. Innocent. divina providentia Papa XIII., ac eminentiss. et reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Delato ad sacram congregationem Sancti Officii dubio: an custos et guardianus sancti sepulchri Domini nostri Iesu Christi necessarias facultates ex speciali delegatione Sanctae Sedis habeat conferendi sacramentum confirmationis, et exhibitis per superiores Ordinis Minorum fratrum Sancti Francisci de observantiâ nonnullis privilegiis; sanctissimus dominus noster Innocentius Papa XIII., auditis votis eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum, ad tollendas omnes difficultates et occasionem in poste-

INNOCENTIUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Causae praesentis concessionis.

§ 1. Cum ad infrascriptam Cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: An custos et guardianus S. Sepulchri domini nostri Iesu Christi ex speciali huius Sanctae Sedis delegatione et vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios superiores Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum exhibitorum necessarias facultates habeat conferendi sacramentum Confirmationis: nos, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ omnes difficultates ac in posterum dubitandi hac in re occasionem tollere cupientes, ac dilectum filium Ioannem Philippum a Mediolano fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac custodem et guardianum dicti S. Sepulchri, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, auditis votis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum auctoritate apostolicâ specialiter deputatorum, eidem Ioanni Philippo custodi et guardiano eiusdem S. Sepulchri, durante eius officio, et pro locis Terraesanctae tantum ubi non erunt Episcopi ritus latini in propriâ dioecesi residentes, potestatem et facultatem conferendi sacramentum Confirmationis huiusmodi oleo et chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente benedictis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et delegamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Concessio, ut in rubricâ.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et, in universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. septembris MDCCXXI., pontif. nostri anno I.

V.

Innovat literas Urbani VIII., Innocentii X. aliorumque Pontificum pro eleemosynis ad Locorum Sanctorum conservationem in toto orbe colligendis (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et Domini Nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis solicitudinis vigilantiam incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Ierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentia recolantur.

Ab Urb. VIII. iniunctum fuit Ordinariis, atque superioribus religiosis, ut saltem bis in anno commendari curarent necessitates Terrae Sanctae.

§ 1. Cum itaque alias felic. rec. Urbano Papa VIII. praedecessori nostro exposito, quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno ob impiam turcarum, haereticorum, et schismaticorum tyrannidem, et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum, et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet

---

rum dubitandi, patri Ioanni Philippo a Mediolano Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantiâ moderno custodi et guardiano sancti sepulchri, durante eius officio, et pro locis Terrae Sanctae tantum, ubi non erunt Episcopi ritus latini in propriâ dioecesi residentes, potestatem et facultatem conferendi sacramentum confirmationis, oleo et chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint per catholicum Episcopum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis, indulsit et delegavit, et huiusmodi indultum in praesens pro moderno praefato custode et guardiano sancti sepulchri, et futuris temporibus pro aliis in dicto officio successoribus per litteras apostolicas in forma brevis expediri mandavit.

IOSEPH BARTOLUS
S. R. et universalis Inquisit. not.

Loco ✝ Sigilli

(1) Ex cit. Bull. part. Terrae Sanctae.

anno, Adventus, et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et alias prout in ipsius Urbani praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die tertia februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur; et sicut pro parte dilecti filii Emanuelis Fernandez del Rio Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum lectoris iubilati ac excustodis provinciae burgensis, necnon totius sacrae custodiae ac familiae Terrae Sanctae in Romana Curia commissarii et procuratoris generalis, nobis nuper expositum fuit, ipse quo praedictae Urbani praedecessoris literae, quae a recolen. me. Innocentio X., Clemente etiam X., Innocentio XI., Alexandro VIII., Innocentio XII., ac Clemente pariter XI. Romanis Pontificibus praedecessoribus itidem nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desideret: Nos eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani praedecessoris literas apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus. Volumus autem, ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praedicti in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant, se praedictis Urbani praedecessoris et praesentibus nostris literis paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Preces Procuratoris Generalis Terrae Sanctae pro confirmatione dictae constitut. iam pluries confirmatae.

Confirmatio praedictae constitutionis.

Fides transumptorum.

§ 2. Volumus insuper ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. novembris MDCCXXI., pontif. nostri anno I.

VI.

Concedit sex gradus magisterii pro provinciâ Peruanâ fratrum eremitarum S. Augustini (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Preces provinciae et causae praesentis concessionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Peruanae Ordinis eremitarum S. Augustini, quod, cum in definitorio generali eiusdem Ordinis novissime celebrato decretum fuerit ut in eâdem provinciâ, quae viginti quatuor in sacrâ theologiâ magistrorum indulto fruitur, et in qua mille et amplius religiosi, necnon ex his ducenti iubilati, et in cathedris ac lecturis se exercentes, unâ cum quinque collegiis quae studii generalis universitates existunt, numerantur, eorumdem magistrorum numerus ad tricenarium augeretur, si tamen desuper nostra et huius S. Sedis facultas accederet, ipsi exponentes plurimum expedire existimant, ut tricenarius eiusmodi magistrorum numerus statuatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio sex graduum pro concionatoribus.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, provinciae Peruanae praedictae sex gradus perpetuos magisterii de numero nuncupatos, pro sex verbi Dei praedicatoribus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brevium. Item auctus fuit numerus in dictâ provinciâ a Clemente XI., constit. edit. MDCCXX., die XX. octobris, pontif. XX.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. aprilis MDCCXXII., pontificatus nostri anno I.

VII.

Concedit octo gradus magisterii pro provinciâ Mexicanâ fratrum eremitarum S. Augustini (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Preces provinciae et causae augendi numerum magistrorum ad viginti quatuor.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Mexicanae Ordinis eremitarum S. Augustini, quod, cum in dictâ provinciâ duodecim in sacrâ theologiâ magistri, et quadraginta quinque conventus, ac quinquagintaquinque parochiae, cum nominatione doctrinarum, quae pro erudiendis illarum partium populis in catholicâ fide destinatae sunt, necnon mille circiter religiosi, ac inter hos centum iubilati ac lectores numerentur, ipsi exponentes eorumdem magistrorum numerum ad vigintiquatuor iuxta decretum definitorii generalis Ordinis huiusmodi novissime celebrati augeri posse summopere desiderant, quemadmodum aliàs provinciae Peruanae Ordinis praedicti concessum fuisse memoratur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio octo graduum, quatuor pro lectoribus et quatuor pro concionatoribus.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis huiusmodi super praemissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, primodictae provinciae Mexicanae octo gradus perpetuos magisterii, quatuor videlicet pro lectoribus et alios quatuor pro verbi Dei praedicatoribus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. aprilis MDCCXXII., pontificatus nostri anno I.

VIII.

Concedit sex gradus magisterii pro provinciâ Mechoacanâ fratrum eremitarum S. Augustini (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Preces provinciae et causae praesentis concessionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Mechoacanae Ordinis eremitarum S. Augustini, quod, cum in praedictâ provinciâ sex tantum in sacrâ theologiâ magistri reperiantur, ac in eâ triginta tres conventus et trecenti circiter religiosi, et ex iis triginta lectores, cum quinque collegiis, quorum unum universitas studii generalis existit, quae prima in Indiis institutio fuit, numerentur, ipsi exponentes senarium huiusmodi magistrorum numerum ad duodenarium iuxta decretum definitorii generalis Ordinis praedicti novissime celebrati augeri posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio sex graduum, tres pro lectoribus et tres pro concionatoribus.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis super praemissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, praedictae provinciae Mechoacanae sex petitos gradus magisterii in eâdem sacrâ theologiâ, tres videlicet pro lectoribus et alios tres pro verbi Dei praedicatoribus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. aprilis MDCCXXII., pontificatus nostri anno I.

IX.

Confirmat statuta Congregationis S. Hippolyti Charitatis in Indiis Occidentalibus, cum nonnullis declarationibus (1).

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexicano,

INNOCENTIUS PP. XIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ab Innocentio XII. erecta fuit dicta Congregatio in religionem, et eius constitutiones approbatae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus frater maior Congregationis Charitatis sub titulo sancti Hippolyti in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium in religionem erectae, tam suo quam definitorii ipsius Congregationis nomine, quod aliàs, postquam felicis recordationis Innocentius Papa XII. praedecessor noster dictam Congregationem in religionem erexerat, illius constitutiones, toto illarum tenore inserto, per quasdam suas litteras desuper in simili formâ Brevis die XXI. iunii MDCC. expeditas, ad supplicationem dilecti pariter filii Ioannis de Cabrera, tunc temporis eiusdem Congregationis procuratoris generalis, sub certis modo et formâ tunc expressis, confirmavit et approbavit, et aliàs, prout in praedictis Innocentii praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Verum, quia experientiâ compertum fuit, praedictas constitutiones, seu earum aliquas, paci et bono regimini Congregationis huiusmodi minime profuisse, sed illas reformatione, clariori explicatione, ac etiam novâ additione indigere, idem frater maior, unâ cum eodem definitorio, pro prospero statu ac felici gubernio memoratae Congregationis decreta seu statuta edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Nova statuta referuntur.

Generalis et consiliarii sint sexennales, et reliqui officiales triennales.

I. Quod in posterum officium fratris maioris generalis et officia quatuor eiusdem consiliariorum durare debeant ad sexennium; ita tamen quod in fine primi triennii tam generalis quam consiliarii teneantur eligere fratres maiores locales et reliquos officiales religionis, vel confirmando illos antiquos pro evidenti utilitate, vel de novo alios eligendo pro maiori augumento instituti: attento quod, cum idem generalis teneatur visitare omnes domus fundatas, et alias quae dietim in regione tam vastâ fundantur, expertus fuit quod in spatio solius triennii, quo durabat generalatus officium, tales visitationes expleri non valeant in magnum praeiudicium Congregationis.

Augetur numerus suffragiorum pro electione generalis.

II. Quod reformetur modus practicandus circa electionem fratris maioris generalis, dum in praefatis constitutionibus mandatur quod quolibet triennio convocentur viginti antiquiores in professione, qui tamen scribere et legere sciant, et quod cum istorum suffragiis tantum deveniatur ad talem electionem; haec enim restrictiva ad viginti antiquiores in professione peperit usque nunc graves abusus, dum facti isti proprietarii et domini absoluti vocis activae et passivae occuparunt absque ullo merito omnes gradus Congregationis, et inter se diviserunt praeeminentias, coarctando electiones; unde pro opportuno remedio erit imposterum statuendum, quod, in locum praefatorum viginti antiquiorum in professione, subrogentur alii viginti habiliores et capaciores in religione, seligendi ex illis qui exercuerunt officia generalis et consiliariorum, necnon ex fratribus maioribus localibus, ex antiquiore sacerdote ac novitiorum magistris, ac procuratore generali, et, quatenus ex his non posset expleri numerus viginti, compleatur ex magistris in chirurgiâ antiquioribus in professione, qui sic selecti de sexennio in sexennium eligant generalem in capitulo generali convocato.

Quomodo et qui eligendi ad reliqua officia.

III. Quod inviolabiliter observetur constitutio in qua mandatur, quod frater maior generalis noviter electus insimul cum eius consiliariis debeant providere alia officia religionis in personis zelantibus institutum,

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Ab Innocentii XII. constit. edit. MDCC., die XXI. iunii, pontif. IX., confirmatae fuere eiusdem Congregationis constitutiones.

et quod tam in hoc quam in reliquis aliis actibus praefati consiliarii habeant votum consultivum ac decisivum aequale cum generali, et quod in omnibus stetur maiori parti suffragiorum. Ulterius vero declaretur praedictos consiliarios non posse in se ipsis applicare nominationem ad dicta officia, prout usque ad praesens applicarunt, eos in posterum inhabilitando ad ea posse consequi, sanciendo quod debeant esse contenti solo officio consiliariorum, quousque illo funguntur.

Sacerdotes privantur voce passivâ.

IV. Cum principalis scopus religionis sit attendere operibus misericordiae corporalibus versus pauperes infirmos convalescentes, mente captos, aliosque egenos, quod exercitium solum competit laicis, ideo in constitutionibus privantur voce passivâ sacerdotes, et hoc iterum confirmari debet cum ulteriori explicatione quod censeantur etiam privati voce passivâ illi sacerdotes qui promoti fuere antequam Congregatio erigeretur in religionem.

Generalis sibi eligat domum.

V. Quod reformetur dispositio quae mandat fratrem maiorem generalem cum suis consiliariis debere habitare in conventu sancti Hyppoliti sito extra moenia civitatis Mexicanae, stante quod, cum dictus conventus plurimum distet a dictâ civitate, in eâque et illius tribunalibus quasi continuo debeant generalis et consiliarii praedicti esse praesentes ob tractanda negocia religionis, cum summo eorum incommodo et plerumque cum praeiudicio religionis, quia non valent horis debitis interesse; ideo permittitur in posterum generali eligere habitationem in illâ domo vel civitate, quam magis congruam reputaverit pro reparandis necessitatibus, quae de tempore in tempore imminebunt religioni, durante officio sui generalatus.

Generalis confirmet electionem provincialium et provincias visitet.

VI. Quod spectet ac pertineat ad fratrem maiorem generalem approbare et confirmare electiones provincialium qui eligentur in quacumque provinciâ ad quam religio propagaretur; et quod praefatus generalis teneatur de triennio in triennium unâ vice visitare qualemcumque provinciam, in qua fundatio fieret, existentem in regno Novae Hispaniae, Guatemalae, Nicaraguae, aliasque circumvicinas; et, casu quo fundationes sequerentur in regno Peruano vel in aliis partibus remotioribus, quod idem generalis possit nominare visitatorem delegatum pro faciendâ tali visitatione ad ea loca tam distantia, ad quae non de facili potest personaliter se conferre, ut munus visitationis adimpleat.

Qui et a quibus eligendus praesidens capituli.

VII. Pariformiter pro progressu religionis abolenda est illa coarctata (1) circa electionem praesidentis capituli, ubi iniungitur quod talis praesidens esse (2) debeat frater maior S. Hyppoliti, dum ex hoc graves abusus orti sunt tam circa vocales quam circa redditionem rationis suae administrationis ab illo faciendam, habito respectu ad dominium praesidentiae quod in ipsius personam debet omnino cadere; ideoque pro opportuno remedio tradatur facultas fratri maiori generali eiusdemque consiliariis pro electione praesidentis per eos faciendâ triduo ante celebrationem capituli generalis, et quod electio cadat in personam quae non exerceat ullum officium, ex quo impedita remaneat rectitudo praesidentiae; ac ulterius declaretur quod dictus praesidens non possit eligi in generalem in eo capitulo cui praesidet, nisi in casu quo esset electus cum plenis omnium vocalium suffragiis, ac eorum nemine discrepante.

Quid, si generalis gubernare non possit, vel generalatus vacet.

VIII. In constitutionibus mandatur quod, in casu diuturnae infirmitatis aut necessariae absentiae fratris maioris generalis, possit iste subrogare praesidentem, qui durante dicto impedimento Congregationem regat et gubernet, et iste esse debebit primus consiliarius, et, in casu obitus aut depositionis illiusmet fratris maioris generalis, idemmet primus consiliarius succedere debebit in gubernio illius pro toto eo tempore quod supererit ad celebrationem capituli generalis; at, quia in expressis casibus illa necessitas primi consiliarii non solum videtur exosa, sed etiam inductiva voti captandae mortis, ac dissensionum promotrix, ideo statuendum venit in posterum, quod, in casu necessariae absentiae aut infirmitatis diuturnae, generalis nominet unum commissarium generalem, qui ipsius nomine religionem gubernet; in casu vero mortis, depositionis aut renunciationis dicti fratris maioris generalis, quod gubernium religionis stet penes definitorium, ita tamen, quod primus consiliarius debeat quam primum convocare vocales pro electione vicarii generalis, nisi tempus celebrationis capituli generalis sit valde proximum, qui vicarius generalis sic electus gubernet religionem usque ad tempus capituli generalis.

(1) Forsan *coarctatio*.

(2) Edit. Main. legit *esset* pro *esse*.

Qui eligendus in secretarium.

IX. Declaretur etiam quod secretarius capituli gen. debeat eligi de numero vocalium.

Confirmatio relatorum statutorum, cum nonnullis declarationibus.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus frater maior statuta seu decreta huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ et exactiori observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius fr. maioris votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, qui relationem dilecti filii nostri Bernardi Mariae eiusdem S. R. E. presbyteri Cardinalis de Comitibus nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani praedictae Congregationis Charitatis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem Cardinalibus factam viderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, audito tamen prius capitulo generali supradictae Congregationis, ad praeinsertorum statutorum confirmationem auctoritate nostrâ apostolicâ pro tuo arbitrio et prudentiâ procedas iuxta sequentem modum et additas declarationes, videlicet: quo ad primum, ita tamen ut vim habere incipiat postquam modernus generalis et quatuor consiliarii ab officio cessaverint; ad secundum, sine praeiudicio religiosorum qui iam in eâdem Congregatione admissi fuerunt, itaut statutum procedat quoad religiosos in futurum admittendos; ad quartum, sed non censeantur privati voce passivâ illi sacerdotes qui promoti fuere antequam ipsa Congregatio in religionem eligeretur; ad septimum, ita tamen ut praesidens in capitulo nisi cum duabus ex tribus partibus suffragiorum eligi nequeat: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus, necnon praedictae Congregationis Charitatis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. augusti MDCCXXII., pontificatus nostri anno II.

X.

Erigit Universitatem studii generalis in civitate S. Iacobi de Leon de Caracas Indiarum Occidentalium (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium a studio promovendi disciplinas praesertim sacras.

Inscrutabili divinae sapientiae atque bonitatis arcano, ad Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, evecti, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studia, per quae, depulsâ ignorantiae caligine, mentes veritatis luce illustrantur, et non minus catholicae fidei divinique cultus propagationi et incremento, quam iustitiae administrationi aliisque reipublicae commodis et ornamentis, privatorumque utilitatibus consulitur, ubique locorum, et praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus, quantum nobis ex alto conceditur, promovere ac incitare et confovere studemus, sicut, omnibus maturâ consideratione perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiaeque decus et praesidium, ac spiritualem temporalemque christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Laudes collegii dictae civitatis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt venerabilis frater modernus Episcopus et gubernator civitatis S. Iacobi de

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Erecta fuit universitas in civitate Guatimala ab Innocentio XI. constitut. edit. MDCLXXXVII., die XVIII. iulii, pontificatus XI.

Leon de Caracas, quod Caracae populi sunt Americae meridionalis in parte australi regni Peruani versus mare Pacificum et regnum Chilense intra montes, et dominio carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici subsunt; in eâ autem regione dicta civitas et in illâ magnificum collegium extructa reperiuntur, nec deest ampla bibliotheca; quodque notabilius est, novem cathedrae in eo, et signanter philosophiae, sacrae theologiae tam scholasticae quam moralis, iuris canonici et civilis, ultra cathedram latinitatis et rhetoricae, aliasque pro recto studiorum instituto necessarias, curâ potissimum et expensis eiusdem Episcopi erectae existunt, magnusque propterea adest studentium concursus, itaut annis praeteritis sexagintasex in matriculâ descripti fuerint ut a scholâ rhetoricae ad illam philosophiae transirent, secutâque vacatione cathedrae latinitatis et rhetoricae huiusmodi, pro illâ obtinendâ undecim oppositores comparuerint.

Causae erigendae universitatis et preces Episcopi ac gubernatoris.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, completo studiorum curriculo, illi qui studuerunt, vel lauream doctoratus recipere nequeant, vel cum evidenti vitae discrimine et cum maximâ impensâ ad eam recipiendam vel in universitatem studii generalis S. Dominici aut S. Fidei accedere teneantur; proindeque ab ipsis exponentibus eidem Philippo regi supplicatio exhibita fuerit pro impetrandâ a nobis facultate memoratum collegium in universitatem studii generalis erigendi, ac lauream doctoralem concedendi, ad instar universitatis S. Dominici insulae Hispaniae, itaut sic erigendae universitati praelati, canonici cathedralis ecclesiae, rector collegii, et scientiarum in eo professores cum retentione graduum, quos ipsi in aliis universitatibus iam receperunt, adiungi valeant: nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio dictae universitatis ad instar illius S. Dominici cum omnibus privilegiis.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum (qui ad dubium eis propositum, an esset consilium nobis praestandum pro praefatâ erectione collegii in universitatem, et facultate conferendi gradus ad instar universitatis S. Dominici insulae Hispanicae, necnon pro gratiâ ut praelati et cathedralis canonici ac rector et magistri actu docentes in collegio aggregari possint ad novam universitatem unâ cum gradibus quos in aliis universitatibus receperunt, in casu etc., affirmative responderunt) consilio, et attento quod eiusmodi instantia eiusdem Philippi regis nomine commendata fuit, collegium S. Iacobi de Leon de Caracas in publicam studii generalis universitatem adinstar praedictae universitatis S. Dominici insulae Hispaniae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, sine cuiusquam alterius universitatis studii generalis praeiudicio, erigimus et instituimus, et ad eam sic erectam ut praelati, canonici cathedralis, rector collegii et scientiarum huiusmodi in eo professores cum retentione eorumdem graduum, quos ipsi in aliis studiorum generalium universitatibus iam receperunt, ut praefertur, aggregari queant, auctoritate et tenore praefatis concedimus. Ac eidem universitati studii generalis, sic per praesentes erectae et institutae, illiusque rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, procuratoribus, bidellis, nunciis, ceterisque officialibus, ministris et personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, quibus praedicta universitas studii generalis S. Dominici, illius rector, magistri, doctores, lectores, praeceptores, scholares, procuratores, bidelli, nuncii, ceterique officiales, ministri, et personae quaecumque respective tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter ac pariformiter in omnibus et per omnia uti, frui, potiri et gaudere; rectori autem ipsius universitatis per praesentes erectae et institutae pro tempore existenti, ut illos, quos in eâdem universitate per debitum tempus studuisse ac scientiâ et moribus idoneos esse repererit, in praedictis facultatibus sive

scientiis, quae in ipsâ universitate docebuntur seu legentur, ad baccalaureatus, etiam formati, licentiaturae ac doctoratus et magisterii gradus, servatâ tamen in omnibus et per omnia formâ decretorum Viennensis et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, et aliàs iuxta laudabilem supradictae universitatis S. Dominici insulae Hispaniae consuetudinem, promovere, solitaque graduum huiusmodi insignia eis conferre et exhibere; ipsis vero ad eosdem gradus per illum sic promotis, ut postea publice privatimque, etiam in omnibus aliis universitatibus studiorum generalium, facultates sive scientias praedictas respective alios docere et interpretari, de iis disputare, aliosque actus quoscumque eorum gradibus convenientes exercere libere et licite possint et valeant, respective, earumdem tenore praesentium, indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae. § 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. augusti MDCCXXII., pontificatus nostri anno II.

XI.

Concedit eremitis S. Augustini provinciae Chilensis augmentum sex magistrorum pro verbi Dei praedicatoribus (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii fratres provinciae Chilensis in Americâ meridionali Ordinis eremitarum S. Augustini nobis nuper exponi fecerunt, in dictâ provinciâ decem conventus et trecenti religiosi, ac duodecim in sacrâ theologiâ pro lectoribus magisteria numerantur, ipsi exponentes unum religiosum provinciae huiusmodi ad hanc almam Urbem nostram miserunt, qui, praevio capituli generalis eiusdem Ordinis mense iunio MDCCXXI. in dictâ Urbe celebrati consensu, ab infrascriptâ Congregatione Cardinalium augmentum magistrorum in eâdem sacrâ theologiâ etiam pro verbi Dei praedicatoribus, qui in praedictâ provinciâ decem continuo existunt laborumque suorum cursum peregerunt, obtineret; ideoque illis, ne praemio destituti remaneant, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgere summopere desiderent, quemadmodum tribus aliis Peruanae, Mexicanae et Mechoacanae respective provinciis ab hac Sanctâ Sede concessum fuisse memoratur: Preces provinciae et causae petitionis.

§ 2. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectorum pariter filiorum modernorum prioris generalis et procuratoris generalis Ordinis huiusmodi relationes super praemissis eisdem Cardinalibus factas viderunt, consilio, ut in praedictâ provinciâ Chilensi sex magisteria pro memoratis verbi Concessio praedictorum magisteriorum praeter duodecim pro lectoribus.

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

Dei praedicatoribus ad formam constitutionum praedicti Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatarum, ultra duodecim pro lectoribus statuta, constituantur et augeantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedictorum Ordinis, et provinciae Chilensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. augusti MDCCXXIII., pontificatus nostri anno III.

XII.

Concedit Carmelitis provinciae Bahiae in Brasiliâ magistris facultatem suscipiendi lauream doctoratus a provinciali (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Ab Urb. VIII. concessa fuit provinciis Hispaniae et Portugalliae facultas suscipiendi lauream in collegio Salmanticensi. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis ac definitorium aliique fratres provinciae Bahiae in Brasilia Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, quod aliàs felicis recordationis Urbanus Papa VIII. praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XXVI. augusti MDCXXIV. expeditas indulsit atque concessit quondam Theodoro Statio, tunc temporis priori generali dicti Ordinis, ac provinciarum Hispaniae et Lusitaniae professoribus Ordinis huiusmodi, ut iidem, qui, absolutis per cursum lectoris vel exercitiis litterarum iuxta regularia Ordinis praedicti instituta requisitis, ac servatis aliàs servandis, per eumdem priorem generalem in sacrâ theologiâ magistri iuxta eius facultates instituti et creati fuissent, lauream doctoratus in collegio S. Theresiae Salmanticensi memorati Ordinis, ad formam in praedictis litteris praescriptam, suscipere possent, ne pro eâ suscipiendâ aliquam approbatam studii generalis universitatem adire tenerentur; et hoc ideo concessum fuit ne praedictus Ordo seu religio, inter Mendicantes pauperrima, detrimentum pateretur intolerabilium expensarum, quae pro obtinendâ huiusmodi doctoratus laureâ in publicâ universitate erogandae forent: et aliàs, prout in praedictis Urbani praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressum ac ad verbum insertum haberi volumus, uberius continetur.

Rationes concedendi praedictam facultatem. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictum indultum, eo tempore quo rex Hispaniarum catholicus etiam Lusitaniam possidebat, religiosis utriusque nationis aeque profuerit, separatisque dominiis, respectu Lusitanorum, quibus dictum collegium Salmanticense adire non amplius permissum fuit, sine ullo effectu et utilitate remanserit, et adhuc de praesenti remaneat, propter diversum rerum et dominiorum quod viget systema, eâque de causâ dicta provincia commodum atque utile suos religiosos pro suscipiendâ ibi laureâ doctoratus huiusmodi transmittere minime existimet; et proinde ne ipsa eiusque

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

professores commoditate eiusmodi lauream suspiciendi sine eâ magnâ ac intolerabili expensâ, quae in aliquâ approbatâ universitate requiritur, priventur, opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret, quemadmodum a nobis provinciae ac definitorio aliisque fratribus provinciae Portugalliae eiusdem Ordinis per quasdam nostras litteras pariter in simili formâ Brevis die XIV. iulii proxime praeteriti expeditas concessum fuit:

Concessio ut in rubricâ.

§ 3. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis super praemissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, ut omnes et singuli professores provinciae et Ordinis praedictorum, quos modernus et pro tempore existens prior generalis eiusdem Ordinis in sacrâ theologiâ magistros, servatis servandis, instituerit et creaverit, lauream doctoratus praevio rigoroso examine coram priore provinciali dictae provinciae Bahiae et quatuor in eâdem sacrâ theologiâ magistris seu regentibus, illorumque approbatione, servatis ceteroquin conditionibus per statuta seu constitutiones Ordinis praedicti praescriptis, ab ipsomet priore provinciali suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel, quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. decembris, MDCCXXIII., pontificatus nostri anno III.

XIII.

Concedit Carmelitis provinciae fluminis Ianuarii in Brasiliâ magistris facultatem suscipiendi lauream doctoratus a provinciali (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Provinciis Portugalliae et Hispaniae concessa fuit ab Urbano VIII. facultas suscipiendi lauream in collegio Salmanticensi.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii provincialis, ac definitorium aliique fratres provinciae fluminis Ianuarii in Brasilia Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod aliàs felicis recordationis Urbanus Papa VIII. praedecessor noster, etc. (2).

Rationes concedendi praedictam facultatem.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictum indultum, eo tempore quo rex Hispaniarum catholicus etiam Lusitaniam possidebat, religiosis utriusque nationis, etc. (3).

Concessio, ut ut rubricâ.

§ 3. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, etc. (4), ut omnes et singuli professores primodictae provinciae fluminis Ianuarii, quos modernus et pro tempore existens prior generalis eiusdem Ordinis in eâdem sacrâ theologiâ ma-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Expositio eadem omnino ac illa in praec. const.

(3) Reliqua sicut in antecedenti.

(4) Sicut supra.

gistros, servatis servandis, instituerit et creaverit, lauream doctoratus, praevio rigoroso examine coram priore provinciali praedictae provinciae fluminis Ianuarii, et quatuor in eâdem sacrâ theologiâ magistris sive regentibus, illorumque approbatione, servatis ceteroquin conditionibus per statuta seu constitutiones Ordinis praedicti praescriptis, ab ipsomet provinciali suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae. § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. decembris MDCCXXIII., pontificatus nostri anno III.

XIV.

Statuit ut Ruthenis ad fidei unitatem revertentibus bona sua integre reserventur (1).

INNOCENTIUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium a clementia Sedis Apostolicae. Æterni Pastoris, qui misericors et miserator existit, nec vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, vices, licet immeriti, in terris gerentes, iis etiam, qui a fide Christi aliquando aberrant, pietatis et misericordiae ianuam reseramus, ac poenas, quas iuris severitas in eos statuit, Apostolicae Sedis clementiâ moderamur, ut eiusdem Sedis benignitate allecti, suis abiuratis erroribus, ad Christi ovile et pascua salutis reducantur.

Metu privationis bonorum detinebantur Rutheni, quominus ad unitatem redirent. § 1. Cum itaque, sicut venerabiles fratres Archiepiscopi et Episcopi Rutheni cum S. R. E. uniti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi nil adeo Ruthenos schismaticos, quominus ad verae et orthodoxae fidei unitatem revertantur, detinere ac morari compererint, quam metum privationis et amissionis bonorum suorum temporalium, quae ad gremium S. R. E. revertentibus, ex causâ schismatis in quo delapsi fuerant, multoties etiam per vim auferri consueverunt, et, si istiusmodi poena, quae in illis partibus invaluit, e medio tolleretur, ac bona temporalia ad fidei catholicae unitatem redeuntibus reservarentur, futurum sperent ut Rutheni schismatici facilius lubentiusque schisma eiusque errores abiiciant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Ideo statuit ut in rubricâ. Nos, animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, ipsorumque Archiepiscoporum et Episcoporum votis hac in re favorabiliter annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod deinceps omnibus et singulis Ruthenis utriusque sexus, tam laicis quam clericis, saecularibus et quorumvis Ordinum et militiarum regularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel con-

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Clementis XI. constit. edit. MDCCIV., die III. martii, pontif. IV., confirmata et ampliata fuere privilegia neophytorum quoad temporalia; et Benedicti XIII. const. ed. MDCCXXVII., die XIV. februarii, pontif. II., confirmatur decretum de hebraeis declarantibus animum suscipiendi baptisma.

ditionis existant, etiamsi pontificali aut aliâ quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgeant, qui, schismate eiusque erroribus abiuratis, ad eiusdem sanctae Romanae et universalis Ecclesiae unitatem sincero corde revertentur (dummodo tamen relapsi non fuerint), bona, res, iura et actiones tam active quam passive (1), quae ad eos etiam ante tempus ac tempore eorum lapsus in schismate et errores huiusmodi quomodolibet legitime spectabant seu spectare eisve competere poterant, integre reserventur, ac reservata et reservatae esse intelligantur, ita quod post suam reversionem ad eiusdem Ecclesiae communionem illa retinere illisque frui et potiri libere et licite possint, nullusque eos desuper ex causâ schismatis molestare vel perturbare iisque damnum vel mininum praeiudicium adferre audeat seu praesumat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et declaramus.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis ac in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque imperialibus et municipalibus, ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. februarii MDCCXXIV., pontificatus nostri anno III.

(1) Forsan *activae.... passivae.*

BENEDICTUS XIII.

CONSTITUTIO I.

Synodum provincialem Ruthenorum Zamosciae habitam a. MDCCXX. *tenore praesentium confirmat* (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae committere dignata est, salubriter exsequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, illa quae a catholicis Antistitibus in partem sollicitudinis nostrae vocatis pro felici dominici gregis sibi commissi regimine ac christianae religionis catholicaeque fidei propagatione et progressu prudenti providaque pietate salubriter constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma atque stabilia persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus.

§ 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater modernus Metropolita Russiae, quod ipse una cum venerabilibus fratribus Episcopis Ruthenis unitis sub praesidentia venerabilis pariter fratris Hieronymi Archiepiscopi Edesseni, tunc in regno Poloniae Sedis Apostolicae cum facultatibus Legati de latere Nuntii, pro felici salubrique Christi fidelium earumdem partium curae suae pastorali commissarum in via mandatorum Domini directione et christianae fidei ac religionis propagatione piorumque operum progressu et incremento Synodum Provincialem Ruthenam in Civitate Zamosciae anno MDCCXX. celebravit, multaque in illâ statuta, decreta et ordinationes edidit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus modernus Metropolita praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, nos piis eiusdem Metropolitae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tam de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum, quam Concili Tridentini interpretum, qui Synodum Ruthenam praedictam praevio maturo examine plenissime approbarunt, consilio, Synodum huiusmodi a dicto moderno Metropolita celebratam (ut praetenditur) omniaque et singula in eâ edita statuta, ordinationes et decreta, auctoritate apostolicâ tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ita tamen quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et decretis Conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae non obstante huiusmodi confirmatione semper in suo robore permanere debeant, ac salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationum eorumdem Cardinalium.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras ac Synodum in eâque edita statuta, ordinationes et decreta huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum camerae apostolicae auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus costitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

---

(1) Ex Collectione Lacensi *Acta et Decreta Sac. Concil. recentiorum* vol. II., pag. 10, collat. etc. Vide quae supra de h. Synodo pag. 336 adnotavimus.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. iulii MDCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

II.

Statuit Ruthenos ad Ecclesiam redeuntes recuperare posse et retinere bona ipsis propter schisma ablata (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio. Aeterni pastoris (2), qui misericors et miserator existit, vices licet immeriti in terris gerentes, iis etiam, qui foris sunt et a rectâ fide aberrant, pietatis et misericordiae ianuam reseramus, ac poenas, quas iuris severitas in eos statuit, Apostolicae Sedis clementiâ interdum ita temperamus, ut eiusdem Sedis benignitate allecti ad catholicam Ecclesiam, extra quam non est salus, reducantur, et Christo Domino, qui eos proprio sanguine acquisivit, restituantur.

Concessio praedicta. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Benedictus Fruleviez, monachus expresse professus et procurator generalis Ordinis monachorum S. Basilii Magni ritus graeci uniti, nobis pro parte venerabilium fratrum Archiepiscoporum et Episcoporum Ruthenorum cum S. R. E. unitorum nuper exponi fecit, inter alias causas, quae schismaticos a relinquendo schismate et amplectendâ cum eâdem S. R. E. unione retrahunt ac morantur, ea praecipue sit difficultas, scilicet, quam uniti experiuntur in recuperandis bonis, quae tam ante schisma quam tempore schismatis possidebant, et ut plurimum occupata ac eis violenter erepta sunt, nedum ante lapsum, sed etiam tempore lapsus in schisma praedictum; cupiantque Archiepiscopi et Episcopi praedicti, huiusmodi impedimentum ad eorumdem schismaticorum reductionem facilius obtinendam amoveri, et opportune in praedictis a nobis provideri: nos, animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsorumque Archiepiscoporum et Episcoporum votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, necnon praedictum Benedictum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Ruthenorum deputatorum consilio, ut uniti cum eâdem S. R. E., sive laici, sive clerici, regulares vel saeculares, cuiusvis status, gradus et ordinis, etiam episcopalis, vel conditionis fuerint, omnia bona, quae ad eos tam ante schisma, quam, eo perdurante, aliàs legitime pertinebant, ac quibus etiam violenter spoliati fuerunt, recuperare et possidere, illisque frui, uti et gaudere libere et licite possint; quin in futurum ex causâ praedicti schismatis vel quovis sub praetextu alicui liceat bonorum eiusmodi recuperationem illorumque pacificam possessionem et usum ipsis unitis quoquo modo impedire, minusque eadem bona in illorum praeiudicium retinere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

---

(1) Ex Bul. de Prop. Fide tom. II., pag. 56, collat. etc.

(2) Similem de hac re vide const. *Aeterni Pastoris* Innocentii XIII.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, et in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque imperialibus et municipalibus, ac consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. augusti MDCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

III.

Indulget ut in qualibet ecclesia cathedrali totius orbis catholici, in qua non adest altare privilegiatum quotidianum perpetuum, unum ex eiusdem altaribus ab Ordinario designandum, eo gaudeat privilegio (1).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Omnium saluti paternâ charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Concedit ut in rubricâ.

§ 1. Volentes igitur omnes et singulas patriarchales, metropolitanas et cathedrales totius orbis catholici ecclesias, in quibus altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, et in eis altare, per Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos respective locorum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes semel tantum designandum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino traditâ, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, congregationis, seu instituti regularis missam defunctorum pro animâ cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; itaut eiusdem domini nostri Iesu Christi, ac beatissimae Virginis Mariae, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae.

§ 2. Volumus autem, quod praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. augusti MDCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

IV.

Concedit quatuor primis patriarchis facultatem gestandi exomidem (2).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, supremus gratiarum dispensator, illis praesulibus, qui de benignitate Sedis Apostolicae locum obtinent celsiorem, et honorabilia S. R. E. membra existunt, ea (3) libenter concedit, per quae eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius in ministeriorum suorum functione perseverent.

Concessio de qua in rubricâ.

§ 1. Itaque, ad eximia venerabilium fratrum modernorum patriarcharum Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani in nos et dictam Sedem fidei et devotionis aliaque multiplicia merita paternae dirigentes considerationis intuitum, illorumque ordinem et dignitatem novi honoris praerogativâ decorare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ed effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut dein-

(1) Ex Bull. de Prop. Fide tom. II., pag. 55, collat. etc.

(2) Ex Regest. in Arch. Brev.
(3) Edit. Main. legit *et* pro *ea*.

ceps perpetuis futuris temporibus omnes et singuli patriarchae Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani praesentes et futuri exomidem super amiculo breviori in quibusvis functionibus et actibus publicis ac privatis ubique deferre et gestare, illâque uti libere et licite possint et valeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. septembris MDCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

V.

Confirmat praedecessorum literas pro necessitatibus Sanctorum Locorum (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Salvatoris et Domini... (2).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. novembris MDCCXXIV., pontif. nostri anno I.

VI.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium, quo statuitur ut visitator provinciae Assumptionis Tucumanensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum de Observantiâ, quando commissarius Indiarum ad eamdem non vult accedere, ex eâdem provinciâ eligatur (3).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Exponuntur causae, longinquitas nimirum provinciae et intollerabiles sumptus, quae Congregationem praedictam ad hoc decernendum impulerunt.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Francisci Idalgo prominìstri ac procuratoris provinciae Assumptionis Tucumanensis in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod, facto recursu anno MDCCVIII. nomine dictae provinciae ad eamdem congregationem, praeter alia quamplurima, supplicatum fuerat quod commissarius visitator dictae provinciae a superioribus, ad quos spectabat, ex religiosis benemeritis eiusdem provinciae eligeretur, et ad hunc effectum provincialis ac definitorium pro tempore existentes ad ipsos superiores notulam omnium religiosorum tali munere dignorum transmittere tenerentur, ut illi, quem mallent, pro sui iustitiâ et aequitate eligere possent; cuius supplicationis ratio fundamentalis fuit maxima paupertas et distantia quoad longitudinem et latitudinem ipsius provinciae, in qua tam domorum quam ecclesiarum aedificia nullum altum habent, imo solum ex luto acerato constructa existunt, adeoque intolerabiles sumptus accessus et recessus extranei commissarii visitatoris sufferre minime valebant, eâque de causâ ab exministro generali Biesma mediis suis litteris patentalibus die XVII. februarii MDCCI., Matriti expeditis, hoc idem observari mandatum fuerat, cum decreto quod praefatae litterae patentales usque ad capitulum generale observarentur: dicta vero congregatio super dicti precibus, auditis prius relatione et voto tunc existentis procuratoris generalis dicti Ordinis, rescripserat quod exquireretur votum capituli generalis, quod super hoc puncto commissarii visitatoris favorabile fuit: ideoque eidem congregationi supplicato, ut, attento favorabili voto

---

(1) Ex Bull. Part. Terrae Sanctae.
(2) Reliqua vide supra pag. 351, eadem est ac illa Innocentii XIII.
(3) Ex Regest. in Arch. Brev.

memorati capituli generalis, tam commissarius generalis Indiarum quam Peruanus, quando per se ipsos eamdem provinciam Tucumanensem visitare nolebant vel nequibant, unum ex religiosis idoneis eiusdem provinciae deputare et nominare, et ad hunc effectum provincialis et definitorium pro tempore notulam omnium religiosorum ad id munus visitandi dignorum ad eosdem superiores mittere tenerentur et respective deberent, sicque in futurum inviolabiliter observari mandarent: emanavit a praefatâ Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Sacra Congregatio eminentissimorum et revendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, visâ relatione eminentissimi Corsini, praedicti Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, ac enuntiato voto capituli generalis, referente eminentissimo nostro Spinula, censuit et decrevit, idem decretum capituli generalis esse approbandum et confirmandum ut infra, videlicet: « Quod, stante summâ egestate praefatae provinciae Tucumanensis, quae intolerabiles sumptus adducendi extraneum commissarium visitatorem sufferre non potest, quando Indiarum commissarius per se ipsum non vult accedere ad eamdem provinciam ad capitulum celebrandum, tunc ex eâdem provinciâ commissarium visitatorem debeat assignare, et ad hunc effectum suo tempore provincialis et definitorium notulam religiosorum tali munere dignorum ipsimet Indiarum commissario transmittere teneantur. Constitutionibus apostolicis et Ordinis ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus ». Romae, XXII. sept. MDCCXXIV. — F. Cardinalis PAULUTIUS. V. Archiep. Damascenus secret. *Loco ✝ sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsitat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX. decem. MDCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

VII.

Extendit, iuxta modum, ad omnes Ordines const. Alex. IV. et Clem. IV., ne regulares ad dignitates ecclesiasticas promoti, secum extra coenobia bona adsportare audeant (1).

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

BENEDICTUS PAPA XIII.

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Postulat humilitati nostrae divinâ dispensatione commissum sacrosancti apostolatus officium, ut, quaecumque respiciunt bonum, tranquillitatem et commodum Ordinum regularium, unde plurimum omni tempore non modo splendoris ac ornamenti, verum etiam utilitatis atque praesidii, catholicae Ecclesiae accessisse ac in dies magis accedere satis omnibus notum est, et quorum in coetu, nempe in Ordine fratrum Praedicatorum, nos ipsos olim fuisse, pluriumque annorum spatio versatos esse, in Domino gloriamur, propensis studiis paternâque charitate et sollicitudine promovere non omittamus, ac ea praesertim, quae, ad tollendos abusus, arcendam proprietatis labem, et inviolatum custodiendum in eisdem Ordinibus paupertatis votum, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provido iustoque consilio sancita fuisse noscuntur, ut serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae munimine roboremus, et aliàs desuper concessae nobis caelitus auctoritatis partes interponamus, prout rerum ac temporum conditio exigit, et nos, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad maiorem omnipotentis Dei gloriam, prosperum praedictorum Ordinum regularium statum, ac animarum pretiosissimo Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Refertur quaedam constitutio Alexandri IV., qua idem iniungitur Minoribus Conventualibus.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa IV. praedecessor noster, cum expositum illi fuisset aliquando contingere, ut fratres Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci ad Episcopalem et aliàs superiores seu inferiores dignitates promoti secum adsportare propriisque usibus applicare praesumerent libros et alia, quae tempore suae promotionis haberent, tametsi non ad eos, quibus nihil proprium habere licet, sed ad Ordinem pertinerent, ad eiusdem abusum submovendum et consulendum praefati Ordinis indemnitati, quasdam suas desuper promulgavit litteras apostolicas tenoris sequentis, videlicet:

Causae legis.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, generali et provincialibus Minoris Ordinis fratrum Minorum. Ex parte vestrâ nobis fuit intimatum, quod cum contingat interdum ad episcopalem et alias superiores, seu inferiores dignitates aliquos de fratribus vestri ordinis promoveri, ipsi libros et alia, quae tempore suae promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, sed ad ordinem pertineant memoratum, propriis usibus applicare praesumunt, in suarum perniciem animarum. Quare suppliciter postulastis a nobis, ut providere super hoc salubriter curaremus. Nos igitur eorumdem fratrum saluti et indemnitati vestri ordinis paterna volentes sollicitudine providere, ut libros et alia, quae ipsos promotionis suae tempore habuisse, seu habere constiterit, tibi, fili generalis minister, vel tuis provincialibus ministris, submota qualibet dilatione, resignent, ipsis fratribus iam promotis in virtute obedientiae, illis autem quos promoveri contigerit, ne resignare differant, auctoritate praesentium duximus iniungendum, nisi forsan vos ipsorum usum eis ad tempus concesseritis de gratia speciali.

Statutum.

Datum Laterani, anno Incarnationis Dominicae MCCLV., nonis decembris, pontificatus nostri anno I.

Alia constitutio Clementis IV. ad eumdem abusum ex Ordine Praedicatorum submovendum.

§ 2. Deinde, cum memoratus abusus in Ordinem quoque fratrum Praedicatorum irrepsisset, recolendae memoriae Clemens Papa IV., praedecessor itidem noster, pro suo pastorali zelo eum extirpandum curavit per suas consimiles litteras apostolicas, quarum tenor hic subiicietur:

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et universis prioribus et fratribus Ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem. Providentia laudabilis et salubris in cunctis vestris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conspectu Dei et hominum habeatis.

Causae constitutionis.

§ 1. Cum itaque (sicut asseritis) contingat interdum, quod illi ex vobis, qui de ordine vestro ad archiepiscopatus et episcopatus et alias praelaturas ecclesiasticas assumuntur, non considerantes, quod ex professione in ipso emissa ordine, nihil habent proprium, quod sibi specialiter valent retinere, libros et alia quae apud eos huiusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare, secumque portare praesumant, in propriae salutis dispendium, et dicti ordinis non modicum detrimentum.

Constitutio.

§ 2. Nos praesumptioni huiusmodi volentes salubriter refragari, universis fratribus dicti ordinis, ad huiusmodi archiepiscopatus, episcopatus et praelaturas de

caetero assumendis, auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros et bona contingentia ordinem memoratum, quae apud eos tempore suae promotionis habere contigerit, prioribus et conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem priores, de consensu ipsorum conventuum, usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum. Alioquin eo ipso ab executione pontificalis ministerii noverint se suspensos. Inter huiusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos et illas chartulas vel membranas, in quibus dicti fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Viterbii, anno Incarnationis Dominicae MCCLXVIII., v. idus iunii, pontificatus nostri anno IV.

Confirmatio relatarum constitutionum.

§ 3. Quamvis autem praeinsertarum apostolicarum litterarum tenorem a memoratis regularibus, pro quibus emanarunt, religiose hactenus observatum fuisse et adhuc observari minime vereamur; nihilominus, nonnullis iustis et gravibus adducti rationibus, ad obstruendum fraudibus, quae forsan in posterum committi possent, quemcumque aditum, easdem Alexandri et Clementis praedecessorum litteras cum omnibus et singulis in eis contentis confirmandas et innovandas esse duximus, prout motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione illas et in eis contenta quaecumque (iis tantum exceptis quae eidem nostrae constitutioni adversantur, ut infra) amplissime confirmamus, approbamus ac innovamus, et, quatenus opus sit, adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quoquo modo praetendi posset, restituimus, pristinum in statum reponimus, ac plenarie integramus.

Extensio earumdem ad omnes alios regularium Ordines.

§ 4. Praeterea, etsi satis constet saluberrimam praedictarum litterarum dispositionem non ad eos dumtaxat, de quibus loquitur, sed ad universos etiam alios regulares Ordines pertinere, cum ratio voti solemnis paupertatis, cui illa unice innititur, vigeat, locumque habeat generatim absque ullâ prorsus differentiâ in omnibus Ordinibus, quorum professores eodem paupertatis voto aequaliter obstringuntur, adeoque, sicut iidem professores indiscriminatim nihil proprium possident nec possidere possunt, et, quidquid acquirunt, monasterio et Ordini acquirunt, ita sane absque ullo discrimine, quando ad praelaturas ecclesiasticas assumuntur, bona, quae ante earum assecutionem habebant, secum adsportare propriosque in usus convertere nequaquam possunt, sed monasterio et Ordini, cui acquisita sunt, ex integro relinquere ac resignare tenentur: nihilominus, ad quamcumque ambiguitatem submovendam ac penitus e medio tollendam, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, memoratas Alexandri et Clementis praedecessorum litteras tenore praesentium expresse extendimus ac ampliamus ad omnes etiam et singulos alios catholicae Ecclesiae Ordines, congregationes ac instituta regularia, monastica, et alia quocumque nomine et titulo nuncupata, nullo prorsus excepto, a quibus et ab eorum professoribus deinceps illas, in omnibus et singulis quae praesenti constitutioni non adversantur, exactissime observari volumus, praecipimus et mandamus, perinde ac si ipsaemet litterae a praefatis praedecessoribus nostris pro singulis aliis Ordinibus, congregationibus ac institutis praedictis, eorumque professoribus quibuscumque, editae et promulgatae fuissent, et non aliàs, nec alio modo.

Idem denuo omnibus inhibetur ab hoc pontifice.

§ 5. Cupientes insuper ut omnis ansa et occasio quibuscumque alienis, extraneis aut subdolis praedictarum litterarum interpretationibus praecidatur, Ordinumque regularium quorumcumque praefatorum indemnitati plenius etiam atque uberius consultum sit, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, omnibus et singulis regularibus personis cuiuscumque Ordinis, congregationis ac instituti, ut praefertur, quae a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente ad patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, vel quascumque alias praelaturas et dignitates ecclesiasticas in posterum assumentur, tenore praesentium strictissime interdicimus ac inhibemus, ne secum adsportare propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita et bona mobilia seu immobilia cuiuscumque generis et speciei, quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, *exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis et breviario;* sed ea omnia, statim ac suae promotioni consenserint, et antequam consecrationis munus suscipiant, superiori locali et capitulo coenobii, conventus aut do-

mus, ubi degunt (1), integra et intacta, absque ullâ prorsus diminutione, cum eorum notulâ seu inventario bonâ fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum coenobio, conventui vel domui applicari possint ac debeant, cui iuxta constitutiones et consuetudines cuiusque Ordinis, congregationis ac instituti applicanda esse constiterit. Quod si secus fecerint et huic nostrae ordinationi non obtemperare praesumpserint, contrafacientes, ultra poenam suspensionis ab exercitio pontificalis ministerii in praefatis Clementis IV. litteris constitutam, suspensionis insuper a divinis poenam ipso facto incurrant, cuius relaxationem nobis tantum et Romano Pontifici pro tempore existenti (sublatâ ceteris omnibus, etiam Poenitentiariae Apostolicae officio et maiori poenitentiario, eam etiam ad tempus relaxandi facultate) specialiter et expresse reservamus, ac reservatam esse volumus et mandamus.

Adimitur superioribus Ordinum facultas concedendi promotis eisdem ad tempus usum librorum, aliorumque.

§ 6. Postremo, cum aequum et salutare, imo etiam necessarium arbitremur, ut occurratur ac opportunum adhibeatur remedium praeiudiciis et detrimentis, quae hactenus illata fuisse novimus, ac etiam de cetero inferri posse animadvertimus Ordinibus regularibus, coenobiis, conventibus ac domibus praedictis ex facultate, quae ab Alexandro praedecessore ministro generali et provincialibus Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, et a Clemente itidem praedecessore ministro generali ac prioribus Ordinum fratrum Praedicatorum, ut praefertur, tributa fuit, concedendi promotis ad episcopalem et alias ecclesiasticas dignitates usum ad tempus librorum aliorumque bonorum quae tempore suae promotionis habebant, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, nedum praefatis, sed etiam omnibus et singulis aliis superioribus quorumcumque aliorum Ordinum, congregationum ac institutorum regularium praedictorum, ad quae praeinsertas Alexandri et Clementis praedecessorum litteras, ut supra, extendimus et ampliamus, etiamsi abbates, magistri, ministri et praepositi provinciales aut generales fuerint, vel quacumque aliâ denominatione ac titulo, Ordinibus, congregationibus et institutis antedictis praefuerint, necnon eorumdem coenobiorum, conventuum, domorumque superioribus localibus et capitulis quibuscumque, praedictam facultatem concedendi ad tempus usum librorum, aliorumque mobilium praefatorum, prorsus adimimus, auferimus et abrogamus, ac pro ademptâ, sublatâ et prorsus abrogatâ ab omnibus in posterum haberi volumus, statuimus et declaramus, itaut perpetuis futuris temporibus eiusmodi facultate uti amplius non possint nec debeant, perinde ac si ipsis a praefatis praedecessoribus nostris nunquam tributa et concessa fuisset, et non aliàs, aliter, nec alio modo, sub poenâ, si secus fecerint, suspensionis a divinis eo ipso incurrendâ, cuius relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, privative quoad omnes alios, reservamus et reservatam esse statuimus, praecipimus ac mandamus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae peculiares.

§ 8. Non obstantibus praeinsertis Alexandri IV. et Clementis itidem IV. praedecessorum litteris, et de iure quaesito non tollendo, ac certis nostris et Cancellariae apostolicae regulis, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, eisdem Ordinibus, illorumque superioribus et professoribus quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam de-

(1) Male edit. Main. legit *detegunt*.

rogatoriarum derogatoriis et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Aliae clausulae.

§ 9. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae curiaeque generali in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, reintegrationis, decreti, declarationis, statutorum, voluntatum, mandatorum, constitutionis, assignationis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXXV., IV. nonas martii, pontificatus nostri anno I.

VIII.

Confirmat quaedam resolutiones capituli generalis Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

In capitulo generali MDCCIV. diversa decreta plane constitutionibus Congregat. contraria edita fuere.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Bartholomaeus a Cruce, praefectus generalis, aliique vocales nuperi capituli generalis Congregationis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in Indiis Occidentalibus, quod, licet in constitutionibus dictae Congregationis a felicis recordationis Innocentio Papa XI. anno MDCLXXXVII. confirmatis praescriberetur, ut officium praefecti generalis eiusdem Congregationis ad sexennium tantum duraret, nihilominus in illius capitulo generali anno MDCCIV. celebrato stabilitum fuerat officium praedictum perpetuum seu ad vitam electi esse debere, ac diversa alia decreta praedictis constitutionibus plane contraria edita fuerant, adversus quae, plurium hospitalium seu domorum dictae Congregationis nomine, habito ad hanc Sanctam Sedem recursu, et negotii cognitione per recolendae memoriae Clementem PP. XI. praedecessorem nostrum Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae demandatâ, et ab eâ tribus eiusdem Congregationis Cardinalibus ad id specialiter deputatis remissâ, re mature discussâ, die XII. aprilis MDCCIX. prodiit ab eiusmodi Congregatione particulari trium Cardinalium decretum tenoris sequentis, nimirum:

Revocatis decretis asserti capituli generalis in eâ parte in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate con-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Haec Congregatio, quae prius erat confraternitas, erecta fuit ab Innocentio XI., et eius constitutiones novae confirmatae constit. edit. MDCLXXXVII., die XXVI. martii, pontif. XI.

firmatis, serventur omnino eaedem constitutiones, et Archiepiscopo Limano pro executione et convocatione capituli, cui praesideat per se sive per alium, cum omnibus facultatibus sacrae Congregationis, et quatenus tunc temporis Archiepiscopus obierit, exequatur et praesideat vicarius capitularis.

Deinde ab eisdem fratribus dictae Congregationi particulari variae instantiae promotae fuere, quae ab eâdem reiectae sunt, et mandatum ut votum proximi capituli generalis exquireretur.

Quod quidem decretum ipse Clemens praedecessor per suas in simili formâ Brevis die XXV. maii MDCCX. expeditas litteras approbavit.

§ 2. Subinde vero coram eâdem Congregatione particulari Cardinalium variae instantiae pro parte procuratorum dictae Congregationis fratrum, qui tunc in almâ Urbe degebant, promotae fuerunt: nempe, quia constitutionibus praefatis expresse cavebatur neminem in eiusmodi Congregatione, qui in aliquo ex sacris ordinibus constitutus foret, admitti, nullumque fratrem ex admissis, vel deinceps admittendis, ad illos promoveri posse, quod tribueretur facultas sacerdotes admittendi, vel fratres ad eosdem sacros ordines promovendi, quodque superioribus ac ipsimet praefecto generali dictae Congregationis interdiceretur, ne qui eidem Congregationi inserviissent, seu donati, ut vulgo appellant, fuissent, in illâ admitterent: et insuper, cum in eisdem constitutionibus disponeretur, convocationem vocalium ad electionem futuri praefecti generalis ad vicarium generalem spectare, et contingere posset dictum vicarium generalem vel decedere, vel legitimo impedimento, quominus ad eiusmodi convocationem procedere valeret, detineri, petitum fuerat decerni quod tunc et eo casu pertineret ad assistentem antiquiorem capitulum generale convocare et illi praesidere: ac demum, eveniente obitu vice-praefectorum generalium provinciarum Limanae aut Mexicanae, seu praefecti cuiuscumque provinciae, praefectus noviter electus munus vice-praefecti generalis ad formam earumdem constitutionum, etiamsi confirmationem suae electionis a memorato praefecto generali nondum obtinuisset, exercere posset. Verum praefata Congregatio particularis Cardinalium huiusmodi instantias ac petitiones die XXXI. ianuarii MDCCX. admittere noluit, sed votum proximi capituli generalis desuper exquiri mandavit. Cumque interim, sub obtentu quod dilectus filius frater Rodericus a Cruce tunc assertus praefectus generalis dictae Congregationis fratrum non fuerat auditus in propositione habitâ die XII. aprilis MDCCIX. coram eâdem Congregatione particulari Cardinalium, carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, retentis supradictis Clementis praedecessoris litteris, partes ad eumdem Clementem praedecessorem, ut ab eo voluntatem suam super praemissis certius explorarent, remisisset, porrectoque ipsi Clementi praedecessori pro parte dilecti etiam filii fratris Michaëlis a Conceptione dicti fratris Roderici procuratoris supplici libello, et iterum commissâ rei cognitione eidem Congregationi particulari Cardinalium, die V. februarii MDCCXIV. emanavit ab eâ decretum per alias ipsius Clementis praedecessoris in pari formâ Brevis die XXII. decembris subsequentis confectas litteras itidem confirmatum, quo, persistendo in decisis quoad revocationem decretorum in capitulo generali anno MDCCIV, ut praefertur, editorum, et convocationem dicti capituli generalis, mandavit per vota secreta in eodem proximo capitulo generali exquiri, num expedire dictae Congregationi fratrum officium praefecti generalis in posterum fore ad sexennium, seu potius novennium, exclusâ omnino illius perpetuitate.

Resolutiones praedicti capituli generalis MDCCXXI. ad cuius votum omnia remissa fuerant.

§ 3. Quamobrem capitulo generali huiusmodi anno MDCCXXI. in civitate Limanâ celebrato, illique praesidente venerabili fratre Archiepiscopo Limano, post peractam electionem dicti praefecti generalis, discussa in eo ac resoluta fuerunt enarrata puncta in hunc modum, videlicet:

Resolutio prima circa tempus generalatus aliorumque officiorum Ordinis.

Fuit primo loco exquisitum votum, an expediret generalis Ordinis durare debere ad novennium vel ad sexennium; et resolutum fuit unanimiter quod deberet esse novennale, et quod omnia pariter officia illorum, qui in capitulo generali eliguntur, prout sunt assistentes generales et assistentes particulares utriusque regni, debebunt etiam esse ad novennium, servatis tamen quoad electionem superiorum localium constitutionibus Ordinis praecipientibus quod istae fiant de triennio in triennium.

Resolutio secunda circa novos praefectos, quoad religiosos ad sacerdotium promovendos.

Postmodum fuit processum ad exquisitionem votorum eiusdem capituli generalis super aliis punctis ad illum remissis a Congregatione particulari die XXXI. ianuarii MDCCX, et fuit secundo loco exquisitum an expediret habere in religione religiosos, qui promoverentur ad sacerdotium; ac communibus suffragiis resolutum fuit expedire sub sequentibus tamen conditionibus: prima,

quod nemo possit promoveri ad sacerdotium nisi post elapsum decennium a die ingressus in religionem; secunda, quod ad effectum se promovendi ad sacerdotium nullâ directe vel indirecte uti possit mediatione alterius personae pro obtinendâ licentiâ a patre generali et assistentibus generalibus, sed proponi debeat a patre vice-praefecto generali et assistentibus, qui debeant patri generali eiusque definitorio illas personas significare, quas huiusmodi dignitatem promoveri posse crediderint; tertia, quod si aliter quispiam ad sacerdotium fuerit promotus, ipso facto incurrat in suspensionem a divinis, a qua nonnisi per summum Pontificem absolvi possit, et habilitatio peti nequeat, nisi praecedente beneplacito definitoris generalis; quarta, quod teneantur quotidie celebrare et applicare sacrificium iuxta intentionem praefecti localis et iuxta obligationes communitatis illius domus, et quod, si pro celebratione aliquam eleemosynam receperint, teneantur illam tradere in manibus ipsius praefecti localis ubi missae celebrantur, vel cuius subditus fuerit ille qui extra conventum celebraverit, sub poenis contra proprietarios inflictis; quinta quod in quolibet conventu non adsint, nisi duo sacerdotes, et in domibus, quae sunt matrices, tres ad effectum supplendi in casum obitus in aliis conventibus; sexta, et casu quo, de licentiâ etiam patris generalis et assistentium, maior numerus promoveretur, sic promoti non possint celebrare nisi superveniente vocatione alicuius loci per obitum alterius sacerdotis; septima, quod sacerdotes, ut supra promoti, debeant in omnibus seqûi vitam regularem ac deferre coronam clericalem ad instar sacerdotum Ordinis S. Ioannis Dei, quodque nunquam nec per breve temporis spatium possint esse praefecti generales, nec ullam praelaturam habere supremam seu ordinariam, nec ex dispensatione patris generalis, nec definitorii generalis, nec cuiuscumque alterius superioris, sed quod solummodo possint esse discreti conventuum, magistri novitiorum, et assistentes provinciae; octava denique, quod si aliquis sacerdos saecularis aegrotus in hospitalibus degens peteret pro suâ devotione admitti ad habitum religionis antequam obiret, possint pater generalis et definitorium concedere licentiam alicui de praefectis localibus pro huiusmodi admissione, accedente tamen consensu illius communitatis, non obstante quod in eodem conventu adsint alii duo sacerdotes ut supra.

Resolutio tertia circa donatos.

Tertio loco exquisitum fuit votum eiusdem capituli generalis, an pater praefectus generalis vel quicumque alius superior possint in religione recipere illos, qui inservierunt eidem religioni, seu fuerint, ut vulgo dicitur, *Donados:* et resolutum extitit per communia suffragia non posse.

Resolutio quarta: Cui convocatio capituli pertineat.

Quarto loco propositum fuit, an in casu obitus praefecti generalis, quando ad eum pertineret convocare capitulum, seu concurrente quocumque alio legitimo impedimento, in aliquo ex istis casibus convocatio capituli pertinere debeat ad assistentem antiquiorem: et pariter resolutum fuit quod in casu obitus patris generalis seu vicarii generalis, vel in casum gravis infirmitatis eos legitime impedientis, seu quacumque aliâ legitimâ causâ concurrente, ius convocandi capitulum generale et in eo praesidendi pertineat ad patrem assistentem generalem antiquiorem, seu, eo impedito, ad alios assistentes, iuxta eorum antianitatem, vel ad alios locales qui sequuntur, attentâ semper eorum antianitate.

Resolutio quinta de praefectis qui nondum confirmationem obtinuerint.

Quinto atque ultimo loco propositum fuit an in casum obitus vice-praefectorum generalium Limae aut Mexici, seu praefecti (1) cuiuscumque alterius provinciae, praefectus noviter electus, etiamsi confirmationem suae electionis a patre praefecto generali adhuc non obtinuerit, possit exercere munus vice-generalis; et similiter per secreta suffragia resolutum fuit quod in casum mortis naturalis uniuscuiusque ex vice-praefectis generalibus, praefectus noviter electus, unâ cum assistentibus generalibus illius regni, gerere ea omnia possit, quae a constitutionibus vice-praefectis generalibus conceduntur, donec adveniat eius confirmatio, quae, si iustis de causis denegata fuerit, adhuc omnia per ipsum gesta valida sint et plenarium suum effectum consequi debeant.

Confirmatio relatarum resolutionum.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatae resolutiones pro salubriori eiusdem Congregationis fratrum directione ac regularis in eâ disciplinae progressu in dicto capitulo generali communi vocalium suffragio factae fuerint, ac exponentes praedicti easdem resolutiones,

(1) Edit. Main. legit *praefectus*.

tametsi aliquae earum supradictis constitutionibus adversentur, apostolicae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii nostri Ludovici ipsius S. R. E. Cardinalis Pici nuncupati, etc., praedictae Congregationis fratrum apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, iura distributa et votum dilecti filii Caroli Augustini dictae S. R. E. pariter Cardinalis Fabroni nuncupati ponentis sibi desuper exhibitae viderunt, consilio, preinsertas capituli generalis resolutiones, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iuxta modum tamen infra dicendum, approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clarius declarantur praedictae resolutiones, eisque quaedam ordinationes adduntur.

§ 5. Ita scilicet, ut, quoad secundam conditionem secundi capitis dictarum resolutionum, imponatur ista lex, nempe quod promovendus proponatur a vice-praefecto et assistentibus, si sit de regno ubi residet idem vice-praefectus; si vero sit de regno ubi residet praefectus generalis, proponatur a superiore et capitulo conventuali domus quae sit de sacerdote providenda: ex tertiâ conditione eiusdem secundi capitis demantur verba illa: « quod peti nequeat habilitatio, nisi praecedente beneplacito definitorii generalis »: ex quartâ conditione omittatur particula *quotidie*: sextae autem conditioni addatur « poenâ privationis vocis activae et passivae respectu superiorum post expletum eorum novennium », et ex illâ dematur suspensio respectu promotorum, dummodo sine eorum culpâ fuerint supra numerum promoti: quo vero ad tertium caput earumdem resolutionum, firmâ remanente prohibitione respectu cuiuscumque superioris, et et additâ poenâ nullitatis professionis, si secus factum fuerit, detur facultas capitulo generali admittendi ad habitum *donatos*, quatenus expedire censuerit: ac demum, quoad quintum caput, addantur verba: « dummodo sacris canonibus ac constitutionibus dictae Congregationis fratrum non sint contraria »: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabilter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac dictae Sedis nuncios iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum derogatoriis.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quoad ea quae praesentibus adversantur, dictae Congregationis fratrum illiusque provinciarum, domorum seu hospitalium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV. maii MDCCXXV., pontificatus nostri anno I.

IX.

Ordinem Tertiariorum de Poenitentia, S. Francisci, *saecularium scilicet, collegialiter viventium atque regularium approbat; eorum privilegia rata habet;*

regimini ministri generalis Minorum subiicit (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium. Paterna Sedis Apostolicae providentia erga pios homines sub habitu humilitatis et poenitentiae Deo famulantes saepe Romanos Pontifices antecessores nostros impulit pro eorum solatio et commodo pridem concessa approbare et renovare, etiam approbata rursus apostolicâ auctoritate munire, ut eo firmiora persisterent, quo saepius essent eiusdem Sedis auctoritate suffulta. Hinc, ut Ordinis Tertiariorum beati Francisci *de Poenitentiâ* nuncupati, qui in tres status, divisus saecularium scilicet, colle-

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Vide inferius eiusdem Pont. const. *Exponi nobis nuper*, quae est XXIX. Meritum Ordinis in universo mundo laudabiliter diffusi requirit hic Nicolai IV. et Leonis X. constitutiones referre, quae regulas approbant.

Approbatio Tertiae Regulae fratrum et sororum Tertii Ordinis a B. Francisco institutae, pro saecularibus in propriis domibus viventibus, Tertiariis nuncupatis.

Nicolaus Episcopus servus sarvorum Dei, dilectis filiis fratribus, et dilectis in Christo filiabus sororibus Ordinis fratrum de Poenitentia, tam praesentibus quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Supra montem catholicae fidei, quam populis gentium, qui ambulabant in tenebris, discipulorum Christi sincera devotio igne caritatis exaestuans, verbo solicitae praedicationis edocuit, quamque Romana tenet et servat Ecclesia, solidum christianae religionis positum noscitur fundamentum, nullis umquam concutiendum turbinibus, nullis quassandum fluctibus tempestatum. Haec est etenim recta, veraque fides, absque cuius consortio nemo in conspectu Altissimi acceptus redditur, nemo gratiosus occurrit. Haec est, quae salutis semitam praeparat, et felicitatis aeternae praemia gaudiaque pollicetur. Ideoque gloriosus Christi Confessor B. Franciscus huius Ordinis institutor, viam ascendendi ad Dominum verbo pariter et exemplo demonstrans, ipsius sinceritate fidei suos filios erudivit, eosque illam profiteri, constanter tenere, similiter ac opere voluit adimplere, ut per eius semitam salubriter incedentes, mererentur post vitae praesentis ergastulum, aeternae beatitudinis effici possessores.

De modo examinandi volentes intrare in ordinem.

CAP. I.

Examen recipiendorum. Nos igitur ordinem ipsum opportunis favoribus prosequentes, ad eius augumentum benignius intendentes, statuimus, ut omnes, quos ad servandum huiusmodi vitae formam assumi contigerit, ante assumptionem seu receptionem ipsorum, de fide catholica et obedientia erga praefatam Ecclesiam diligenti examinationi subdantur. Et si eas professi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, seu recipi tute poterunt ad eamdem. Praecavendum est tamen solicite, haereticus ne quis, vel suspectus de haeresi, aut etiam infamatus, ad vitae observationem ipsius quomodolibet admittatur. Et si talem inveniri contigerit extitisse receptum, assignetur ille quamcitius inquisitoribus pravitatis haereticae puniendus.

De forma recipiendi volentes intrare Ordinem.

CAP. II.

De receptione ad probationem et professionem, ac stabilitate in ordine. Cum autem fraternitatem huiusmodi quis intrare voluerit, ministri ad receptionem talium deputati, eius officium, statum et conditionem solerter explorent, sibi fraternitatis eiusdem onera, et praecipue alienorum restitutionem apertius exponentes. Quibus praemissis, si eidem placuerit, iuxta modum huiusmodi induatur, et de alienis (siqua fuerint apud eam) satisfacere studeat in pecunia numerata, vel secundum exhibitam pignoris cautionem: seque nihilominus proximis reconciliare procuret. Quibus omnibus ad effectum perductis, post unius anni spatium, cum aliquorum discretorum fratrum consilio, si is videbitur ipsis idoneus, recipiatur hoc modo, videlicet, ut promittat se divina praecepta omnia servaturum, ac etiam satisfacturum (ut convenit) de transgressionibus, quas contra hunc vivendi modum commiserit, cum interpellatus ad visitatoris extiterit voluntatem. Et huiusmodi ab eo facta promissio, per manum publicam, in scriptis inibi redigatur. Alio autem modo nullus a ministris recipiatur eisdem, nisi visum eis aliter fuerit, conditione personae, ac ipsius instantia, solicita consideratione discussis. Ordinamus praeterea statuentes, ut nullus post ipsius fraternitatis ingressum de eadem egredi valeat, ad saeculum reversurus. Possit tamen transitum habere liberum ad religionem aliam approbatam. Mulieribus vero viros habentibus (nisi de ipsorum licentia et consensu) non pateat ad consortium dictae fraternitatis ingressus.

De forma habitus, et qualitate indumentorum.

CAP. III.

De habitu et indumentis fratrum et sororum. Fratres insuper ipsius fraternitatis, de humili panno in pretio et colore, non prorsus albo vel nigro, communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per visitatores de consilio ministri ob causam legitimam et apertam, cum aliquo dispensatum. Chlamydes quoque ac pelles, absque scollaturis, scissas vel integras, affibulatas tamen, vel patulas, ut congruit honestati, clausasque manicas fratres habeant supradicti. Sorores etiam chlamyde induantur, et tunica de huiusmodi humili panno factis, vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum, seu placentinum, coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo, sive lino, absque ulla crispatura consutum. Circa humilitatem vero panni et pellitones sororum ipsarum, iuxta conditionem cuiuslibet earumdem, ac loci consuetudinem poterit dispensari. Bindis et ligaturis sericis non utantur, pelles dumtaxat agninas, bursas de corio et corrigias, simpliciter absque serico ullo factas et non alias, tam fratres habeant, quam sorores, depositis caeteris (iuxta B. Petri Apostolorum Principis salubre consilium) vanis huius saeculi ornamentis.

Quod non vadant ad inhonesta convivia et spectacula, et quod histrionibus non donent.

CAP. IV.

De spectaculis et conviviis vitandis. Sit eis ad inhonesta convivia, vel spectacula, sive curias seu choreas, accessus penitus interdictus. Histrionibus, seu vanitatis intuitu nihil donent. Et ne quidquam illis donetur a propria familia, prohibere procurent.

gialiter viventium et regularium, magnos pietatis et doctrinae fructus in Ecclesià Dei semper protulit et quotidie proferre satagit, quieti, regimini atque incremento probe consuleretur, ab iisdem Romanis Pontificibus antecessoribus nostris complures litterae diversis temporibus iamdudum vulgatae fuerunt, in quibus variae gratiae, favores, immunitates, exemptiones, indulgentiae, declarationes, facultates, privilegia et indulta, eisdem immediate et directe, vel etiam per communicationem cum aliis Ordinibus, praesertim fratrum Minorum, concessa, ampliata, extensa et confirmata

De abstinentia et ieiunio.

CAP. V.

De ieiuniis. Ab esu carnium secunda, quarta et sexta feria, dieque sabbati, abstineant universi, nisi aliud infirmitatis instantia suaderet. Minutis vero per triduum carnes dentur, nec subtrahantur in itinere constitutis; sit quoque ipsarum comestio licita singulis cum solemnitatem praecipuam intervenire contigerit, in qua caeteri christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent. Aliis autem diebus, in quibus ieiunium non servatur, ova et caseus non negentur. Sed et cum religiosis caeteris in eorum conventualibus domibus licite sumere valeant de appositis ab eisdem. Sintque prandii, coenaeque refectione contenti, exceptis languidis, et viatoribus et infirmis. Sit sanis cibus moderatus et potus, cum textus evangelicus habeat: Attendite ne corda vestra crapula et ebrietate graventur. Prandium autem vel coena, nisi praemissa semel dominica oratione, non sumatur: post sumptionem cuilibet cum *Deo gratias,* iteranda, quod si omitti contigerit, dicatur tribus vicibus *Pater noster.* Qualiter vero sexta feria totius anni ieiunium celebretur, nisi forte infirmitatis vel alia caussa legitima excusentur, nisi festum Natalis Domini feria ipsa occurreret observandum. Sed a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, quarta et sexta feria ieiunabunt; alia, quae ab Ecclesia sunt statuta, vel ordinariis ex caussa communiter indicta, ieiunia nihilominus servaturi. In quadragesima vero B. Martini usque ad diem Nativitatis Domini, et a dominica Quinquagesimae usque ad Pascha, diebus singulis (exceptis dominicis) ieiunare procurent, nisi aliud fortasse infirmitas vel necessitas alia suaderet. Sorores gravidae, usque ad suae purificationis diem ab exercitatione qualibet corporali (orationibus dumtaxat exceptis) poterunt, si voluerint, abstinere. Laborantes autem (propter fatigationis afficientis instantiam) a Dominicae Resurrectionis festo usque ad festivitatem B. Francisci praedicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbent, licite sumere cibum possunt. Cum vero illos contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appositis, die quolibet sumere licebit eisdem, nisi sexta feria, vel dies sit alia, in qua generaliter ab Ecclesia ieiunium noscitur institutum.

Quoties debeant confiteri per annum, et sumere Corpus Christi.

CAP. VI.

De Confessione et Communione. Singuli autem fratrum et sororum ipsarum, ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Resurrectione ipsius et Pentecostes festivitatibus, peccata propria confiteri, et Eucharistiam devote suscipere non postponant, reconciliando se proximis et restituendo etiam aliena.

Quod non ferant arma impugnationis.

CAP. VII.

De armorum delatione. Impugnationis arma secum fratres non deferant, nisi pro defensione Romanae Ecclesiae, christianae fidei, vel etiam terrae ipsorum aut de suorum licentia ministrorum.

De dicendis horis canonicis.

CAP. VIII.

De horarum recitatione et aliis orationibus. Dicant universi quotidie septem horas canonicas, videlicet, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium. Clerici, videlicet Psalterium, pro Prima *Deus in nomine tuo, Beati immaculati,* usque ad *Legem pone,* ac alios horarum psalmos, iuxta clericorum ordinem cum *Gloria Patri* dicant. Cum vero ad Ecclesiam non accedent, pro Matutino psalmos dicere studeant, quos dicunt clerici vel Ecclesia cathedralis, vel saltem, ut illiterati alii pro Matutino duodecim, et pro alia qualibet hora septem vicibus *Pater noster* cum *Gloria Patri* dicere non omittant. In quibus, videlicet Primae ac Completorii horis, minorem symbolum et *Miserere mei, Deus,* adiiciant qui noverunt. Sed si horis non dixerint constitutis, dicant tribus vicibus *Pater noster.* Infirmi autem horas huiusmodi non teneantur dicere, nisi velint. In quadragesima vero S. Martini, et etiam in maioribus Ecclesiis in quarum parochiis habitant, matutinalibus horis personaliter adire procurent, nisi causa rationabili excusentur.

Quod omnes, qui de iure possunt, faciant testamentum.

CAP. IX.

De testamentis. Omnes praeterea, quibus de iure facultas affuerit, condant seu faciant testamentum, et de bonis suis infra tres menses post eorum ingressum immediate sequentes ordinent et disponant, ne quemquam illorum contingat decedere intestatum.

De pace reformanda inter fratres et alios extraneos.

CAP. X.

De pace. De pace vero inter fratres et sorores aut etiam exteros in discordia positos facienda, sicut ministris videbitur, ita fiet, adhibito (si facultas affuerit) Episcopi dioecesani consilio in hac parte.

Quando molestantur contra ius, aut eorum privilegia.

CAP. XI.

De vexatione contra privilegia. Si vero fratres vel sorores contra ius vel eorum privilegia per potestates seu rectores locorum, ubi domicilium obtinent, vexationibus impetantur, ministri loci ad Episcopos et alios locorum Ordinarios studeant habere recursum, iuxta consilium et ordinationem ipsorum in tabulis processuri.

Quod caveant, in quantum possunt, a iuramentis solemnibus.

CAP. XII.

De iuramentis. A iuramentis autem solemnibus omnes abstineant, nisi necessitate cogente in casibus per indulgentiam Apostolicae Sedis exceptis, videlicet, pro pace, fide, calumnia et testimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis et donationis, ubi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, prout poterunt, iuramenta. Et qui die aliqua minus caute iuraverint lapsu linguae

fuere, prout in ipsis apostolicis litteris plenius et uberius continetur.

Motiva praesentis confirmationis.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, per huiusmodi concessiones, ampliationes, declarationes, extensiones, communicationes et confirmationes, adhuc omnimodae eiusdem Ordinis et illius professorum tranquillitati plene, ut decet, non consulatur, asserentibus nonnullis, gratias et indulta huiusmodi non esse in usu, vel revocata aut restricta fuisse, nec eâ parte subsistere, quae directionem, curam et regimen eorumdem Tertiariorum concernit, sive Tertiarios tantum regulares, seu sub clausurâ,

---

(prout contingere in multiloquio consuevit) die lapso in sero, cum debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus orationem dominicam, propter incaute facta huiusmodi iuramenta. Memor autem sit quilibet, ut ad divina obsequia familiam propriam exhortetur.

De audienda missa et congregatione facienda.

CAP. XIII.

De missa audienda et congregatione facienda.

Universi sani fratres et sorores cuiuscumque civitatis aut loci, diebus singulis (si commode poterunt) Missae officium audiant, et mense quolibet ad ecclesiam sive loca, ad quam, vel ad quae ministri curaverint intimare, conveniant missarum solemnia inibi audituri. Unusquisque autem usualis monetae denarium missario tribuat, qui pecuniam huiusmodi colligat, et eam de consilio ministrorum inter fratres et sorores paupertate gravatos, et praecipue infirmantes, ac eos, qui funeris carere dignoscuntur exequiis, et deinde inter pauperes alios dividant congruenter. Offerant insuper de ipsa pecunia Ecclesiae memoratae. Tuncque (si commode poterunt) virum religiosum et in verbo Dei competenter instructum habere procurent, qui eos ad poenitentiam et misericordiae opera exercenda hortetur, solicite moneat et inducat. Studeat quilibet, dum Missae celebratur officium, et praedicationis verbum proponitur, servare silentium; orationi et officio sit intentus, nisi cum communis utilitas fraternitatis impediat.

De fratribus infirmis et defunctis.

CAP. XIV.

De infirmis et exequiis defunctorum.

Cum autem quemquam ex fratribus infirmari contigerit, ministri per se vel per alium, seu alios (si hoc eis infirmus fecerit intimari) semel in hebdomada, visitare teneantur aegrotum, ipsum solicite ad recipiendum poenitentiam (prout melius et efficacius expedire putaverint) inducentes, necessaria illi de bonis communibus ministrando. Et si praefatus infirmus de praesenti luce migraverit, fratribus et sororibus tunc in civitate vel loco, ubi eum contigerit mori, praesentibus nuntietur, ut defuncti exequiis procurent personaliter interesse. A quibus, donec Missarum fuerint celebrata solemnia, et corpus tumulo conditum, non recedant. Hoc quoque circa sorores infirmas et decedentes volumus observari. Praeterea intra octo dies post ipsius sepulti obitum immediate sequentes, quilibet fratrum et sororum ipsarum dicat pro anima eius, sacerdos videlicet missam unam, sciens psalterium, 50 psalmos, et illiterati totidem *Pater noster*, et in fine cuiuslibet *Requiem aeternam* adiiciant. Et post haec, infra annum pro fratrum et sororum tam vivorum, quam defunctorum salute, tres missas faciant celebrari. Qui vero psalterium sciverint, illud dicant, et caeteri orationem dominicam centies dicere non omittant, *Requiem aeternam* in fine cuiuslibet additури.

De ministris.

CAP. XV.

De officiis recte administrandis.

Ministeria quoque ac alia officia, quae praesentis formulae series exprimit, imposita sibi quisque devote suscipiat, curetque fideliter exercere. Officium autem cuiuslibet certi temporis spatio limitetur. Nullus minister instituatur ad vitam sed eius ministerium certum tempus comprehendat.

De visitatione et correctione delinquentium.

CAP. XVI.

De correctione delinquentium.

Ad haec ministri et fratres ac sorores civitatis, et loci cuiuslibet, ad visitationem communem in aliquo loco religioso, vel ecclesia, ubi locum huiusmodi contigerit deesse, conveniant, et visitatorem habeant sacerdotem, qui alicuius approbatae religionis existat, quique illis de commissis excessibus iniungat poenitentiam salutarem. Nec quivis alius possit eis huiusmodi visitationis officium exhibere. Quia vero praesens vivendi forma institutionem a B. Francisco praelibato suscepit, consulimus, ut visitatores et informatores de fratrum Minorum ordine assumantur, quos custodes vel guardiani eiusdem Ordinis, cum super hoc requisiti fuerint, duxerint assignandos. Nolumus tamen congregationem huiusmodi a laico visitari. Huiusmodi autem visitationis officium semel exerceatur in anno, nisi necessitate aliqua suadente fuerit pluries facienda. Incorrigibiles vero ac inobedientes monitio trina praeveniat. Qui si se corrigere non curaverint, de ipsius congregationis consortio expellantur omnino de consilio discretorum.

De vitandis litigiis inter se et cum aliis.

CAP. XVII.

De litigiis vitandis.

Vitent insuper fratres et sorores (iuxta posse) litigia inter se, illa (si suscitari contigerit) solicite dirimendo: alioquin, de iure coram illo respondeant, apud quem potestas residet iudicandi.

Qualiter et per quos in abstinentiis posse dispensari.

CAP. XVIII.

De dispensatione circa abstinentias.

Ordinarii autem locorum, vel visitator, cum fratribus et sororibus universis, in abstinentiis, ieiuniis et austeritatibus aliis, et caussa legitima (cum expedire viderint) poterunt dispensare.

Quod ministri eorum manifestas culpas denuncient visitatori.

CAP. XIX.

De incorrigibilibus.

Ministri vero manifestas fratrum et sororum culpas visitatori denuncient puniendas. Et si quisque incorrigibilis fuerit, post trinae admonitionis instantiam a ministris (de discretorum fratrum aliquorum consilio) visitatori nuncietur eidem, de fraternitatis consortio abiiciendus ab ipso, et in congregatione postmodum publicandus.

Qualiter in praedictis nemo obligatur ad culpam mortalem.

CAP. XX.

De non observantibus regulam.

Caeterum in praemissis omnibus, ad quae fratres vestri ordinis non ex divinis praeceptis vel statutis tenentur Ecclesiae, nullum ipsorum ad mortalem

vel collegialiter dumtaxat viventes respicere, non autem alios in saeculo commorantes; cum tamen idem Ordo, pro utriusque sexus christifidelibus in ipso saeculo et in coniugio propriisque domibus manentibus a beato Francisco institutus, nonnisi quartodecimo labente saeculo in Italiâ praesertim ad statum religionis fuerit evectus et propterea Tertiarios huiusmodi ab Ordinariis locorum alicubi controversiis et litibus in dies molestari ac perturbari contingat non sine eiusdem instituti et fratrum ipsorum detrimento et quietis iacturâ:

culpam volumus obligari, sed impositam sibi poenitentiam, pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiat, et efficaciter studeat adimplere.

Sanctio poenalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Reate, XVI. kal. septembris, pontificatus nostri anno II.

Institutio Tertiae Regulae pro fratribus et sororibus Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis, de Poenitentia nuncupatis, sub tribus votis essentialibus in communi viventibus.

Leo Papa X. dilectis filiis fratribus et sororibus Tertii Ordinis B. Francisci, sub tribus votis essentialibus in congregatione viventibus.

Exordium. Inter cetera nostro regimini credita, ea nos potissime solicitos reddunt, per quae, fraenatis mundi carnisque concupiscentiis, innocentiae primaeque pacis coelitus tranquillus status ad suam primaevam reduci cognoscitur originem.

Nicolaus IV. Regulam Tertii Ord. a B. Franc. editam confirmavit in sua constitutione. § 1. Dudum siquidem huius gratia fel. rec. Nicolaus PP. IV., praedecessor noster, Tertiam Regul. B. Francisci, quam de Poenitentia appellavit, per quam almus Confessor omnes utriusque sexus fideles, Spiritu Dei plenus, salvare contendebat, confirmavit et approbavit.

Cui Ordini non solum saeculares se addixerunt, sed etiam regulares. § 2. Verum, quia temporis decursu, spirante illo Spiritu Sancto, non solum viri coniugati mundique huius incolae, pro quibus a B. Francisco praefata Tertia Regula edita fuerat, verum etiam innumerarum Virginum chori, tribus essentialibus, et a quibusdam etiam clausurae nostra auctoritate assumptis votis, constructisque monasteriis quamplurimis, non sine militantis Ecclesiae fructu multiplici et aedificatione, praefati Tertii Ordinis iugo sua colla subdiderunt.

Hic ideo Pontifex illam Regulam pro istis regularibus accommodat. § 3. Et quoniam in dicta Tertia Regula quaedam maritatis accommoda, caelibi vero virgineoque statui, sub huiusmodi Tertia Regula Domino famulantibus, minus decentia innectuntur, ob quod castorum animorum nitidi affectus (*) ac, iuxta Domini voluntatem, pretiosum a vili separantes, eamdem Tertiam Regulam, in modum qui sequitur distinctam, de novo confirmamus et approbamus, ac vobis et successoribus vestris servandam transmittimus, cuius tenor sequitur, et est talis.

De novitiorum seu novitiarum ingressu.

CAP. I.

De Novitiorum receptione. Fratres seu sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi debent esse fideles catholici, de haeresi non suspecti, in obedientia Romanae Ecclesiae firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore sani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati. Et de iis omnibus, antequam recipiantur, ab eo, qui recipiendi habet facultatem, sunt diligenter examinandi.

De his, quae debent promittere fratres et sorores in professione huius Tertiae Regulae.

CAP. II.

Fratres et sorores, postquam per unum integrum annum habitum probationis detulerint (qui de vili panno, arbitrio visitatoris, esse debet), si conversatio laudabilis fuerit, apud conventum, in quo quis vel quae habitum probationis portaverit, de consilio discretorum dicti conventus, ad professionem dicti Ordinis recipiatur. In qua professione promittat servare mandata Dei, ac satisfacturum de transgressionibus, quas facere posset in futurum contra hanc Tertiam Regulam, ubi a praelatis requisitus fuerit, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. *Habitu fratrum et sororum et forma professionis;*

De ieiunio.

CAP. III.

Fratres et sorores, perpetuis temporibus, feria secunda, quarta, sexta et sabbato (excepto Dominicae Nativitatis festo) carnes non comedant. Et a festo Omnium Sanctorum usque ad Resurrectionem Domini, omni feria quarta et sexta ieiunare teneantur. Ac similiter, qualibet sexta feria totius anni. Item, a festo B. Martini usque ad Nativitatem Domini, ieiunent quotidie; iniuncta quadragesima universalis Ecclesiae, usque ad Resurrectionem Domini, quam tamen a quinquagesima incipere debent. Diebus vero, quibus non ieiunatur, bis in die dumtaxat comedant, excepto quod a festo Paschae usque ad mensem octobris, laborantes penoso seu gravi labore ter in die refici poterunt, ieiuniorum semper diebus exceptis. Poterunt autem itinerantes, infirmi, debiles, tempore necessitatis, ieiunium solvere. *Ieiunio;*

De divino officio et oratione.

CAP. IV.

Fratres et sorores in ecclesia servent silentium, praesertim quando missa celebratur, vel sermo Dei proponitur. In aliis vero locis servent quod per suos superiores circa silentium illis fuerit ordinatum. Debent etiam quolibet die in sero intra se et Deum cogitare quid fecerint, dixerint vel cogitaverint. Quolibet autem die (si potuerint commode) debent audire missam. Et procurare debent quod habeant virum religiosum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat et eos ad poenitentiam et virtutes inducat. Illi autem vel illae, qui vel quae horas canonicas sciunt per se dicere, debent horas canonicas, secundum usum sanctae Romanae Ecclesiae, persolvere. Qui vero horas canonicas nesciunt dicere, dicant duodecim *Pater noster* pro matutino, et pro qualibet aliarum horarum septem, addito *Gloria Patri* in fine cuiuslibet *Pater noster*, addito etiam *Credo* et *Miserere mei Deus* in principio primae et completorii. Et qui praemissa nescierit, ter *Pater noster* pro poenitentia dicere debeat. Quo- *Silentio, confessione et communione;*

(*) *Waddingus legit:* nitidi affectus ab ingressu dicti Ordinis nonnumquam avertuntur, nos, iuxta Domini etc.

Abolentur motu proprio controversiae hac super re excitatae.

§ 2. Ideo nos, attentâ consideratione pensantes quantum utilitatis catholicae religioni morumque instaurationi per humilitatis suique abiectionis exempla, Ordinis praedicti professores hactenus attulerint, et in posterum, iuvante Domino, afferre valeant; ac proinde volentes, ut decet, eorum conservationi, incremento et tranquillitati uberius providere, motu proprio, non ad ipsorum fratrum aut sororum nec alterius pro his nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate et ex certâ nostrâ scientiâ, ratione eorum, quam profitemur, altissimae paupertatis,

---

ties autem prandium vel cibum sumunt, gratias Deo reddere debent. De confessione vero sacramentali et sacra communione sumenda, servabunt ordinationem Nicolai papae quarti, quod ter in anno confiteantur atque communicent, vel etiam statuta a suis superioribus super hoc ordinata.

De praelatorum et officiorum ordinatione.

CAP. V.

Officiorum ordinatione et subiectioni Ordini fratrum Minorum;

Quaelibet domus, si monasterium virorum fuerit, habebit superiorem istius fraternitatis, qui minister localis appellabitur. Si vero mulierum, mater dicetur, et eligentur per suos conventus, vel instituentur per suos provinciales superiores seu visitatorem generalem. Ita tamen quod nullus sit perpetuus, sed certi temporis. Qui ministri et matres obedient per omnia, quae ad praesentem Regulam spectant, provincialibus ministris Ordinis Minorum B. Francisci et visitatoribus deputatis ab ipsis ministris, quamdiu in dictis officiis fuerint. Quo vero ad alia officia intra domum, servabunt statuta sua.

De modo interius exteriusque conversandi.

CAP. VI.

Qualitate vestium et conversatione;

Cum fratres et sorores huius fraternitatis dicantur de Poenitentia, oportet eos ab omni curiositate, tam in vestibus quam in aliis quibuscumque abstinere. Et, iuxta apostolicum (*) principis beati Petri salubre consilium, depositis certis vanis huius saeculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, nisi solum humile et necessarium tegumentum corporis sui. Debent etiam ab accessu curiarum principum, dominorum seu dominarum, ubi mollia huius mundi (Domino testante) habentur, omnino cavere; nec ullo umquam tempore choreis, ludis, iocis et aliis histrionum vanitatibus interesse. Debent quoque esse parci in verbis et locutionibus, quae raro sine peccato multiplicantur. Et, super omnia, ab omni mendacio et iuramento quocumque, iuxta mandatum Domini, nisi pro pace, fide, calumnia et testimonio perhibendo, cavere debent. Et omni die in sero, inter caetera, debent examinare se si vel mendacium vel iuramentum aliquod fecerint, et pro quolibet ter *Pater noster* dicere debent.

De visitatione et cura infirmorum.

CAP. VII.

Infirmis;

Si quis frater vel soror huius fraternitatis in infirmitate ceciderit, minister domus vel mater, semel quotidie, per se vel per aliam personam visitare teneatur, et de bonis communibus omnia necessaria diligenter faciat illi ministrare. Teneatur quoque infirmum vel infirmam monere ad poenitentiam acceptandam veramque conversionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem et iudicii divini districtionem, simulque divinam misericordiam proponendo.

De visitatione quam praelati debent facere circa fratres et sorores.

CAP. VIII.

Visitatorum officio;

Minister provincialis fratrum Minorum vel visitator eiusdem Ordinis, cui ipse commiserit, visitabit quolibet anno, semel tantum in qualibet domo, cum praesentia seniorum. Et, facta visitatione, non debet intrare officinas nec alia interiora sororum. Ipse autem visitator numquam solus maneat et separatus cum aliqua sorore. Debent autem ministri et matres dicere visitatori defectus, qui correctione indigent. Similiter et alii fratres et sorores. Et si aliqui fuerint incorrigibiles, iudicio discretorum vel discretarum domus, tamquam morbida pecora, eiiciantur de congregatione.

De officio mortuorum.

CAP. IX.

Defunctorum exequiis;

Postquam aliquis frater vel soror ab hac luce migraverit, curabit minister seu mater quod eius exequiae solemniter celebrentur. Quibus exequiis omnes fratres vel sorores alicuius domus, ubi ipsum mori contigerit, personaliter interesse debent, nec recedere debent donec corpus traditum sit sepulturae. Et pro anima cuiuslibet defuncti vel defunctae, infra octo dies, quilibet sacerdos unam missam; scientes autem psalterium, quinquaginta psalmos; nescientes vero psalterium, quinquaginta *Pater noster*, et in fine cuiuslibet *Requiem aeternam* dicere teneantur. In fine autem cuiuslibet anni, seu infra quemlibet annum, quilibet sacerdos tres missas pro defunctis; scientes psalterium, unum psalterium; nescientes vero psalterium, centum *Pater noster* cum *Requiem aeternam* in fine cuiuslibet dicere debeant. Et circa ista officia pro defunctis et alia officia divina in praesenti serie annexa, cura imponitur ministris et matribus ut fideliter persolvantur.

De obligatione contentorum in Regula.

CAP. X.

Obligatione ad tria vota et clausuram.

Omnia et singula in praesenti Regula contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel divino iure aliquis alias esset obligatus. Obligantur tamen fratres et sorores facere poenitentias sibi a superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia, paupertatem, nihil habendo in speciali; castitatem, quia post votum non possunt matrimonium contrahere, nec, sine transgressione, vitiis carnis se immiscere; et obedientiam, quantum ad illa, sine quibus non potest commode ista fraternitas manuteneri. Tenentur etiam ad clausuram servandam illae, quae ipsam expresse servare voluerint. Quod omnibus et singulis conventibus concedimus, dummodo hospitalitas et caritas, quam exercere solent apud infirmos, nullum cum honestate patiatur detrimentum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX. ianuarii MDXXI., pontificatus nostri anno VIII.

(*) *Waddingus, loco* apostolicum... *et* certis, *legit* apostolorum... ceteris.

omnes et singulas lites ac controversias tum in primâ tum etiam in secundâ et ultimâ instantiâ actu pendentes, ac coram quibuscumque iudicibus et tribunalibus, quantumvis exemptis et privilegiatis, etiam praeviâ commissione manu nostrâ signatâ, vel coram palatii apostolici causarum auditoribus, aut sacris congregationibus, necnon nostris et Sanctae Sedis de latere legatis actas, ipsasque, earumque status, nomina et cognomina iudicum et conlitigantium, aliorumque necessario exprimendorum qualitates et circumstantias, praesentibus litteris pro sufficienter expressis habentes et ad nos advocantes, harum serie extinguimus, cassamus et abolemus, perpetuumque silentium de cetero eis imponi volumus et mandamus.

Confirmatio praedicta gratiarum omnium et privilegiorum.

§ 3. Quascumque insuper litteras et gratias tam spirituales quam temporales, concessiones, indulgentias, exemptiones, indulta, privilegia, communicationes, extensiones, libertates, praerogativas, favores, peccatorum remissiones et similia, tam in genere quam in specie, fratribus et sororibus praedictis de Poenitentiâ, eorumque monasteriis, domibus, conservatoriis, aut aliis quovis nomine nuncupatis habitationibus, ecclesiis etiam, oratoriis et capellis, vel immediate et directe, aut etiam per communicationem cum aliis Ordinibus et praesertim fratrum Minorum, a Romanis Pontificibus antecessoribus nostris quomodolibet concessa (quorum tenorem, ac si de verbo ad verbum his nostris litteris insereretur, haberi volumus pro expresso) harum serie approbamus et confirmamus, ac, pro potiori cautelâ, apostolicâ auctoritate singula de novo concedimus et largimur.

Declaratur praedictus Ordo Tertiariorum verus et proprius Ordo regularis.

§ 4. Ut vero detractorum calumniis adversus hunc Ordinem, quantum nobis ex alto conceditur, occurramus, antecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui hunc vivendi modum et formam approbarunt vel confirmarunt aut etiam summis laudibus extulerunt, nos eumdem sanctum, meritorium et christianae perfectioni conformem, necnon verum et proprium Ordinem, unum in toto orbe, ex saecularibus aliisque collegialiter viventibus et regularibus promiscue compositum, ut a quacumque confraternitate ex comprehensis in Bullâ recolendae memoriae Clementis PP. VIII. omnimode distinctum, utpote qui sub propriâ regulâ ab hac Romanâ Sede approbatâ, cum novitiatu, professione et habitu, sub certis modo et formâ, prout ceteri Ordines tum regulares tum militares et alii huiusmodi consueverunt, dispositus reperitur, fuisse semper et esse decernimus et declaramus. Atque motu simili regulam praedictam a felicis recordationis antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Nicolao IV. pro Tertiariis utriusque sexus et cuiuscumque status, sive ecclesiastici sive laicalis, quomodocumque in saeculo sub proprio tecto ac in coniugio ipso degentibus, XVI. kalendas septembris MCCLXXXIX. approbatam, a Clemente V., III. kalendas septembris MCCCVIII., atque a Gregorio XI., VIII. idus februarii MCCCLXXII., aliisque in formâ specificâ confirmatam, nec non per Leonem X., pro personis tria substantialia vota emittentibus, accommodatam et appropriatam per quasdam suas litteras incipientes: *Inter ceteras* etc., sub datum Romae XX. ianuarii MDXXI. nos denuo approbamus et confirmamus, atque apostolicâ auctoritate perpetuum firmitatis robur adiicimus.

Confirmantur et renovantur litterae quaecumque apostolicæ, quibus Tertiarii praedicti iurisdictioni et regimini ministri generalis totius Ordinis Minorum subiiciuntur.

§ 5. Sed quia accidit olim, et non sine animi nostri dolore in dies etiam didicimus evenire, ut fratres dicti Ordinis, saeculares praesertim, ministri generalis totius Ordinis Minorum et provincialium respective, quorum curae et iurisdictioni haec Sancta Sedes eos subesse voluit, obedientiam et regimen detrectantes, et non parere, ut debent, sed imperare, quod non possunt, saepius affectantes, omnia susque deque vertant, regulamque praedictam ac statuta, atque adeo nostrorum etiam antecessorum constitutiones, quamvis contraria intendentes atque praecipientes, inflectant in sensus suos, et multoties Ordinariis locorum, aut suâ sponte, aut ad eorum fratrum Tertiariorum instantiam, mittentibus et quo prohibiti sunt, extendentibus manum in non suam hanc messem, pro bonâ fruge, quae, ut desideranda est, etiam expectanda esset, zizania tantummodo producantur: nos, memoriâ recolentes primum hunc Tertii Ordinis statum, saecularium nempe sub proprio tecto degentium, dum institutis suis obedienter insisteret, non tantum pravos populorum mores in melius reformasse, sed etiam sanctitatis egregiae fructus uberrimos protulisse, cupientesque ipsum ad pristinae observantiae, quem tenuit apicem, revocare, motu simili deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque litteras apostolicas, per quas aliqua superioritas, praeeminentia et auctoritas in eiusdem instituti fratres et sorores prima-

rio ministro generali praedicto totius Ordinis Minorum aliisque secundariis superioribus conceditur et tribuitur, praesentium tenore non solum approbamus et confirmamus, verum et concessa renovamus, ac robur perpetuae firmitatis obtinere debere decernimus et mandamus, speciatim vero quae in litteris Innocentii Papae IV. incipientibus: *Vota devotorum* etc., sub datum Lugduni idibus iunii MCCXLVI. in aliis Nicolai IV. incipientibus: *Unigenitus Dei filius* etc., sub datum apud Urbemveterem VI. idus augusti, MCCXC. in aliis Martini V. incipientibus: *Licet inter cetera* etc., sub datum Romae IX. decembris MCDXXVII., in aliis Sixti IV. incipientibus: *Romani Pontificis providentia* etc., sub datum Romae XVIII. kalendas ianuarii MCDLXXI., in aliis Alexandri Papae VI. incipientibus *Exponi nobis* etc., sub datum Romae XVI. maii MD., in aliis Iulii II. incipientibus: *Exponi nobis fecistis* etc., sub datum Romae XV. octobris MDVII., in aliis Leonis X. incipientibus: *Superioribus diebus* etc., sub datum Romae XIV. maii MDXVII., in aliis denique beati Pii Papae V. incipientibus: *Ea est officii nostri* etc., sub datum Romae V. nonas iulii MDLXVIII., continentur, auctoritate et tenore praemissis de novo confirmamus et renovamus.

Extenduntur ad universum Tertiariorum Ordinem quaecumque indulta respicientia huiusmodi regimen, pro unâ vel alterâ congregatione evulgata.

§ 6. Extendimus deinde ad universum Tertii Ordinis gregem quaecumque apostolica indulta aut privilegia regimen et directionem huiusmodi respicientia, pro unâ vel altera congregatione in particulari aliàs vulgata, et, speciatim, quae pro Tertiariis Ferrariae in quibusdam Ioannis in suâ obedientià nuncupati XXIII., incipientibus: *Cum privilegiis et litteris apostolicis ambigitur,* sub datum Bononiae XVI. kalendas iulii MCDXIV., et aliis Pii II. pro Tertiariis regnorum Castellae, incipientibus: *Pia Deo et Ecclesiae desideria* etc., sub datum apud abbatiam S. Salvatoris Clusii III. idus iulii MCDLXII., aliis etiam Pauli III. pro Tertiariis universae Hispaniae incipientibus: *Exponi nobis* etc., sub datum Romae XIV. sept. MDXXXVII., aliisque eiusdem Pauli III. similiter pro Hispaniis, incipientibus: *Ad fructus uberes* etc., sub datum Romae V. nonas iulii MDXLVII. ac aliis Alexandri VII. pro Hispanis incipientibus: *Exponi nobis* etc., sub datum Romae XXVIII. iulii MDCLVII., sicuti et aliis Innocentii XIII. pro Brasiliis, incipientibus: *Ordines et Congregationes* etc., sub datum Romae XXIII. ianuarii MDCCXXIV., edita et publicata fuere, omnia, et similia directionem et regimen Ordini fratrum Minorum attribuentia, apostolicâ auctoritate confirmantes, ad gregem ipsum universum extendimus et ampliamus.

Praescribitur universis Tertiariis ut observent et recognoscant in ipsorum Ordinis caput ministrum generalem totius Ordinis Minorum.

§ 7. Mandamus propterea universis et singulis huiusmodi instituti professoribus, per universum mundum existentibus, praesentibus et futuris, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, ac tam in saeculo sub proprio tecto vel in coniugio ipso, quam collegialiter congregatis, aut etiam sub clausurâ sub tribus votis essentialibus degentibus, ut, sicuti cum primo et secundo Ordine, Minorum scilicet et Clarissarum, unum et eumdem institutorem, auctorem et patriarcham habent, ita unum et eumdem ipsiusmet fundatoris legitimum successorem veluti patrem et caput totius seraphici gregis, atque trium Ordinum beati Francisci primarium generalem honorent, observent et recognoscant, eiusque secundarios delegatos, sive provinciales, sive guardianos, aut etiam commissarios visitatores, tamquam suos legitimos et veros superiores venerentur, itaut ipsorum iudicio in dubiis et controversiis circa regulam et statuta se conforment, atque in iis omnibus, quae concernunt Ordinem ipsum, nec regulae sunt contraria, illis pareant et obediant: quod si secus fecerint, ab eisdem cassari atque habitu spoliari possint, imo nullis proinde Tertiariorum gratiis et privilegiis gaudere decernimus et iubemus. Non intendimus tamen per hoc Tertiariis regularibus Italiae praeiudicium aliquod inferre, aut in aliquo derogare constitutioni felicis memoriae Sixti Papae V. antecessoris nostri incipienti: *Romani Pontificis providentia* etc., sub datum Romae XXIX. martii MDLXXXVI., sed eam in suo robore permanere decernimus, imo, pro potiori cautelâ, ipsam denuo confirmamus, idem omnino statuentes circa moniales tria vota essentialia emittentes aut etiam Tertiarias alias in conservatoriis communiter tantum viventes, ut scilicet, pleno iure, visitationi, correctioni et directioni fratrum Minorum subiaceant, nisi aliter ab hac Sede reperiatur specialiter ordinatum.

Conceditur praedicto ministro generali auctoritas et iurisdictio super Ordine praefato.

§ 8. Iniungimus autem eidem generali ministro totius Ordinis, ut, beati Francisci patris sui vestigiis inhaerendo, ubilibet, intra provincias per universum Orbem eisdem commissas, huiusmodi Tertii Ordinis congregationes saeculares, tam fratrum quam sororum, per patentes litteras suas

vel sui commissarii generalis erigere, ipsasque sic erectas, iuxta constitutiones seu statuta a felicis recordationis Paulo Papa III. antecessore nostro approbata, vel secundum, alia in *Speculo Seraphico* contenta atque Directorio trium Ordinum inserta, necnon per recolendae memoriae Innocentios PP. XI., XII. et XIII. confirmata, quae etiam praesentium tenore renovamus et approbamus, confovere et moderari curet studeatque, nisi tamen eidem generali ministro et capituli generalis patribus aliud in Domino videbitur expedire: quibus propterea plenum ius ac liberam auctoritatem ea innovandi, immutandi, augendi aut minuendi, ac alia de cetero statuendi, quae bonum dicti gregis regimen concernere possunt, dummodo tamen regulae praefatae sacrisque canonibus non adversentur, ad tenorem litterarum Clementis Papae VII. incipientium: *Dum uberes fructus* etc., sub datum XV. martii MDXXVI., perpetuis futuris temporibus facultatem facimus atque largimur. Insuper, dicti Ordinis profectum et incrementum prae oculis habentes, ac praedictis praedecessorum nostrorum constitutionibus inhaerentes, eidem generali ministro, privative quoad alios quoscumque, concedimus, ut per secundarios superiores, ad id opportunâ et necessariâ facultate suffultos, utriusque sexus christifideles iuxta morem dicti Ordinis recipere, commissarium etiam visitatorem seu confessarium, moribus, vitae sanctimoniâ et aetate idoneum, qui ipsis ecclesiastica sacramenta ministret, ac de praeceptis regulae instruat, congregationes seu congressus convocet, et in ipsis ac aliis quibuscumque actibus et functionibus praesideat; duplex etiam in paritate suffragium ferat, assignare possit ac valeat; necnon easdem congregationes et earum domos, conservatoria, hospitalia, capellas et oratoria, opportunis temporibus, vel per seipsum, vel per ministros provinciales aut etiam commissarios visitatores, seclusis locorum Ordinariis et aliis quibuscumque personis cuiusvis status, gradus vel conditionis existant et quacumque auctoritate fungantur, visitare ac instruere, et paterne corrigere ac reformare, tam in capite quam in membris, ad cassationem usque mantelli et habitus, quae correctionis aut reformationis officio congnoverit indigere, aliaque ad bonum dicti Ordinis, iuxta eius constitutiones, ordinare et exequi, sicuti in Domino expedire animadverterit, et speciatim, ut, quoties sibi placuerit, per visitatores suos, libros et rationes reddituum ac bonorum ipsarum congregationum examinare et recognoscere possit, quin in eorum administratione aut eleemosynarum receptione vel distributione se ingerant; sed tantum, an videlicet deputati et officiales piis operibus ac legatis, oneribusque praefatae congregationi iniunctis atque impositis, debitis modo et formâ et opportuno tempore satisfaciant, concedimus et indulgemus; et, pro potiori cautelâ, piae memoriae Innocentii Papae XI. dispositionem per suas litteras in forma Brevis incipientes: *Exponi nobis* etc., sub datum Romae X. februarii MDCLXXXVIII., circa rationem reddituum per omnia monasteria monialium eorumque exactores superioribus Ordinis Minorum reddendam, expresse confirmamus, et ad universas Tertii Ordinis congregationes, sive fratrum saecularium sub proprio tecto, sive etiam sororum collegialiter viventium, extendimus et renovamus.

Ordinationes nonnullae pro recto eorumdem regimine.

§ 9. Volumus proinde, ut Tertiarii ipsi sub proprio tecto viventes in omnibus se praebeant huius saeculi contemptores, atque eorum exemplo ceteri alliciantur et ad humilitatem incitentur, ut sub propriâ cruce fratrum Minorum ad publicas processiones et ad associanda cadavera aliasque ecclesiasticas functiones se conferre, et sub proprio habitu per Ordinis constitutiones designato incedere valeant ac possint, tenore praesentium concedimus et largimur, praecipientes pariter, ad evitanda iurgia et contentiones, omnibus et singulis, etiam inter subditos praedicti generalis ministri comprehensis, et facultate pro fundandis Tertiis Ordinibus saecularibus praedictis per Sedem Apostolicam concessâ gaudentibus, ne, quocumque praetextu, audeant uti huiusmodi privilegio ubicumque Tertium Ordinem repererint iam fundatum, eoque minus iam fundatas Tertii Ordinis congregationes ad se recipere, si a conventu recedere, apud quem et sub cuius directione ac gubernio erecti prius inveniuntur, recedere voluerint. Propterea declaramus omnia irrita et mera attentata, quaecumque ab aliis, praeter voluntatem antedictorum superiorum Ordinis Minorum, circa Tertios Ordines istos aut innovari aut mandari contigerit contra hanc nostram constitutionem, Tertiosque Ordines memoratos in posterum erigendos, ubi iam alii erecti et fundati sunt, aut a conventu, apud quem existunt, transferendos

ad alium, praesertim eidem generali ministro nequaquam subiectum, inter Tertios Ordines approbatos ab Apostolicâ Sede habendos non esse, minusque gaudere indulgentiis et privilegiis Tertio huic Ordini per eamdem Sedem Apostolicam impertitis.

Confirmantur, ac denuo conceduntur Ordini universo indulgentiae omnes et gratiae concessæ antea uni vel alteri eiusdem Congregationi.

§ 10. Ut autem christifideles sacrum hoc institutum ferventius quaerant, et inventum non dimittant, libentiusque vacent exercitiis pietatis et humilitatis a beato Francisco in regulâ suâ praescriptis, omnes et singulas concessiones et gratias, tam spirituales quam temporales, indulgentias praesertim, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros uni vel alteri congregationi Tertii Ordinis huiusmodi, sive saecularium, sive collegialiter viventium, sive etiam religiosorum, eorumque personis atque monasteriis, domibus, conservatoriis, ecclesiis, hospitalibus, capellis et locis quibuscumque, tam directe et specifice, quam etiam per communicationem cum aliis Ordinibus, Minorum scilicet, S. Clarae, Praedicatorum, Augustinianorum, Carmelitarum, aliorumque Mendicantium, necnon cum archiconfraternitatibus Cordigerorum et Gonfalonis de Urbe, sub quacumque formâ et expressione verborum concessas, approbamus et confirmamus, atque de novo concedimus et largimur; singulatim vero illas quae leguntur in litteris felicis memoriae antecessorum nostrorum Clementis Papae V. incipientibus: *Cum illuminatum sit* etc., sub datum VIII. maii MCCCV., et aliis Sixti Papae IV. incipientibus: *Sacri Praedicatorum et Minorum fratrum Ordines* etc., sub datum kalendis augusti MCDLXXIX., in aliis Leonis X. incipientibus: *Dudum per nos accepto* etc., sub datum X. dec. MDXIX., atque etiam aliis Clementis VII. incipientibus: *Ad uberes* etc., sub datum MDXXVI., sicuti et aliis Pauli Papae III. incipientibus pariter: *Ad uberes fructus* etc., sub datum VIII. novembris MDXXXIV., aliis etiam Clementis PP. VIII. incipientibus: *Ratio pastoralis officii* etc., sub datum XX. decembris MDXCVII., atque aliis Pauli Papae V. incipientibus: *Cum certas* etc., sub datum XI. martii MDCVII. Eas praeterea, quae aliis quamplurimis continentur, ut Innocentii Papae XI. incipientibus: *Universis* etc., sub datum XXX. septembris MDCLXXXI., et *Ecclesiae catholicae* etc., XXVIII. iunii MDCLXXXVI. atque etiam: *Exponi nobis* etc., V. septembris, et *Aliàs emanavit* etc., X. octobris eiusdem anni, necnon *Exponi nobis* etc., XV. maii MDCLXXXVIII., sicuti et aliis Innocentii Papae XII. incipientibus: *Ad ea* etc., sub datum XXIV. decembris MDCXCII., *Et debitum* etc., sub datum XIX. maii MDCXCIV., necnon *Sua nobis* etc., XVII. kalendas ianuarii MDCXCV., et *Cum sicut dilectus* etc., XXI. novembris MDCXCVI., atque *Exponi nobis* etc., III. decembris MDCXCVII., sicuti *Ex debito pastoralis* etc., (1) quaeque aliis aliorum Romanorum Pont. praedecessorum nostrorum litteris in favorem dicti Ordinis expeditis continentur, auctoritate et tenore praemissis renovamus et confirmamus.

Clausulae speciales pro huius constitutionis observatione.

§ 11. Decernentes, has nostras litteras apostolicas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque totos, plenarios et integros effectus obtinere et sortiri debere, ac ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat et in futurum spectabit, firmiter et inviolabiliter observandas, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite et qualibet causâ quantumvis piâ, legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod Tertii Ordines praedicti, et quicumque in praemissis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione ius vel rem habentes aut habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati et auditi fuerint, et causae, propter quas eaedem praesentes litterae prodierint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quolibet, alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo, solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint; aut ex quocumque alio capite, a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliàve causa quantumvis iusta, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nusquam appareret, seu

(1) In edit. Mainardi et taurinensi plura desunt quae in Cherubini inveniuntur iuxta originalem cum quo collat. est haec const.

aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine concesso, impetrato seu vulgato uti vel se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes litteras apostolicas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore extituros, et Sedem Apostolicam praedictam, etiam in crastinum assumptionis eorumdem successorum ad summi apostolatus apicem, vel aliàs motu proprio et ex certâ scientiâ, ac consistorialiter, et ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi de eisdem praesentibus litteris apostolicis eorumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et concessis ac faciendis et concedendis, comprehensas, sed semper et omnino ab illis exceptas, et, quoties illae prodierint, toties in pristinum et validissimum ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ concessas esse et fore, sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, ac alios quomodolibet quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quovis iudicio et quavis instantiâ iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputantur executores harum literarum.

§ 12. Quocirca dilecto filio actuali ministro totius Ordinis Minorum, eiusque successoribus pro tempore extituris, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, vel per se, vel per suum commissarium generalem, sive per iudices, conservatores ipsius Ordinis, aut etiam per alios quoscumque sibi benevisos et ab ipso delegatos, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ, tamquam commissarius apostolicus ad hunc effectum specialim delegatus, easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari; omnesque et singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt, praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittens illos super his a locorum Ordinariis, aut ab alio quocumque quavis auctoritate fungente, quomodolibet et indebite molestari, perturbari vel inquietari; nullum et insubsistens declarans quidquid sit aut fuerit in contrarium factum; divisiones, obstacula et perturbationes inter praefatum Tertium Ordinem, praesertim saecularium, et contra ipsos tertiarios, praedicto Ordini Minorum, ut praemisimus, subiectos, insimulque rebelliones ac sublevationes adversus superiores et religiosos primi Ordinis, eorumque in praedictum Tertium Ordinem superioritatem, correctionem, iurisdictionem et privilegia, sub quocumque praetextu, ratione vel causâ exortas, latas et deductas non permittens; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio omnium amplissima.

§ 13. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusdam forsan in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Tertii Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privile-

giis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque; et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium eorumdem praemissorum concessis, approbatis, innovatis et confirmatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu proprio ac consistorialiter, et ex certâ scientiâ deque apostolicae potestatis plenitudine pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum, nisi huiusmodi derogationes consistorialiter factae et per diversas litteras intimatae fuerint; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis ac specificatis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime, ac sufficienter, necnon specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 14. Volumus praeterea ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis ministri vel commissarii generalis dicti Ordinis sive notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri vel commissarii aut procuratoris generalis ipsius Ordinis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, concessionis, extensionis, ordinationis, largitionis, decreti, voluntatis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV., IV. idus decembris, pontificatus nostri anno II.

X.

Praescribit ut puellis neophytis conservatorii catechumenorum quotannis subsidia dotalia archiconfraternitas Annunciationis B. M. V. praestet (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur puellis praedictis tenue dotis subsidium esse.

§. 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum deputatorum domus piae catechumenorum iuxta ecclesiam B. M. ad Montes nuncupatam de Urbe positae, nobis expositum fuit, quod, cum puellis seu mulieribus neophytis in conservatorio catechumenorum degentibus nullum aliud dotis subsidium, quo in Domino vel in saeculo nubere valeant, quam viginti quinque scutorum monetae, quod ab ipsis exponentibus illis assignari solet, ac eleemosyna aliorum septuaginta circiter scutorum paris monetae per nos ac Romanos Pontifices pro tempore existentes eisdem elargiri consueta suppetat, dictaeque neophytae, utpote de gentilitatis et infidelitatis tenebris ad veri luminis, quod est Christus, cognitionem noviter conversae, longe difficilius opportunas nuptias seu matrimonium contrahendi occasiones, quam aliae mulieres in sanctae matris Ecclesiae gremio ortae, sicut experientiâ ipsâ compertum est, inveniant, ac proinde eas in conservatorio praefato, cum ingenti dispendio ac incommodo diu retinere et alere oporteat, itaut, occupatis per eas omnibus dicti conservatorii mansionibus, locum inibi, quo novae catechumenae illud ingredi volentes recipiantur, quandoque deesse contingat; multum vero levamenti eidem conservatorio proveniret, si quatuor dotes seu subsidia dotalia, ex illis quae ab archiconfraternitate Annunciationis B. M. Virginis in ecclesiâ eiusdem S. Mariae super Minervam de Urbe prae-

(1) Ex Regest. in Arch. Brevium.

fatâ canonice institutâ distribui solent, neophytis praedictis annis singulis praestarentur, quemadmodum puellis plurium aliorum conservatoriorum de eàdem Urbe ex diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum indultis seu concessionibus quotannis praestari consueverunt; inde enim fieret ut dictae neophytae huiusmodi subsidiis adiutae in religionem vel matrimonium facilius collocarentur, atque conservatorium praedictum gravi onere et impensâ liberaretur, et novae catechumenae earum loco in idem conservatorium commode recipi valerent: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praeceptum praedictae archiconfraternitati Annunciationis ut quatuor subsidia dotalia praestet.

§ 2. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus administratoribus, officialibus seu ministris quocumque nomine nuncupatis dictae archiconfraternitatis Annunciationis B. M. Virginis, ad quos ea res spectat et pro tempore spectabit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ut ipsi quatuor subsidia dotalia quadraginta scutorum monetae praedictae pro quolibet ex illis, quae per eamdem archiconfraternitatem pauperibus puellis dispensantur, unâ cum pretio vestis eis dari solitae, totidem neophytis conservatorii catechumenarum praedictarum, in causam earum matrimonii vel monachatus, singulis annis realiter et cum effectu praestent et assignent, seu praestari et assignari curent; ita tamen ut, si unquam propter considerabilem eiusdem archiconfraternitatis redditinum diminutionem cetera subsidia dotalia, quae dicta archiconfraternitas aliis puellis distribuere solet, diminui contigerit, pari modo praedicta quatuor subsidia, salvo tamen earum numero praefato, diminui debeant.

Conceditur Cardinali Corradino protectori facultas disponendi de quatuor subsidiis dotalibus huiusmodi.

§ 3. Quatuor autem subsidiorum dotalium huiusmodi praestatio et assignatio ita fieri debeat, ut totidem neophytae conservatorii praefati nullatenus a memoratis eiusdem archiconfraternitatis administratoribus, officialibus seu ministris visitentur, eligantur seu nominentur, sed illarum electio seu nominatio ac omnimoda de quatuor subsidiis dotalibus huiusmodi disponendi facultas ad dilectum filium nostrum Petrum Marcellinum S. R. E. presbyterum Cardinalem Corradinum nuncupatum prodatarium nostrum modernum ac pro tempore existentem eiusdem S. R. E. Cardinalem dicti conservatorii protectorem, cuius erit eas neophytas eligere seu nominare, quas vitae ac morum honestate, aetate, aliâve ratione ceteris antecellere in Domino censuerit, penitus pertineat; ubi vero a Cardinali protectore praedicto electio seu nominatio, ut praefertur, facta fuerit, cedulae subsidiorum huiusmodi promissoriae, quae sane liberae prorsus et absque ullo vinculo aut conditione iuxta modum a memorato Cardinali protectore praescribendum faciendae erunt, unâ cum pretio vestis, sicut praemittitur, dari solitae, dicto Cardinali protectori consignari debeant, penes eum seu alios de eius mandato asservandae donec et quousque iisdem neophytis sic electis seu nominatis, cum nimirum eas in religione vel matrimonio iuxta earum vocationem collocari contigerit, tradantur; ita scilicet, ut, si quae ex illis, quae sic electae seu nominatae fuerint, bonum sui specimen praebere non perrexerint, qua in re memorati Cardinalis protectoris iudicio standum erit, illae a commodo et beneficio eorumdem subsidiorum dotalium sibi assignatorum cadant, nec illa seu illorum cedulas petere, consequi et obtinere valeant, sed subsidia illis assignata, seu illorum cedulae huiusmodi, quemadmodum etiam illa, quae ob neophytarum, quibus assignata erant, mortem ante earum matrimonium vel monachatum respective secutam, sive ob aliam rationem, effectum suum sortita non fuerint, aliis neophytis eiusdem conservatorii per dictum Cardinalem protectorem nunc et pro tempore existentem pariformiter eligendis seu nominandis assignantur, nec ista in eorum numero, quae neophytis praedictis, sicut praemittitur, quotannis assignari debent, ullatenus computari, sed novae cedulae illorum promissoriae a supradictis administratoribus, officialibus seu ministris, ad favorem aliarum neophytarum, per Cardinalem protectorem praedictum, ut praefer-

tur, subrogandarum seu nominandarum, fieri eidemque Cardinali protectori modo et formâ supradictis consignari debeant.

Conceditur puellis praedictis ne teneantur interesse publicis functionibus fieri solitis hac de causâ.

§ 4. Ceterum quaecumque conservatorii huiusmodi neophytae, quae ad subsidia dotalia praedicta, sicut praemittitur, admissae seu nominatae fuerint, processionibus aliisque publicis functionibus in distributione eorumdem subsidiorum dotalium aut illorum occasione fieri solitis interesse minime teneantur, sed intra idem conservatorium sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere, aliave pia opera, sive a dictae archiconfraternitatis statutis, sive a quorumvis testatorum et piorum largitorum dispositionibus iniuncta, adimplere possint et debeant. Eisdem vero neophytis, statim ac matrimonium contraxerint, quod quidem parochi attestatione a duobus ex deputatis domus piae praedictae subscriptâ probari sufficiat, vel in aliquo monialium monasterio professionem regularem per ipsas moniales emitti consuetam expresse emiserint, subsidia dotalia eis ut praefertur assignata, libere, prompte, nullâque interpositâ morâ, et absque ullâ cautione persolvantur. Singulas demum neophytas praefatas ad plura quam duo ex quatuor subsidiis dotalibus supradictis per memoratum Cardinalem protectorem nequaquam admitti seu nominari posse, harum serie statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac neophytis conservatorii praedicti in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac supradictorum testatorum (1) et piorum largitorum (2) ultimis voluntatibus, quas propter praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae archiconfraternitatis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII. ianuarii MDCCXXVI., pontificatus nostri anno II.

XI.

Nonnullas largitur indulgentias fidelibus ecclesias Ordinis Eremitarum S. Augustini Excalceatorum in regno Tunkiñi visitantibus, vel eis praefinitas preces determinatis diebus recitantibus (3).

BENEDICTUS PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio Indulgentiae plenar. visitantibus dictas ecclesias die festo titularium earumdem.

§ 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ caritate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Excalceatorum nuncupatorum in regno Tunkini existentium die festo titulari respective earumdem ecclesiarum a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi respective singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; iis vero, qui litaniis B. M. V. in aliqua ex dictis ecclesiis et oratoriis eorumdem fratrum in dicto regno existentibus singulis sabbatis, singulisque eiusdem

Et pro iis, qui interfuerint litaniis in dictis ecclesiis recitandis.

---

(1) Edit. Main. habet *testamentorum*.
(2) Particulam *et* hinc abiicimus.
(3) Ex Bull. de Prop. Fide vol. II., pag. 60, collat. etc.

B. M. V. Immaculatae festis diebus decantandis seu recitandis devote interfuerint, et ibi ut supra oraverint, qua vice praedictarum id egerint, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCCXXVI., pontificatus nostri anno II.

XII.

Episcopum Horreen. mittit Vicarium Apostolicum in insula maris Mexicani praesertim Antillas et Caraybes in aliasque regiones Americae Meridionalis, ubi Evangelium Christi praedicatum non est, cum auctoritate erigendi Seminarium, et cum facultatibus formulae primae exercendis in aliis quoque locis, circumscriptis tamen et cum definitis conditionibus (1).

Venerabili fratri Nicolao Episcopo Horreen.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Speculatores domus Israel super cathedram Principis Apostolorum, inscrutabili divinae providentiae arcano constituti, ad universam, quae sub caelo est, ex omni tribu et linguâ et populo et natione gentium multitudinem, mentis nostrae oculos iugiter circumferimus et, quantum in nobis est, a solis ortu usque ad occasum laudari ac praedicari nomen Domini summopere cupimus, adeoque etiam ad remotissimas ab hac S. Sede regiones pastoralis vigilantiae nostrae curam intendimus, ut ibidem christiana fides quotidianâ infidelium accessione latius propagetur, et quo recens inducta fuerit, magis in dies, benedicente Domino, stabiliatur.

§ 1. Hinc est quod nos ad populos, qui insulas maris Mexicani, ac praesertim de Antilles et Caraybes nuncupatas, eaque praecipue loca Americae Meridionalis, quae fluvius Orignoc seu Paria alluit, usque ad iuga montium quibus eadem loca concluduntur, ab ostiis nempe ipsius fluminis ad eius originem, seu a secundo grado latitudinis meridionalis usque ad decimum circiter gradum latitudinis septemtrionalis incolunt et, sicut accepimus, hactenus sui iuris existunt, neque alicuius catholici principis ditioni subsunt, ac ut plurimum adhuc gentilitatis et infidelitatis tenebris detinentur, utpote apud quos necdum annunciatum est Christi Evangelium, nec ulli episcopatus erecti, nec Vicarii Apostolici directi fuerunt, mentis nostrae aciem ac studia nostra convertentes, eisque de idoneo Vicario Apostolico, qui eos orthodoxam fidem doceat et in via Domini prospere dirigat, providere volentes, ac de catholicae religionis zelo, doctrinâ, prudentiâ, dexteritate, integritate, caritate, aliisque virtutibus tuis plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, te in praedictis insulis maris Mexicani ac locis Americae Meridionalis Vicarium et Commissarium Apostolicum ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facimus, constituimus, eligimus et deputamus.

Facultates concedit.

§ 2. Ac ut iniunctum tibi Vicarii et Commissarii Apostolici huiusmodi munus maiori cum animarum fructu spiritualique populorum, insularum et locorum praedictorum utilitate valeas exercere, tibi Seminarium ecclesiasticum in illâ, quae tibi aptior videbitur ex eiusmodi regionibus, instituendi, in illudque clericos ac missionarios etiam ex Europâ adventantes recipiendi, ac illos et illud regendi, statuta pro salubri eorum directione condendi, ipsiusque Seminarii alumnos ad omnes, etiam sacros et presbyteratus Ordines ad titulum missionis, etiam absque literis dimissorialibus Ordinariorum suorum, constito tibi prius per legitimas probationes de

---

(1) Ex App. ad Bull. de P. F. vol. II., pag. 16, coll. cum Reg. Arch. Brev.

eorum vitâ, moribus, aliisque requisitis qualitatibus promovendi; conferendi ordines extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis interstitiis, usque ad presbyteratum inclusive, si et quamdiu sacerdotum necessitas ibi fuerit; dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quae vel ex bigamiâ verâ vel ex homicidio voluntario proveniunt, et in his etiam duobus casibus si praecisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen quoad homicidium voluntarium ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur; dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium si alias idonei fuerint; dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et dispensandi ex rationabili causâ in votis simplicibus castitatis et religionis; absolvendi, et dispensandi in quacumque simoniâ, et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis iniunctâ aliquâ eleemosynâ vel poenitentiâ salutari arbitrio tuo, vel etiam retentis beneficiis si fuerint parochialia et non sint qui parochiis praefici possint; dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio, et quarto mixtis, non tamen in secundo solo quoad futura matrimonia, quo vero ad praeterita etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in praefatis casibus prolem declarandi legitimam; dispensandi super impedimento publicae honestatis iustitiae ex sponsalibus proveniente; dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, et restituendi ius petendi debitum amissum; dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum; eâ tamen lege, ut hae dispensationes matrimoniales non concedantur nisi cum clausulâ, dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod tibi per praesentes conceduntur; dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti; conficiendi olea sacra cum sacerdotibus quos potueris habere, et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini; delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aquâ ab Episcopo benedictâ, et in casu necessitatis etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo; largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis et confessis ac sacrâ communione refectis; absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint ubi S. Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos, qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum; absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis; concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt; concedendi indulgentiam plenariam in oratione quadraginta horarum, ter in anno indicenda diebus tibi bene visis, contritis et confessis ac sacrâ communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione SSmi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis et infidelibus, aut magistratum offensum iri; lucrandi tibi easdem indulgentias; singulis secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel, eis impeditis, die immediate sequenti celebrando missam de requiem in quocumque altari etiam portatili, liberandi animas secundum tuam intentionem a Purgatorii poenis per modum suffragii; tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros haereticorum vel infidelium de eorum religione tractantium ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinaei, Nicolai Macchiavelli et libros de astrologiâ iudiciariâ principaliter vel incidenter vel alias quovis modo de eâ tractantes, ita tamen, ut libri ex insulis et locis supradictis non efferantur; praeficiendi parochiis regulares, eisque suos deputandi vicarios in defectu saecularium, de consensu tamen suorum superiorum; celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in primâ missâ non sumpseris ablutionem, per unam

horam ante auroram, et aliam post meridiem, sine ministro, sub dio, et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit; caveas vero ne praedictâ facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utaris, in quo graviter tuam conscientiam oneramus.

Etiam, secundum praescribit, subdelegandi.

§ 3. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas eâ utendi alicui, qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare tibi visum fuerit, serio conscientiae tuae iniungimus, ut paucis duntaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus eamdem communices aut respective causas approbes; deferendi SSmum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii; induendi vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca tuae curae commissa, vel in eis permanere non poteris; recitandi Rosarium vel alias preces, si breviarum tecum deferre non poteris, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeas; dispensandi, quando expedire videbitur, super usu carnium, ovorum et lacticinorum tempore ieiuniorum et quadragesimae; has facultates communicandi, non tamen illas quae requirunt ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis, qui in illis insulis et locis praefatis laborabunt, aut quorum operam ac labores agnoveris iniunctae tibi commissioni conferre ac prodesse, et praesertim tempore tui obitus, ut sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per delegatos vel per unum ex eis, alio modo provideat; quibus delegatis auctoritate apostolicâ facultatem concedimus interea, in casu necessitatis, consecrandi calices, patenas, et altaria portatilia sacris oleis ab Episcopo tamen benedictis, facultates gratis et sine ullâ mercede exercendas, quibus possis uti, sine cuiuscumque praeiudicio, etiam extra loca tuae commissionis, si magna rei christianae utilitas ac urgens necessitas id postulare videbitur, non tamen in locis catholicorum principum ditioni in illis partibus subiectis, nisi illuc ab eisdem vel eorum administris ad id accersitus seu advocatus fueris, exceptâ dioecesi Archiepiscopi Sancti Dominici, et quae nullatenus absque expresso nostro et Sedis Apostolicae, seu Congregationis vener. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum mandato expirare intelligantur, auctoritate praedicta, earumdem serie praesentium concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non, quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, congregationum, societatum, etiam Iesu, et institutorum, ecclesiarum, monasteriorum, provinciarum, conventuum, domorum, collegiorum et locorum regularium quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus, congregationibus, societatibus, etiam Iesu, et institutis, ac ecclesiis, monasteriis, provinciis, conventibus, domibus, collegiis et locis regularibus, illorumque superioribus et personis quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, et decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. iunii MDCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XIII.

Confirmat decretum generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, ne commissarius Tertii Ordinis eiusdem in provincià Fluminis Ianuarii, inconsulto ipso generali, removeri possit (1).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Fluminis Ianuarii Tertii Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod dilectus filius Gaspar Pizzolanti prior generalis dicti Ordinis, ne quicumque legitime electus sive institutus et acceptatus fuerit in commissarium eiusdem Tertii Ordinis in praedictà provincià, donec eiusdem fratribus acceptus fuerit, possint ab eo officio, ipso Gaspare priore generali eiusque successoribus inconsultis, removeri, etiam occasione promotionis ad provincialatum aut quodcumque aliud officium pro tempore exercitii cum illo incompatibile, prohibuit; et aliàs, prout uberius continetur in eius decreto desuper emanato tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum. Die VI. iulii MDCXXVI., viso retroscripto libello et attestatione seu relatione admodum reverendi patris procuratoris generalis hodierni, cupientes, quantum in nobis est, ad utilitatem et incrementum dilectissimi nobis in Christo ac religiosissimi Tertii Ordinis opportune conferre, vi praesentium prohibemus, ne quicumque legitime electus sive institutus et acceptatus fuerit in commissarium eiusdem Tertii Ordinis in provincià nostrà Fluvii Ianuarii, donec fuerit eisdem fratribus Tertiariis acceptus, possit ab eo officio, nobis aut successoribus nostris inconsultis, removeri, etiam occasione promotionis ad provincialatum aut quodcumque aliud officium pro tempore exercitii incompatibile cum supradicto; sed in eo casu substituatur alius religiosus pro eo tempore tantum, quo transacto, pater commissarius exerceat ut antea munus suum: sublatà quibuscumque nostris inferioribus secus ordinandi aut faciendi potestate, omnemque institutionem novi commissarii, quae contra praesentium nostrarum litterarum tenorem imposterum fiat, ex nunc pro tunc nullam et irritam declaramus. Datum Romae in conventu nostro S. Mariae Transpontinae, die et anno ut supra. — IOANNES GASPAR PIZZOLANTI generalis commissarius. — Fr. IOSEPHUS MARIA SOLARIUS provincialis Scotiae et secretarius reverendissimi patris.

Loco ✝ sigilli.

Confirmatio relati decreti. § 2. Cum autem, sicut (2) dicti exponentes praemissa pro illorum firmiori subsistentià apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, prohibitionem a memorato Gasparo priore generali factam, ut praefertur, expeditumque desuper illius decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eisdem exponentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmi-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Aliquid deest ex. g. *acceptmus.*

tate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV. iulii MDCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XIV.

Missionariis Ordinis Praedicatorum in Insulis Martinicae Guadalupae, Ss. Christophori, Dominici et Vincentii et in Caiennâ concedit ad XX. *annos facultatem dispensandi in gradibus consanguinitatis et affinitatis excepto primo, et in primo etiam lineae rectae in affinitate ex cop. illicitâ, in occultis tamen et in foro conscientiae* (1).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Ut dilecti filii fratres Ordinis Praedicatorum missionarii Congregationum Sanctissimi Nominis Iesu et SSmi Rosarii in insulis Indiarum Occidentalium Martinicae, Guadalupae, Sanctorum Christophori, Dominici et Vincentii ac Caiennae cum locis adiacentibus dominio carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi subiectis, a suis superioribus deputati, iniuncta sibi munera ad christifidelium illarum partium utilitatem, adiuvante Domino, facilius exequi valeant; ex commissi nobis caelitus sacrosancti Apostolatus officio providere volentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatorum consilio, fratribus missionariis praedictis cum nigritis, neophytis earumdem insularum, tum indigenis tum advenis, in quocumque vel quibusvis consanguinitatis vel affinitatis gradibus a iure divino non prohibitis primo tamen excepto, et in eodem primo etiam rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo, etiam scienter, contracto, remanere valeant, in occultis tamen, et in foro conscientiae tantum ac urgentibus iustis caussis, auctoritate apostolicâ, gratis dispensandi, et eos qui in primo affinitatis gradu huiusmodi matrimonium etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationibus aliisque censuris et poenis ecclesiasticis eâ de causâ incursis, in foro conscientiae tantum, gratis patitur absolvendi, ac prolem inde susceptam et suscipiendam, legitimam decernendi, facultatem ad viginti annos tantum duraturam, donec interim in illis partibus aliquis Episcopus constituatur, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dicti Ordinis subscriptis, et sigillo magistri generalis Ordinis praedicti, vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX. ianuarii MDCCXXVII., pontificatus nostri anno III.

XV.

Confirmat decretum Congregationis S. Officii quoad Hebraeos denunciatos, quod voluntatem suam declaraverint de suscipiendo Baptismo (2).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. *Decretum praedictum refertur.*

---

(1) Ex Bull. Ord. Praedic.

(2) Ex Reg. in Arch. Brev. Innocentii XI. const. edit. MDCCXXIV., die X. februarii, pontif. III., reservata decernuntur pro Ruthenis ad fidei unitatem revertentibus omnia ipsorum bona, et Clementis XI. constit. edit. MDCCIV., die III. martii, pontif. IV., ampliata fuere privilegia neophytorum quoad temporalia.

Cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolicâ deputatorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Feriâ IV., die XII. februarii MDCCXVII., in congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in conventu S. Mariae super Minervam coram eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolica specialiter deputatis. Cum plures exortae sint controversiae super intelligentia et executione decreti ab hac sacrâ Congregatione editi die VIII. iulii MDCXLI.; quoad Hebraeos utriusque sexus denunciatos de eorum animi declaratione suscipiendi Baptismum, eminentissimi et reverendissimi domini Cardinales generales Inquisitores praedicti, dictum decretum declarando et quatenus opus sit reformando, in posterum illud sequenti modo exequi mandarunt et decreverunt: nempe, quod testes, qui hebraeos denunciabunt sive mares sive feminas de declaratione animi suscipiendi Baptismum, per notarium iuxta interrogatoria generalia a reverendo patre domino vices-gerente praescribenda, cum speciali monitione relevantiae iuramenti, in scriptis coram eodem reverendo patre domino vices-gerente, et, eo impedito, coram eius auditore examinentur, qui etiam examen praefatum subscribere debeant; et, quatenus duo testes sint de loco, tempore et occasione contestes, tunc denunciati ad domum catechumenorum duci, et collocari in loco separato ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate et constantiâ declarationis eorum voluntatis suscipiendi Baptismum explorentur. Si autem testes erunt singulares, vel unus adest testis idoneus et fide dignus, tunc denunciati non statim post denunciationem et testium examen educendi erunt ad domum catechumenorum, sed per reverendum patrem dominum vicesgerentem extra ghettum, vel in eius domo, vel in aliquâ ecclesiâ, vel alio loco sibi beneviso, et intra tempus necessarium et opportunum, iuxta facti speciem et circumstantias, pro arbitrio et prudentiâ dicti reverendi patris domini vices-gerentis, eorum voluntas exploranda erit. — ANTONIUS LANCIONUS sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius.

Loco † sigilli

Instrumentum alterum eiusdem tenoris.

§ 2. Nunc autem nos, perenni decreti huiusmodi robori exactaeque illius observantiae peramplius providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine decretum praeinsertum, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis ac irrefragabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi unquam possent, plenissime supplemus et sanamus.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac euisdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV. februarii MDCCXXVII., pontificatus nostri anno III.

XVI.

Confirmat constitutiones Pontificum quibus gratiae, privilegia ac indulgentiae locis Terraesanctae ac Fr. Minoribus de Observantiâ inibi morantibus concessa fuere (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium a consuetudine Romanor. Pontificum concedendi locis Terraesanctae indulgentias, vel concessas approbandi.

Loca sancta Palaestinae, in quibus Christus dominus redemptionis humanae mysteria ortu, vitâ et morte suâ consummavit, ab ipsis nascentis Ecclesiae primordiis in tantâ semper veneratione et honore ab universis christianis habita fuerunt, ut per omnes aetates ad ea religionis causâ invisenda undique fidelium turba confluxerit, propterea que antecessores nostri Romani Pontifices plurimas indulgentias et privilegia, tam in eos qui sacram illuc peregrinationem susceperunt, quam in alios qui in eisdem sanctis locis commorantes divino cultui et proximorum ac peregrinantium saluti, nullis incommodis et vitae periculis territi, famularentur, largâ manu contulerint, et alii postmodum successores eadem collata probaverint, novisque gratiis spiritualibus et largitionibus auxerint. Hinc maxime decet ut nos quoque ad indulgentias et privilegia huiusmodi apostolicae auctoritatis nostrae munimine salva et illaesa servanda prompto animo occurramus.

Preces procuratoris generalis Minorum de Observantiâ.

§ 1. Siquidem nobis dilectus filius frater Mariae ab Ebora procurator generalis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nuper exponi curavit, se, ad Terraesanctae subsidium ac suorum dicti Ordinis fratrum vineae Domini excolendae inibi multis saeculis operam dantium peregrinosque ex omnibus christianis provinciis ad eadem loca sancta pie veneranda accurrentes religiosâ charitate foventium et catholicis illarum partium opportuna solatia praebentium, optare ut omnia et singula privilegia, gratiae, indulgentiae, criminum remissiones et relaxationes, hactenus eiusdem Terraesanctae locis, suis fratribus, aliisque personis auctoritate apostolicâ concessae et confirmatae, per nos eâdem auctoritate approbarentur et speciali formâ sursus confirmarentur.

Confirmatio praedicta.

§ 2. Nos igitur, qui eiusdem Terraesanctae ubi steterunt pedes Domini, frequentiam et venerationem, quantum possumus, promovere studemus, huiusmodi piis votis libenter annuentes, ipsumque Iosephum spiritualibus favoribus et gratiis cumulare omnino cupientes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus nobis eius nomine humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, exemptiones, iura, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, ceterasque gratias spirituales et temporales, eisdem locis sanctis, eademque visitantibus, atque illorum custodi et guardiano coenobii Hierosolymitani et fratribus dicti Ordinis ibidem commorantibus, necnon eorumdem fratrum interpretibus qui Hierosolymis, Bethlehem, Nazareth, inque aliis quibuscumque Terraesanctae et Palaestinae locis existunt et vivunt, per infrascriptos antecessores nostros Romanos Pontifices, Sedemque Apostolicam, in genere et in specie, aut aliâs quomodocumque concessas, tenore praesentium iterum confirmamus, atque formâ amplissimâ approbamus et innovamus, prout ab iisdem Romanis Pontificibus antecessoribus nostris in suis apostolicis litteris olim indultae et concessae fuerunt.

§ 3. Hae vero sunt, videlicet:

Enumerantur apostolicae constitutiones, quibus praedictae gratiae, privilegia et indulgentiae Minoribus de Observantiâ in locis Terraesanctae degentibus concessae fuere.

1. Gregorii IX. litterae incipientes *Si Ordinis fratrum Minorum,* datae Perusii kalendis februarii anno MCCXXX.

2. Aliae eiusdem incipientes *Pro zelo fidei,* datae Laterani III. kalendas februarii anno MCCXXXVIII.

3. Aliae eiusdem incipientes *Cum messis,* datae Laterani XVI. kalendas iunias MCCXXXVIII.

4. Innocentii IV. incipientes *Cum hora undecima,* datae Lugduni XII. kalendas apriles anno MCCXLV.

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Omnium Pontificum constitutiones, initio facto a Gregorio IX. usque ad Innocentium XIII., quibus dictae gratiae conceduntur, ordine temporis, quo editae fuerunt, hîc distinctis citationibus enumerantur, posteriores vero suo loco adnotabimus.

5. Alexandri IV. incipientes *Ex relatu fide,* datae Laterani IV. kalendas apriles anno MCCLVII.

6. Aliae eiusdem incipientes *Quum hora iam undecima,* datae Viterbii XIII. kalendas maias anno MCCLVIII.

7. Clementis V. incipientes *Quum hora undecima,* datae Pictavii X. kalendas augustas anno MCCCVI.

8. Ioannis XXII. etiam incipientes *Quum hora undecima,* datae Peiirae VI. idus augustas anno MCCCXXV.

9. Clementis VI. incipientes *Gratias agimus,* datae Avenione XI. kalendas decembris MCCCXLII.

10. Innocenti VI. incipientes *Piis fidelium studiis,* datae apud Villamnovam dioecesis Avenionensis IX. septembris MCCCLVI.

11. Aliae eiusdem incipientes *Ad ea quae in laudem,* datae Avenione V. idus novembris MCCCLX.

12. Urbani V. incipientes *Rationi congruit,* datae Avenione VI. idus novembris MCCCLXII.

13. Gregorii XI. incipientes *Sicut de damnabili,* datae Avenione VII. kalendas decembres MCCCLXXV.

14. Aliae eiusdem incipientes *De religiosâ discretione,* Avenione eodem die, mense et anno.

15. Aliae eiusdem incipientes *Inter cunctos Ordines,* datae Avenione eodem die et anno.

16. Urbani VI. incipientes *Ad ea quae piorum locorum,* datae Neapoli III. idus iunias MCCCLXXXIV.

17. Ioannis in suâ obedientiâ XXIII. incipientes *Cum a nobis,* datae Bononiae IV. kalendas iulias MCDX.

18. Martini V. incipientes *Ad assiduum Christi servitium,* datae Florentiae VII. kalendas iulias MCDXX.

19. Aliae eiusdem incipientes *Sincerae devotionis affectus,* datae Florentiae VII. idus iulias MCDXX.

20. Aliae eiusdem incipientes *Cum a nobis quod iustum est,* datae eodem loco, die, mense et anno.

21. Aliae eiusdem incipientes, *Provenit ex vestrae devotionis,* datae eodem loco, die, mense et anno.

22. Aliae eiusdem incipientes *Votis vestris* datae Florentiae IV. idus iulias MCDXX.

23. Aliae eiusdem incipientes *Exigit vestrae devotionis,* datae ibidem eodem die, mense et anno.

24. Aliae eiusdem incipientes *Votis vestris,* datae Florentiae XIV. kalendas septembres MCDXX.

25. Aliae eiusdem incipientes *Votis vestris,* datae Florentiae VII. kalendas septembres MCDXX.

26. Aliae eiusdem incipientes *His quae per ecclesiasticarum,* datae Romae XVI. kalendas martias MCDXXI.

27. Aliae eiusdem incipientes *Salutare studium,* datae Romae eodem die, mense et anno.

28. Aliae eiusdem incipientes *Studium et sincerum,* datae eodem loco, die, mense et anno.

29. Aliae eiusdem incipientes *Sinceritas vestrae devotionis,* datae Romae IV. idus martias MCDXXI.

30. Eugenii IV. incipientes *Dum onus,* datae Bononiae V. idus iulias MCDXXXVII.

31. Aliae eiusdem incipientes *Bonus Pastor,* datae Bononiae IV. idus iulias MCDXXXVII.

32. Aliae eiusdem incipientes *Exaltantes in Domino,* datae eodem die, mense et anno.

33. Aliae eiusdem incipientes *Per haec proxima tempora,* datae Florentiae XVII. kalendas ianuarias MCDXLI.

34. Aliae eiusdem incipientes *Sacrae religionis,* datae Romae kalendis februariis MCDXLIV.

35. Aliae eiusdem incipientes *Dum praeclara merita,* datae Romae V. idus februarias MCDXLVI.

36. Nicolai V. incipientes *Sincerae devotionis,* datae Romae VI. kalendas augustas MCDXLVIII.

37. Aliae eiusdem incipientes *Apostolicae Sedis,* datae Romae XI. kalendas augustas MCDLI.

38. Aliae eiusdem incipientes *Quum a vobis petitur,* datae Romae pridie kalendas apriles MCDLII.

39. Aliae eiusdem incipientes *Romanus Pontifex,* datae Romae XIV. kalendas maias MCDLII.

40. Aliae eiusdem incipientes *Solers Romani Pontificis,* datae Romae XVI. kalendas martias MCDLIII.

41. Calixti III. incipientes *Apostolicae Sedis,* datae Romae IV. idus ianuarias MCDLV.

42. Aliae eiusdem incipientes *Quum nuper,* datae Romae XIV. kalendas ianuarias MCDLV.

43. Aliae eiusdem incipientes *Etsi ex debito,* datae Romae IV. idus ianuarias MCDLV.

44. Aliae eiusdem incipientes *Quum itaque,* datae eodem loco, die, mense et anno.

45. Aliae eiusdem incipientes *Illius cuius in pace,* datae Romae IV. nonas februarias MCDLV.

46. Aliae eiusdem incipientes *Licet pro nostrâ,* datae Romae V. idus maias MCDLV.

47. Aliae eiusdem incipientes *Devotionis vestrae ardor,* datae Romae pridie nonas februarias MCDLVII.

48. Sixti IV. incipientes *Suscepti cura,* datae Romae pridie idus februarias MCDLXXV.

49. Alexandri VI. incipientes *Quum sicut accepimus,* datae Romae idibus augusti MCDXCVI.

50. Pii IV. incipientes *Divinâ disponente clementiâ,* datae Romae die IX. aprilis MDLXI.

51. Urbani VIII. incipientes *Ut dilecti filii,* datae Romae die XXI. aprilis MDCXXXII.

52. Aliae eiusdem incipientes *Aliàs a felicis recordationis,* datae Romae die XVIII. iunii MDCXLIV.

53. Innocentii X. incipientes *Salvatoris et domini,* datae Romae XIX. septembris MDCXLV.

54. Aliae eiusdem incipientes *Quum sicut dilecti,* datae Romae XXIII. septembris MDCXLV.

55. Alexandri VII. incipientes *Piis christifidelium,* datae Romae III. augusti MDCLV.

56. Clementis X. incipientes *Quum sicut dilectus,* datae Romae die VII. iulii MDCLXX.

57. Innocentii XI. incipientes *Ad augendam,* datae Romae die XX. septembris MDCLXXXI.

58. Aliae eiusdem incipientes *Piis christifidelium votis;* datae Romae die XXII. iunii MDCLXXXIV.

59. Aliae eiusdem incipientes *Exponi nobis,* datae Romae XXX. aprilis MDCLXXXVI.

60. Alexandri VIII. incipientes *Ex iniuncto nobis,* datae Romae die X. novembris MDCXC.

61. Innocentii XII. incipientes *Aliàs a felicis recordationis,* datae Romae V. decembris MDCXCVI.

62. Innocentii XIII. incipientes *Piis christifidelium votis,* datae Romae die VI. iunii MDCCXXI.

63. Aliae eiusdem incipientes *Quum ad infrascriptam,* datae Romae die XIII. septembris MDCCXXI.

Confirmatio earumdem constitutionum.

§ 4. Hucusque antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum ad fratres Minores de Observantiâ nuncupatos in locis sanctis Christo domino militantes editae litterae apostolicae, quas omnes, et quaslibet alias in eiusdem Ordinis annalibus et monumentis laudatas, ad eos per quoscumque Romanos Pontifices quomodolibet scriptas, praesertim quoad indulgentias, dummodo de earumdem existentiâ valide et legitime constet, ibique (1) eisdem tam enunciatis quam aliis quibusvis contenta quaecumque, etiamsi talia forent quae specialem et specificam mentionem requirerent, ubi tamen Concilii Tridentini decretis non adversentur, cum integris suis tenoribus et datis plene et sufficienter expressas, ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae essent, habentes, apostolicâ auctoritate, praesentium tenore, perpetuo approbamus et confirmamus, ac, in plenam observantiam ac pristinum et validissimum suum statum restituentes et revocantes, innovamus et, quatenus opus sit, omnia et singula praedicta denuo concedimus et indulgemus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnes et singulos tam iuris quam facti et quarumcumque solemnitatum, de iure, usu vel consuetudine aut aliàs quomodolibet requisitarum ac in praemissis fortasse omissarum, necnon quoscumque alios quantumvis substantiales defectus, si qui forsan in iisdem omnibus et singulis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Nemo contra huiusmodi privilegia Minoribus eisdem praeiudicium inferat.

§ 5. Insuper omnibus et singulis cuiuscumque ecclesiasticae dignitatis, status et conditionis quantumvis privilegiatis personis expresse inhibemus, quominus contra vim et sensum privilegiorum, concessionum, facultatum, iurium et indultorum, ut praefertur, per nos approbatorum et confirmatorum, ac etiam innovatorum, loca sive personas praedicto guardiano Hierosolymitano subiectas eiusque curae mandatas respicientium, ullum iurisdictionis aut superioritatis actum sub quocumque praetextu in locis et personis praedictis, absque nostrâ expressâ facultate, sub poenarum, in iisdem litteris apostolicis pro locis sanctis et guardiano praedicto concessis, approbatis et innovatis contentarum incursu, exercere praesumat.

Praesens etiam constitutio ab omnibus perpetuo observetur.

§ 6. Praesentes quoque litteras nostras, inque eis comprehensa quaecumque, ex quavis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore

(1) Male edit. taur. legit *inque*.

iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, infringi, restringi, limitari, ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus eas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari posse, decernimus; sed illas semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus in omnibus et per omnia sortiri et obtinere, necnon ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pertinet, et pro tempore quomodolibet spectabit et pertinebit, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus et conditionis extiterit, perpetuo et inviolabiliter observari debere, nec sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt et vulgabuntur, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori datâ per guardianum et fratres praedictos quomodocumque eligendâ, concessas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus in omnibus et per omnia sortiri et obtinere, eisque perpetuo suffragari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, iudicari et definiri debere volumus; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Cardinales protectores faciant eamdem inviolabiliter observari.

§ 7. Quocirca dilectis filiis nostris dicti Ordinis fratrum Minorum de Orservantiâ, vel etiam praedictae Terraesanctae Cardinalibus protectoribus nunc et pro tempore existentibus, seu, illorum arbitrio et defectu, et aliis ex parte S. R. E. Cardinalibus munus protectoris huiusmodi exercentibus, mandamus, quatenus ipsi Cardinales protectores, seu munus huiusmodi gerentes, vel unus eorum, per se, vel alium seu alios, easdem praesentes litteras, inque eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praedictorum guardiani et fratrum seu procuratoris generalis pro tempore existentium, sive alterius eorum, vel aliorum interesse in praemissis habentium, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, ipsas praesentes litteras, inque eis contenta huiusmodi, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, faciant auctoritate nostrâ inviolabiliter observari, ipsosque guardianum et fratres, et alios, quos eaedem litterae concernunt (1) in futurum, praesentium litterarum et in eis contentorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos, seu eorum quempiam, super his quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando: invocato etiam ad hoc, si fieri poterit atque opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri apostolicis litteris, quibus cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, ubi deputatus fuerit, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeat seu praesumat, inque concilio generali editâ constitutione de duabus dietis, aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum facientibus quomodolibet, editis vel edendis, specialibus vel generalibus, ordinationibus apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos ipsos, et Sedem praedictam, cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, derogativis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda

(1) Edit. taurin. ex suo marte verba *vel concernent* addit.

aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus coniunctim vel divisim ab eàdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Harum exemplis omnimoda fides habeatur.

§ 9. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu alicuius ex secretariis ministri vel commissarii generalis Ordinis eorumdem fratrum Minorum de Observantià seu notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri vel commissarii aut procuratoris generalis ipsius Ordinis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nemo hanc infringere audeat.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis approbationis, confirmationis, innovationis, novae concessionis, roboris adiectionis, defectuum suppletionis, inhibitionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVII., V. nonas martias, pontificatus nostri anno III.

XVII.

Statuit ab omnibus observandum caeremoniale Episcoporum ab ipsomet Pontifice emendatum (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Caeremoniale vetus innumeris scatebat erroribus.

§ 1. Licet aliàs felicis recordationis Clemens VIII. ac subinde Innocentius X. Romani Pontifices praedecessores nostri caeremoniale Episcoporum edendum atque a mendis expurgandum curaverint, processu tamen temporis compertum est novos errores non minus typographorum imperitià quam aliorum culpà et negligentià in illud irrepsisse. Ac proinde nos, qui in minoribus constituti per annos quinquaginta Episcopi ac Metropolitae munere et dignitate perfuncti sumus, cum nihil antiquius habuerimus quam ut sacros ritus et caeremonias secundum antiquam ac laudabilem Romanae Ecclesiae disciplinam adamussim perageremus, diuturno eorum usu ac studio animadvertimus utile ac necessarium maxime futurum, si rursus idem caeremoniale novis curis recognitum ederetur, obscura quaedam in eo et ambigua illustrarentur, corrupta alia et depravata emendarentur, nonnulla praeterea inter se pugnantia et contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus praetermissa suis locis opportune adderentur.

Caeremoniale praedictum ab ipsomet Pontifice emendatum, ab omnibus servandum praecipitur.

§ 2. Ubi primum igitur ad summi apostolatus fastigium licet immeriti et obluctantes evecti fuimus, in hanc etiam sollicitudinem cogitationes nostras direximus, nosque ipsi hoc opus aggressi illud, nonnullis etiam adhibitis piis ac eruditis viris sacrorum rituum apprime peritis, qui operam suam in ipso caeremoniali emendando ac restituendo nobis contulerunt, benedicente Domino, perfecimus. Itaque, ne tam utilis Ecclesiae catholicae hac in re labor suo frustretur effectu, motu proprio ac ex certà scientià nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, caeremoniale Episcoporum huiusmodi a nobis ut praemittitur recognitum et emendatum perpetuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesià ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ac caeremoniale huiusmodi, sic emendatum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari vel ei aliquid addi aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas praefatas, quae pontificalia et sacerdotalia munera exercere aut alia quaecumque in ipso caeremoniali contenta facere aut exequi debent, ad ea peragenda et praestanda iuxta huius caeremonialis formam et praescriptum teneri, neminemque, ex iis quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quae hoc caeremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus et or-

(1) Ex Bull. Rom. huius Pontificis.

dinamus. Per praesentes autem antiqua caeremonialia in his, quae praefato caerimoniali emendato sunt conformia, minime aboleri aut abrogare censeri volumus, sed illorum etiam usum, salvâ emendatione praedictâ, permittimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis ecclesiis et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda huius constitutionis exemplis.

§ 4. Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut qui in Romanâ Curiâ sunt praesentes, lapsis duobus, qui vero circa montes, octo, et qui ultra ubique locorum degant, duodecim mensibus integre excursis, vel aliàs ubi venalium huius caeremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras caeremonias et ritus in eodem caeremoniali praescriptos, iuxta illius modum et normam in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur; quodque earumdem praesentium litterarum exemplis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae aut illius Curiae munitis, vel in ipsis voluminibus absque praefato vel alio quopiam adminiculo Romae impressis, eadem ubique locorum et gentium fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII. martii MDCCXXVII., pontificatus nostri anno III.

XVIII.

Concedit in unaquaque provinciâ Indiarum Orientalium et Occidentalium Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ erectionem collegii missionum ad normam constitutionum Innocentii XI. iuxta petita (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciarum familiae ultramontanae ac Indiarum, tam Orientalium quam Occidentalium, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum et Recollectorum nuncupatorum, Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod ipsi, ut animarum pretioso sanguine D. N. Iesu Christi redemptarum saluti proficere possent, in unaquaque ex dictis provinciis unum ex earum conventibus per fratres definitorii provincialis cuiuslibet respective provinciae huiusmodi designandum in Collegium seu seminarium missionariorum, qui apostolicae missioni unice essent dediti, erigendi facultatem sibi concedi plurimum desiderabant, cuius quidem Collegii seu seminarii guardianus et alii fratres, pariterque ipsum Collegium seu Seminarium, strictissimis earumdem provinciarum constitutionibus gubernarentur, et ministris et definitoriis provincialibus pro tempore existentibus subiici deberent, quibus etiam electiones guardianorum eiusmodi Collegiorum seu seminariorum, nec non novitiorum receptio competeret sicut in aliis conventibus observabatur, non autem praelato generali subiicerentur, quemadmodum in quibusdam rec. memor. Innocentii PP. XI. praedecessoris nostri in simili formâ Brevis expeditis literis pro collegiis missionariorum ad familiam hispanicam spectantibus disponebatur, prohibendo simul expresse, quod dummodo in dictis provinciis praedicta collegia seu seminaria iam erecta existerent, nullus frater unius ex memoratis provinciis de illâ titulo missionis ad aliam provinciam transire posset; concedendo pariter his novis missionariis omnia et singula privilegia ac praerogativas in dictis Innocentii praedecessoris literis contentas, quibusque illa missionariorum etiam regularis Observantiae seminaria fruebantur, remenente tamen intactâ et illaesa eâdem praelati generalis auctoritate et superioritate, quam in omnibus provinciis et conventibus totius Ordinis exercebat,

(1) Ex App. Bul. de Prop. Fide vol. II., pag. 29, coll. cum Reg. Arch. Brev.

exceptis immediatâ subiectione, electione guardianorum ac novitiorum receptione, quae, ut supra dictum est, ad ministros et definitoria provincialia spectare deberent, quemadmodum ab eàdem Congregatione Cardinalium diebus xx. augusti MDCCXXIII. et VII. decembris MDCCXXV. provinciis Ss. Pauli et Gabrielis Ordinis praedicti indultum, ac subinde per quasdam nostras desuper in pari formâ Brevis editas literas confirmatum fuerat; emanavit ab eàdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Congregationis decretum.

«Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis narratis, referente Rmo Belluga, benigne indulsit, ut patres provinciales praedictarum provinciarum, veris existentibus narratis, ad fundationem praedictorum collegiorum seu seminariorum missionariorum in uno ex conventibus earumdem provinciarum sibimetipsis et definitoribus provincialibus bene viso iuxta formam, praerogativas, privilegia et onera contenta in praecitatis Brevibus san. me. Innocentii XI. pro eorum arbitrio et conscientiâ, servatis servandis, deveniant, immediatâ tamen iurisdictione et electione guardiani, et receptione novitiorum exceptis, quae reservatae intelligantur eisdem provincialibus modo supra descripto, et cum expressâ etiam conditione, ut religiosi praedictarum provinciarum de uno ad aliud seminarium alterius provinciae transire, et guardiani horum seminariorum erigendorum religiosos aliarum Ordinis provinciarum acceptare minime possint et valeant, firmis ceteroquin, integris et illaesis remanentibus omnibus aliis praerogativis, auctoritatibus ac superioritatibus debitis et competentibus patri praelato generali Ordinis; constitutionibus apostolicis et Ordinis praedicti, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus *etc.* Romae XXIV. ianuarii MDCCXXVII. — Cardinalis FRANCISCUS BARBERINUS P.A. Archiepiscopus Larissae secretarius ».

Loco ✝ sigilli

Decretum approbat.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Diaz a Conceptione sacrae theologiae lector ac fratrum discalceatorum et recollectorum dicti Ordinis in Romanâ Curiâ procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse, praemissa quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos specialem ipsi Ioanni procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, provinciarum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Beneventi sub annulo Piscatoris die III. aprilis MDCCXXVII. pontificatus nostri anno III.

XIX.

Concedit fratribus Carmelitis vicariae Maranionis in Brasiliâ, a generali Ordinis ad magisterium in sacrâ theologiâ promotis, lauream doctoratus a vicario provinciali suscipere posse (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Recensentur haud dissimilia quibusdam aliis eiusdem Ordinis provinciis concessa.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius provincialis aliique fratres vicariae Maranionis in Brasiliâ Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod aliàs (postquam felicis recordationis Urbanus PP. VIII. praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXVII. augusti MDCXXIV. expeditas litteras concesserat quondam Theodoro Statio tunc temporis priori generali ac professoribus provinciarum Hispaniae et Lusitaniae eiusdem Ordinis, ut ii, qui absolutis lecturis et exercitationibus litterariis per regularia Ordinis huiusmodi instituta requisitis, ac servatis aliàs servandis, per eumdem priorem generalem in sacrâ theologiâ magistri iuxta eius facultates instituti et creati fuissent, lauream doctoratus in Collegio S. Theresiae Salmaticensi memorati Ordinis ad formam in praefatis litteris praescriptam suscipere possent, nec pro eâ suscipiendâ aliquam approbatam studii generalis universitatem adire tenerentur) recolendae memoriae Innocentius Papa XIII. etiam praedecessor noster indulsit, quod omnes et singuli dictae provinciae Lusitaniae professores, quos pro tempore existens prior generalis Ordinis huiusmodi in eâdem sacrâ theologiâ magistros instituisset et creasset, praefatam lauream doctoratus, praevio rigoroso examine coram priore generali dictae provinciae Lusitaniae et quatuor in ipsâ sacrâ theologiâ magistris, sive coram rectore collegii Colimbricensis Ordinis praedicti, ac illius regentibus et magistris, sumere valerent, ac subinde simile quoque indultum fratribus provinciarum Bahiensis et Fluminis Ianuarii itidem in Brasiliâ dicti Ordinis concessit, et aliàs, prout in binis Innocentii desuper in pari etiam formâ Brevis editis ac supradictis Urbani praedecessorum litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis constitutionis et preces fratrum praedictae vicariae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, primum ex memoratis indultis favore professorum provinciae Lusitaniae emanaverit, eo quod enarrata concessio a memorato Urbano VIII. praedecessore eis facta fuisset tempore quo rex Hispaniarum etiam Lusitaniam possidebat, sicque religiosis tum Hispanis tum Lusitanis praefatum collegium Salmaticense pro assequendâ laureâ doctorali praefatâ facile adire licebat; at, separatis postmodum dominiis, idem indultum sine ullo effectu ac utilitate remanserat respectu Lusitanorum, quibus propter immutatum rerum statum non amplius ad dictum collegium libere accedere permissum fuit; et alterum indultum huiusmodi professoribus praedictarum provinciarum Bahiensis et Fluminis Ianuarii propter nimiam earum ab Europâ distantiam concessum fuerit; dicta vero vicaria Maranionis, utpote in remotissimâ parte vastae regionis ipsius Brasiliae sita, longius quam praedictae provinciae Bahiensis et Fluminis Ianuarii ab eâdem Europâ distet, nec regiae naves, quibus eiusdem vicariae religiosi in Lusitaniam transfretare valeat, eo unquam appellant: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praelaudati indulti.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod omnes et singuli fratres expresse professi dictae vicariae Maranionis, quos dilectus filius modernus seu pro tempore existens prior generalis Ordinis praedicti in eâdem sacrâ theologiâ magistros, servatis pariter servandis, instituerit et creaverit, lauream doctoratus, praeviis rigoroso examine coram Vicario provinciali dictae Vicariae et quatuor in sacrâ theologiâ magistris sive regentibus ac illorum approbatione, servatis ceteroquin conditionibus per constitutiones Ordinis praedicti praescriptis, ab ipsomet Vicario provinciali suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

apostolicâ, tenore praesentium, concedimus similiter et indulgemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, vicariae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV. iunii MDCCXXVII., pontificatus nostri anno IV.

XX.

Statuit ut nemo testamentum conficere in partibus Indiarum valeat, quin aliquam eleemosynam applicandam Monti erecto pro animabus purgatorii relinquat (1).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Refertur erectio et progressus praedicti Montis.

§ 1. Aliàs, nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod, cum in oppido Matriti Toletanae dioecesis quidam Mons Pietatis pro animabus in purgatorio existentibus, cui ipse Philippus rex pro illius stabilitate et augmento nonnullas gratias concesserat, erectum fuisset, eique dilectus filius Franciscus Pigner, tunc illius capellanus, dictique Montis administrator generalis, magnam utilitatem, quae a tam piâ erectione proveniebat, retulisset, verum enim anno MDCCXXIII. octoginta millia circiter, et sequenti anno septuaginta millia ducatorum monetae illarum partium distributa essent, et ex eâdem Montis erectione centum triginta septem mille centum viginti tres missae pro earumdem animarum purgantium suffragio celebratae, ipse Philippus rex hoc sanctum opus in dies augeri exoptans, ut in testamentis aut in ultimis voluntatibus incolarum istorum regnorum Indiarum aliquod subsidium pro dicto Monte relinqui deberet, cum concessione etiam alicuius indulgentiae pro illis qui subsidium huiusmodi testamento aut ultimâ voluntate legassent et aliquam eleemosynam in hoc opus contulissent, a nobis iniungi desiderabat; nos venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Indiarum Occidentalium, ut populos sibi subiectos excitarent ad devotionem relinquendi in suis testamentis aliquid sibi benevisum favore supradicti Montis, ut de suffragiis, quae cum dictis eleemosynis celebrabantur, participare possent, auctoritate apostolicâ insinuavimus: quo vero ad petitas indulgentias, negotium ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris reliquiis et indulgentiis praepositorum remisimus: et aliàs, prout in nostris litteris desuper in simili formâ Brevis die I. februarii anni proxime praeteriti expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Repetitae preces eiusdem Philippi regis.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dicti Philippi regis nobis denuo expositum fuit, ipse personis saecularibus, ne ullum testamentum in illis partibus fieri valeat, quin aliqua eleemosyna pro dicto monte relinquatur, praecipere possit, et in facultate Episcoporum sit ecclesiasticas personas adhortari ut id ipsum pro suâ devotione faciant, si velint, ideoque dictus Philippus rex praeceptum tam laicis quam ecclesiasticis pro eleemosynâ in eorum testamentis relinquendâ et praedicto monti applicandâ, ad hoc ut illi, qui ex illis partibus venerint, non parum sublevamen in necessitatibus suis percipiant, quemadmodum in

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

partibus Hispaniae pro locis Terraesanctae et captivorum redemptione fieri memoratur: nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praeceptum praedictum.

§ 3. Nos igitur, piis eiusdem Philippi regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui votum dilecti filii nostri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga et Moncada nuncupati ad eiusmodi negotium examinandum ab eâdem Congregatione deputati attenderunt, consilio, ut nullum testamentum in partibus Indiarum confici valeat, sive testator sit laicus sive ecclesiasticus, quin per ipsos aliqua eleemosyna pro eorum arbitrio et devotione praedicto Monti applicanda relinquatur, dictâ auctoritate tenore praesentium, praecipimus et ordinamus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praedictis nostris litteris concessionis (1) non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. augusti MDCCXXVII., pontif. nostri anno IV.

XXI.

Confirmat indultum provinciae Philippinarum Ordinis Eremitarum S. Augustini, quo procurator generalis et superior conventus Manilensis suffragium ferre possunt in capitulis provincialibus (2).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio petitionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis et definitorium provinciae Philippinarum Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod ab immemorabili tempore, et forsan a primaevâ dictae provinciae fundatione, attentâ religiosorum vocalium paucitate, et ratione alicuius indulti, seu ipsius provinciae determinatione, cautum reperitur, quod procurator generalis et superior conventus Manilensis, praecipui et principalis in dictâ provinciâ, vocem et votum habeant in capitulis provincialibus, cuius tamen indulti seu determinationis memoria minime reperitur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in provinciâ huiusmodi religiosi ad missiones et munera parochialia deputandi sint, multaque alia officia distribui debeant, paucique existant priores et nullus adsit magister qui vocem habeat in capitulis, ipsi exponentes, ad maiorem indulti seu determinationis huiusmodi validitatem et conscientiae quietem, illa per nos approbari et confirmari summopere desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio indulti, seu determinationis praefatae.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, indultum seu determinationem, per quae procurator generalis et superior conventus Manilensis praedicti vocem et votum habent in capitulis provincialibus, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus; itaut iidem procurator generalis et superior, eorumque in praedictis muneribus successores in perpetuum, in memoratis capitulis provincialibus praedictae provinciae Philippinarum suffragium ferre possint et valeant.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effec-

(1) Leg. *concessimus* vel *concessa sunt*.

(2) Ex Regest. in Arch. Brev.

tus sortiri et obtinere, ac iisdem exponentibus, aliisque, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum conventus, provinciae et Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. ianuarii MDCCXXVIII., pontificatus nostri anno IV.

XXII.

Concedit praefecto generali Ordinis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus ius convocandi vocales ad capitulum generale, et in eo praesidendi (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Petitio definitorum.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii definitores generales Ordinis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus nobis nuper exponi fecerunt, in constitutionibus eiusdem Ordinis, auctoritate apostolicâ approbatis, nulla expressa mentio fiat quod praefectus generalis Ordinis huiusmodi facultatem convocandi capitula generalia et in eis praesidendi habeat; ac proinde ipsi exponentes opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut tam dilectus filius modernus praefectus generalis dicti Ordinis quam ceteri illius successores proxime ab officio expirantes, seu ad ultimum annum novennii sui generalatus accedentes, perpetuum ius habeant convocandi vocales ad capitulum generale pro novennio immediate sequenti ac etiam praesidendi in eodem capitulo generali; si vero intra officii generalatus novennium e vitâ decesserint, tunc vicariatus generalis spectet ad praefectum qui tunc temporis confirmatus existeret et in actuali gubernio hospitalis de Guatimala reperiretur; et, casu quo praefectus iste, cum causâ vel sine causâ, de eo tempore confirmationem non obtinuisset, vicariatus generalis praefatus transeat ad assistentes generales, et alios respective vocales qui sequuntur, servatâ semper eorum antianitate, iuxta dispositionem quarumdem nostrarum litterarum desuper in simili formâ Brevis die IV. maii MDCCXXV. expeditarum et constitutiones praedicti Ordinis; quatenus vero idem praefectus generalis ab humanis decedat in regno Peruano, et electio fieri debeat in Novâ Hispaniâ, tunc et eo casu assistens antiquior Peruanus vocales tantum eiusmodi regni Peruani convocet, ad hoc ut sic facilius ad capituli generalis celebrationem faciendam in Novâ Hispaniâ, intra unius anni terminum, ad formam earumdem constitutionum, concurrere possint; at, decedente eodem praefecto generali in praedictâ Novâ Hispaniâ, tunc et eo casu capitulum generale huiusmodi actualis praefectus de Guatimala convocet, ac in eo praesideat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Concedit ut in rubrica.

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXV., die IV. maii, pontif. I., confirmatae fuerunt quaedam resolutiones capituli generalis eiusdem Congregationis, et constitut. edit. MDCCXXVIII., die XIII. septembris, pont. V., nonnulla decernuntur in favorem praefatae Congregationis.

Clausulae.

§ 2. Decernentes easdem praesentes et praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX. aprilis MDCCXXVIII., pontificatus nostri anno IV.

XXIII.

Confirmat resolutiones capituli generalis Congregationis fratrum Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Quum nonnulla decreta a capitulo generali praedictae Congr. constitutionibus plane contraria edita fuissent, a nonnullis recurritur ad S. Sedem,

§ 1. Aliàs pro parte tunc existentium praefecti generalis et vocalium capituli generalis Congregationis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in Indiis occidentalibus, quae in veram religionem auctoritate apostolicâ erecta reperitur, nobis exposito quod, cum in praecedenti capitulo generali eiusdem Congregationis anno MDCCXXIV. celebrato, contra formam constitutionum ipsius Congregationis auctoritate apostolicâ confirmatarum, statutum fuisset officium praefecti generalis dictae Congregationis perpetuum, sive ad vitam electi esse debere, ac nonnulla alia decreta praefatis constitutionibus plane contraria edita essent, adversus quae plurium hospitalium sive domorum dictae Congregationis nomine habito ad felicis recordationis Clementem Papam XI. praedecessorem nostrum recursu, ac rei cognitione Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae per eumdem Clementem praedecessorem demandatâ, et ab hac tribus ipsius Congregationis Cardinalibus ad id specialiter deputatis remissâ, prodiisset a Congregatione particulari dictorum trium Cardinalium die XII. aprilis MDCCIX. decretum tenoris sequentis, videlicet:

Emanavit praesens decretum Congregationis particularis, quo revocata fuere praedicta decreta constitutionibus contraria.

Revocatis decretis asserti capituli generalis in eâ parte, in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis, serventur omnino eaedem constitutiones et Archiepiscopo Limano pro executione et convocatione capituli, cui praesideat per se sive per alium cum omnibus facultatibus sacrae Congregationis, et, quatenus tunc temporis Archiepiscopus obierit, exequatur et praesideat Vicarius capitularis;

Aliis deinde instantiis coram eâdem Congregatione propositis, ab eâ emanavit decretum pro convocatione capituli generalis, in quo discuterentur et resolverentur puncta in praefatis instantiis praeposita.

Subinde vero coram eâdem Congregatione particulari Cardinalium nonnullae aliae instantiae per tunc pariter existentes in almâ Urbe dictae Congregationis fratrum procuratores propositae essent, quas ipsa Congregatio particularis Cardinalium die XXXI. ianuarii MDCCX. admittere noluerat, sed votum proximi capituli generalis desuper exquiri mandaverat; iterumque ad trutinam in dictâ Congregatione particulari Cardinalium revocatâ resolutione ab eâdem die XII. aprilis captâ, reque die V. februarii MDCCXIV. accurate discussâ, emanasset ab eâ decretum, quo, persistendo in decisis quoad revocationem decretorum in capitulo generali anni MDCCIV. ut praefertur editorum et convocationem dicti capituli generalis, iniunctum fuerat, per vota secreta in hoc proximo capitulo generali exquiri an expediret officium praefecti generalis dictae Congregationis fratrum in posterum

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

fore ad sexennium, seu potius ad novennium, exclusâ omnino illius perpetuitate; quamobrem, cum in capitulo generali huiusmodi in civitate Limanâ celebrato, illique praesidente venerabili fratre Archiepiscopo Limano, post peractam electionem dicti praefecti generalis, discussa in eo et resoluta fuissent puncta in praefatis instantiis proposita, ac successive a nobis eorum confirmatio et approbatio expetita fuisset, nosque eorumdem examen supradictae Congregationi Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae commisissemus: eadem Congregatio Cardinalium, post auditam desuper relationem dilecti filii nostri Ludovici ipsius S. R. E. Cardinalis Pici nuncupati praefatae Congregationis fratrum apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, visaque iura distributa, et auditum votum bonae memoriae Caroli Augustini, dum viveret, eiusdem S. R. E. Cardinalis Fabroni nuncupati, causae ponentis, eiusmodi resolutiones in capitulo generali praefato unanimiter captas die XX. aprilis MDCCXXV. mature examinaverat, atque in hunc, qui sequitur, modum reformaverat et approbaverat, nimirum:

Resolutiones in capitulo generali captae referuntur.

De quibusdam officiis ad novennium duraturis.

I. Officium praefecti generalis, ac omnia officia illorum, qui in capitulo generali eliguntur, prout sunt assistentes particulares utriusque regni, durare debere ad novennium: servatis tamen, quoad electiones superiorum localium, constitutionibus Ordinis praecipientibus quod istae fiant de triennio in triennium:

De promovendis ad sacerdotium.

II. Expedire permittere religiosis ut promoveri possint ad sacerdotium cum sequentibus tamen conditionibus, videlicet: 1°. dummodo nullus promoveatur nisi post elapsum decennium a die ingressus in religionem; 2°. quod, ad effectum se promovendi ad sacerdotium, nullus directe vel indirecte uti possit mediatione alterius personae pro obtinendâ licentiâ a patre generali et assistentibus generalibus, sed proponi praefato generali debeat a vice-praefecto generali et assistentibus, si sit de regno ubi residet idem vice-praefectus generalis, si vero sit de regno ubi residet praefectus generalis, ipsi proponatur a superiore et a capitulo conventuali domus quae sit de sacerdote providenda, debeantque praefati vice-praefectus et assistentes, superior et capitulum patri generali eiusque definitorio illas personas significare, quas huiusmodi dignitates promereri posse crediderint; 3°. si aliter quispiam ad sacerdotium fuerit promotus, *ipso facto* incurrat in suspensionem a divinis, a qua nonnisi per Summum Pontificem absolvi possit; 4°. ad sacerdotium promoti teneantur celebrare et applicare sacrificium iuxta intentionem praefecti localis et iuxta obligationes communitatis illius domus, et quod si pro celebratione aliquam eleemosynam receperint, teneantur illam tradere in manibus ipsius praefecti localis ubi missae celebrantur, vel cuius subditus fuerit ille qui extra conventum celebraverit, sub poenis contra proprietarios inflictis; 5°. in quolibet conventu non adsint nisi duo sacerdotes, et in domibus, quae sunt matrices, tres, ad effectum supplendi in casum obitus in aliis conventibus; 6°. casu vero quo de licentiâ etiam patris generalis et assistentium aliqui ultra numerum praefixum promoverentur, si id ex propriâ promotorum culpâ contigerit, isti celebrare non possint, nisi supervenerit vacatio alicuius loci per obitum alterius sacerdotis, superiores autem qui licentiam dederunt, expleto novennio, voce activâ et passivâ remaneant privati; 7°. sacerdotes, ut supra, promoti, debent in omnibus sequi vitam regularem et deferre coronam clericalem ad instar sacerdotum Ordinis S. Ioannis Dei, et nunquam, nec etiam per breve temporis spatium, possint esse praefecti generales, nec ullam praelaturam in religione habere supremam seu ordinariam, nec ex dispensatione patris generalis, nec definitorii generalis, nec cuiuscumque alterius superioris, sed solummodo possint esse discreti conventuum, magistri novitiorum et assistentes provinciae; 8°. denique, si aliquis sacerdos saecularis aegrotus in hospitalibus degens pro suâ devotione peteret ad habitum religionis, antequam obiret, admitti, possint pater generalis et definitorium pro huiusmodi admissione alicui de praefectis localibus licentiam concedere, accedente tamen consensu illius communitatis, non obstante quod in eodem conventu alii duo adsint sacerdotes, ut supra:

De non suscipiendis in religionem iis, qui religioni inserviunt, vulgo *Donados*.

III. Neque praefectus generalis, neque alius quicumque superior, illos possit in religionem suscipere, qui eidem religioni inservierunt, vel fuerint, ut vulgo dicitur, *donados;* quod si secus factum fuerit, admissio, per eiusmodi emissa, nullius sit roboris vel momenti: reservatâ tamen capitulo generali facultate *donados* ad habitum admittendi, quatenus expedire censuerit:

Qui praesidere debeat capitulo generali et illud convocare.

iv. In casu obitus praefecti generalis, quando ad eum spectaret convocare capitulum, seu vicarii generalis, vel in casum gravis infirmitatis seu cuiuscumque alterius legitimae causae eos legitime impedientis, ius convocandi capitulum generale et in eo praesidendi pertineat ad assistentem generalem antiquiorem, seu, etiam eo impedito, ad alios assistentes iuxta eorum antianitatem, vel alios vocales qui sequuntur, attentâ semper eorum antianitate:

De vice-praefectis.

v. Demum defunctis vice-praefectis generalibus Limae aut Messici, seu praefecto cuiuscumque alterius provinciae, praefectus noviter electus, unâ cum assistentibus illius regni, ea omnia gerere possit quae a constitutionibus Ordinis vice-praefectis generalibus conceduntur, donec adveniat eius confirmatio ab iisdem constitutionibus praescripta; et, si iustis de causis denegata fuerit, adhuc omnia per ipsum gesta valida sint et plenarium suum effectum consequi debeant, dummodo ea aliunde sacris canonibus et constitutionibus eiusdem Ordinis contraria non sint:

Quae resolutiones alias a Pontifice confirmatae fuere.

Et in eâdem expositione subiuncto, quod ipse praefectus generalis aliique vocales praemissa apstolicae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderarent: nos, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas capituli generalis resolutiones auctoritate apostolicâ approbavimus et confirmavimus, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die iv. maii eiusdem anni MDCCXXV. expeditis litteris uberius continetur.

Verum postea iustis de causis aliquot declarationes et reformationes a praedictis fratribus in ultimo capitulo generali editae fuere, preces addentes, ut ab Apostolicâ Sede confirmarentur.

§ 2. Et postmodum, pro parte dilectorum filiorum modernorum praefecti et assistentium generalium dictae Congregationis fratrum nobis exposito, quod, aucto hospitalium seu domorum ipsius Congregationis fratrum numero, quem semper magis in dies, benedicente ac incrementum dante Domino, ad Dei gloriam pauperumque aegrotantium levamen, auctum iri sperabant, eadem Congregatio fratrum nonnullis gratiis et praerogativis, illius vero constitutiones a Sede Apostolicâ confirmatae aliquot declarationibus et reformationibus praesenti religionis statui accommodatis indigebant, atque tam istas, quam novam breviorem in ultimo capitulo generali confectam professionis regularis emittendae formulam, per nos approbari et praescribi summopere cupiebant, precibusque nobis super hoc exhibitis, ad memoratam Congregationem Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam iussu nostro similiter remissis: dicta Congregatio Cardinalium, auditis prius ipsius Ludovici Cardinalis et protectoris, necnon dilecti pariter filii nostri Ludovici dictae S. R. E. Cardinalis Belluga et Moncada nuncupati, ponentis, relationibus sibi desuper factis, negocioque mature expenso, die XII. iulii MDCCXXVI. et XXI. novembris MDCCXXVII. eisdem precibus annuendum censuit ut infra, nempe:

Reformatio professionis in posterum emittendae.

i. Firmâ et validâ permanente professione illorum religiosorum, qui hactenus sub veteri formulâ professi fuerunt, approbandam fore novam breviorem formulam in capitulo generali exaratam, sub qua solemnis professio per religiosos in posterum professuros emitti debeat, quae quidem formula est tenoris sequentis, videlicet: *In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ego N.N. liberâ et spontaneâ voluntate solemniter voveo et promitto omnipotenti Deo, iuxta regulam Sancti patris Augustini et constitutiones Ordinis hospitalitatis sub titulo de Bethlehem, in manibus reverentiae vestrae observare obedientiam sanctissimo patri nostro sancto Pontifici N. N. eiusque successoribus, et reverendo patri nostro praefecto generali, aliisque meis superioribus, eorumque successoribus; ac insuper voveo et promitto paupertatem, castitatem et exercere hospitalitatem usque ad mortem erga pauperes infirmos, etiam infideles, licet contagiosâ infirmitate afficiantur. — Et ego N. N., facultate mihi concessâ a reverendo patre praefecto generali et nomine meae religionis, tuam professionem accepto ratamque habeo, et siquidem usque ad mortem vota tua Domino reddideris, et promissa tua, adiuvante gratiâ, adimpleveris, nomine eiusdem omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti vitam tibi aeternam atque immortalem gloriam tibi promitto.*

Declarationes nonnullae praedictae.

ii. Qui praefecti generalis munus expleverunt, in capitulo generali perpetuum tam activum quam passivum votum habeant; ultimus vero praefectus generalis, post expletum sui generalatus officium, in capitulo generali immediate sequenti voce passivâ careat, ita ut pro novennio immediate sequenti in eodem officio nec confirmari nec eligi valeat.

Suffragium praefecti generalis decidere debet suffragiorum aequalitatem.

III. Quia aliquando contingere solet, quod in scrutandis materiis et controversiis bonum regimen ac gubernium religionis concernentibus, sive in definitorio generali, sive in particulari, suffragia vocalium reperiantur aequalia, ne ob eiusmodi aequalitatem materiae remaneant indecisae, per novum praefecti generalis ibidem praesidentis suffragium, quaecumque materia seu discordia in suffragiorum aequalitate posita et constituta dirimatur et decidatur.

De sacramentis ab iis, qui hospitalibus Bethlehemiticis inserviunt, quocumque tempore administrandis.

IV. Cum praecipuum, imo unicum huius religionis institutum sit hospitalia retinere, in eisque omnes recipere infirmos quacumque infirmitate etiam epidemicâ laborantes, capellani sive saeculares a superioribus Bethlehemiticis electi, sive sacerdotes ex eâdem religione Bethlehemiticâ vel ex quacumque aliâ assumendi, tam illis, qui ipsis infirmis et convalescentibus inserviunt, quam omnibus aliis hospitalium servitio addictis, etiam in Paschate, Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis sacramenta possint et valeant administrare, dummodo praefati capellani pro Poenitentiae sacramento administrando, mortis articulo excepto, ab Ordinario loci, qui actu suam ecclesiam gubernet, licentiam confessiones excipiendi habeant.

De hospitalibus pro mulieribus infirmis.

V. Quamvis autem in constitutionibus eiusdem Ordinis, cap. VI., § 3, ita statutum sit: *Non debet excludi ab hospitalibus nostris ullum genus personarum, ad omnes debet extendi, omnes debent amplecti caritatis ulnae, liberos, servos, mauros, nigros et gentiles:* nihilominus in iisdem excipiuntur mulieres, quae nec ut curentur, nec ad invisendos infirmos in hospitalibus debent admitti. Quia vero nonnullae civitates et loca religiosos Bethlehemitas ad erigendum in ipsis hospitalia vocarunt vel admiserunt, et quamplures eâ lege hospitalia fundarunt, vel eleemosynas contribuerunt, ut in ipsis, sub curâ mulierum et in aedibus separatis ab illis virorum, pauperes mulieres infirmae excipi et curari possint, compertumque experientiâ sit in maximum id proximi cedere auxilium: ideo, firmâ remanente praefatâ constitutione quoad hospitalia virorum, approbanda esse hospitalia, seu domus, ut supra erecta, aliaque posse in futurum erigi ac fundari, in quibus mulieres infirmae recipi et curari valeant, dummodo huiusmodi hospitalia seu domus ab hospitalibus et domibus virorum nedum sint separata, verum etiam nullâ ex parte eisdem sint immediate contigua, ac dummodo in hospitalibus vel domibus mulierum nonnisi religiosus sexagenarius pro rectore, et unus vel duo sacerdotes aetate provecti pro administrandis sacramentis, constitui valeant, quin alius religiosus commorari ibi possit, ita et taliter quod, si alio modo fiat in aliquâ domo vel hospitali, eo casu eadem domus vel hospitale *ipso facto* subiectum sit et remaneat visitationi Episcopi et Ordinarii loci.

De capellanis praedictorum hospitalium a quovis onere eximendis.

VI. Cumque necesse sit quod religiosi Bethlehemitici et capellani continuo moram trahant in hospitalibus, ne detur casus quod aliquis infirmus repentino accidente correptus absque sacramentis debitâque assistentiâ decedat, declarandum, et, quatenus opus, de novo concedendum fore, quod tam praefati omnes religiosi Ordinis Bethlehemitici, quam presbyteri saeculares vel regulares alterius cuiusque religionis, qui per superiores praefati Ordinis in capellanos assumpti sunt et imposterum assumi contigerit, sint exempti a quocumque onere processionum publicarum vel functionum ecclesiasticarum, ob quas teneantur abesse etiam pro modico tempore ab hospitalibus, ad instar religiosorum S. Ioannis de Deo.

Confirmatio declarationum et constitutionum relatarum.

§ 3. Cum autem, sicut iidem praefectus et assistentes generales nobis denuo nuper exponi fecerunt, ipsi praefatas declarationes, reformationes et novas constitutiones ab ipsâ Congregatione Cardinalium conditas seu approbatas, quo firmius subsistant ac serventur exactius, apostolicae quoque nostrae confirmationis praesidio roborari maxime desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum dictae S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, declarationes, reformationes et novas constitutiones praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore

praesentium, approbamus itidem et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, atque tam illas quam praeinsertas quoque resolutiones in supradicto capitulo generali captas, et a nobis per litteras nostras praefatas similiter approbatas et confirmatas, sicut praemittitur, in praxim et usum redigi, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, religiose et inconcusse servari, praecipimus et mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, quos concernunt et pro tempore concernent, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quoad ea quae praesentibus adversantur, dictae Congregationis fratrum, illiusque provinciarum, domorum seu hospitalium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. septem. MDCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXIV.

Monachos ruthenos Ordinis S. Basilii M. declarat inhabiles ad officia et dignitates episcopatus, absque consensu Protoarchimandritae (1).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Causae huius constitutionis et preces procuratoris generalis nomine totius Ordinis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius modernus procurator generalis Ordinis Sancti Basilii Magni, tam suo quam eiusdem Ordinis nomine, nobis nuper exponi fecit, iuxta consuetudinem hactenus servatam in Ecclesiâ et Ritu Graeco-unito ad archiepiscopatus et episcopatus religiosi Basiliani assumantur, saepe vero contingat quod aliqui praedictas dignitates per commendationes magnatum, non sine praefati Ordinis perturbatione, sibi procurent: dictus procurator generalis, quo ambitiosis via praecludatur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret:

Declaratio inhabilitatis praedictae.

§ 2. Nos, eiusdem procuratoris generalis votis quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ad officia et dignitates monachos omnes memorati Ordinis, qui sine expresso superioris generalis seu protoarchimandritae pro tempore existentis et memorati Ordinis consensu sibi archiepiscopatus, episcopatus, archimandrias aut quascumque alias dignitates procurarent, eo ipso ad illas inhabiles, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus.

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Consulendae tamen sunt literae apost. Ben. XIV. *Incitum* datae die XII. aprilis MDCCLIII., inferius suo loco referendae, quibus dictae derogat inhabilitati.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ingnoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI. dec. MDCCXXVIII., pontificatus nostri anno v.

XXV.

Indicit beatificationem servi Dei Fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum, primi ex missionariis S. C. de P. F. in odium fidei interempti (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium a cultu servis Dei exhibendo.

Beatorum martyrum, quos nec tribulatio, nec augustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius a caritate Christi separare potuerunt, sed loricâ fidei indutos ac mucrone spiritus (quod est verbum Dei) accinctos, bono certamine peracto, cursuque feliciter consummato, victores post agonem coronâ iustitiae donavit in caelis iustus iudex, gloriosos triumphos ac trophaea in terris celebrari, devotâque fidelium veneratione honorari decet; ut, qui sanguinis sui pretio immortalitatem emerunt, illustriaque invictae constantiae, fortitudinis ac virtutis suae exempla reliquerunt, infirmitatem nostram, inter saeculi tentationes laborantem, assiduâ suâ apud Deum, cui in stolis candidis die ac nocte serviunt in templo eius, intercessione iuvare ac roborare dignentur. Quam in rem pro pastorali nostro munere, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, propensis studiis incumbentes, flagitantia id ipsum orthodoxorum regum et aliorum christifidelium vota libenter exaudimus, prout ad gloriam omnipotentis Dei, ad christianae religionis decus, fideique catholicae incrementum, ac sanctae matris Ecclesiae exaltationem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev. Die XXIV. feb. S. P. mandaverat publicari sequens decretum declarationis martyrii huius venerabilis servi Dei:

BENEDICTUS PAPA XIII.

Decretum Constantiense seu Curiense beatificationis et canonizationis, sive declarationis martyrii, venerabilis servi Dei fratris Fidelis a Sigmaringa sacerdotis professi Ordinis S. Francisci Capuccinorum, primi ex missionariis sacrae Congregationis de Propagandâ Fide ab haereticis in odium fidei interempti.

§ 1. Habita fuit Congregatio generalis sacrorum rituum coram sanctissimo domino nostro Benedicto XIII. die XV. februarii currentis anni MDCCXXIX., in qua per reverendissimum dominum Cardinalem Cienfuegos ponentem relatorem, ad instantiam patris fratris Maximiliani a Wanghena postulatoris, proposita fuit causa Constantiensis seu Curiensis beatificationis et canonizationis sive declarationis martyrii venerabilis servi Dei fratris Fidelis a Sigmaringa sacerdotis professi Ordinis Sancti Francisci Capuccinorum, super dubio: *An constet de martyrio et causâ martyrii, necnon de signis seu miraculis in casu de quo agitur*. In eam autem Sanctitas Sua, auditis tum dominorum consultorum tum reverendissimorum Cardinalium suffragiis, nil tunc decernere, sed resolutionem differre voluit, ut prius de more tum suis tum aliorum precibus caelestis luminis et auxilii uberiorem copiam imploraret. Quibus abunde impletis, infrascriptâ die divo Matthiae apostolo sacrâ, postquam in ecclesiâ S. Sixti Ordinis Praedicatorum novissime electum Adratensem Episcopum consecrasset, super proposito dubio sequens responsum sive decretum edidit, videlicet: *Constare de martyrio et causâ martyrii, necnon de miraculis:* primo *extinctionis incendii arcis Maienfeldae, statim post invocatam servi Dei opem, secutae;* quarto *subitae sanationis dexterae mammillae sororis Caeciliae Mansingerin ab inflammatione et acutis doloribus;* quinto *instantaneae sanationis oculi infantis Pauli Francisci Papussin;* et septimo *repentinae sanationis Gasparis Stiher a diuturno dorsi dolore cum laesione motus:* tamquam miraculis tertii generis.

§ 2. Praesensque beatificationis venerabilis servi Dei Fidelis a Sigmaringa per litteras apostolicas in formâ Brevis cum cousuetis indultis in basilicâ Lateranensi quandocumque faciendae decretum expediri et publicari mandavit die XXIV. feb. MDCCXXIX.

Iudicium hac super re Congregationis Rituum.

§ 1. Cum itaque, mature diligenterque discussis et perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de huius Sanctae Sedis Apostolicae licentiâ confectis super martyrio et causâ martyrii Dei servi Fidelis a Sigmaringa, presbyteri expresse professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, qui olim a suis superioribus regularibus in praefectum sacrarum missionum, quae in partibus Rhaetorum auctoritate eo tempore existentium eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum tunc primum institutae fuerant (1), destinatus, cum in hoc munere haereticorum conversioni eximiam indefessamque operam navaret, ab iis vario telorum genere in odium ipsius fidei catholicae anno MDCXXII. crudeliter trucidatus, palmam martyrii accepisse asserebatur, ac super signis, prodigiis et miraculis, quae ad manifestandum mundo finalem illius perseverantiam a Deo edita et patrata fuisse dicebantur, praedicta Congregatio Cardinalium coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, censuerit posse, quandocumque nobis videretur, eumdem Dei servum publice Beatum nuncupari cum solitis indultis:

Beati nomen praedicto servo Dei impertitur, eiusque cultus permitti.

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici et Romanorum regis in imperatorem electi, et carissimae in Christo filiae nostrae Elisabethae Christianae earumdem Hispaniarum catholicae ac Romanorum reginae eius coniugis, necnon venerabilium itidem fratrum nostrorum negotiis Propagandae Fidei huiusmodi praepositorum aliorumque dictae S. R. E. Cardinalium ac quamplurium Germaniae antistitum et procerum, totiusque praefati Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, et nominatim Maximiliani a Wanghena eiusdem Ordinis professoris huiusque causae postulatoris supplicationibus nobis et huic Sanctae Sedi super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus, ut praefatus servus Dei Fidelis a Sigmaringa imposterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, imagines quoque radiis, splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis eius transitus, seu aliâ die non impeditâ illam immediate sequenti, recitetur officium et missa celebretur de communi unius martyris iuxta rubricas breviarii et missalis romani.

Missae et officii recitandi de eo facultas conceditur.

§ 3. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo Ordine Minorum S. Francisci Capuccinorum utriusque sexus, quem idem Dei servus martyrio illustravit, in loco de Sigmaringa dioecesis Constantiensis provinciae Moguntinae, in quo natus est, in oppido civitate nuncupato Friburgi dictae dioecesis, ubi regularem professionem emisit, diuque versatus fuit, in civitate Curiensi, ubi ipsius corpus, ac pago Veldekirchii Curiensis dioecesis, ubi eius cranium respective asservantur, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et, quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias in quibus festum peragitur confluentibus. Praeterea, primo dumtaxat anno a datis hisce litteris et quoad Indias a die quo eaedem litterae illuc pervenerint inchoando, in ecclesiis Ordinis, loci, civitatis et pagi praefatorum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constituto, postquam tamen in ecclesiâ Lateranensi de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XXIV. currentis mensis martii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii dictae Congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII. martii MDCCXXIX., pontificatus nostri anno VI.

---

(1) Male edit. Main. legit *fuerat*.

XXVI.

Fr. Dorotheo a SSma Trinitate Ord. Capuccinorum committit ut, per se vel per alium, exigat a Cyrillo Patriarchâ Antiocheno Graecorum fidei professionem et iusiurandum quo promittat, se non mutaturum ritus et mores Ecclesiae Graecae, ac mutatos restituturum, quibus obtentis declaret Patriarchalem illius electionem auctoritate apostolicâ confirmatam fuisse (1).

Dilecto filio Dorotheo a Sanctissima Trinitate Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum professori,

BENEDICTUS PP. XIII.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Quamquam solicitudini omnium Ecclesiarum, Domino adiuvante, pro viribus respondere ac satisfacere nitimur et curamus; nisi tamen fides et sedulitas eorum, quibus mandata nostra perficienda concredimus, apostolicae providentiae officiis obsequatur, curarum nostrarum fructus facile intercidit. Quoniam vero satis nobis compertum est, quam impigre susceptos pro catholicâ Religione labores impendere, quantamque huic S. Sedi obedientiam probare pergas, bono animo alacritatem religionemque tuam ad prosperum consilii iudiciique nostri successum advocamus. Cum itaque electionem ven. fratris Cyrilli catholici Patriarchae Antiocheni Graecorum confirmare decreverimus, tibi, dilecte fili, potestatem facimus, etiam cum facultate subdelegandi, ut ab eodem Cyrillo catholicae fidei professionem excipias ad formam praescriptam a fel. record. Urbano Papa VIII. praedecessore nostro, tibique praecipimus et mandamus, ut ab eo iusiurandum exigas, quo polliceatur, nihil in se aut subditis suis immutaturum in ritibus et consuetudinibus graeci ritus ab (2) hac S. Sede prius consultâ, rebusque communicatis cum S. R. E. Cardinalium Congregatione Propagandae fidei negotiis praepositâ, seque operam daturum, ut in pristinum morem et observantiam restituantur, quae forte vel ab ipso vel ab Euthymio bo. mem. Archiepiscopo Tyri et Sidonis fuerint immutata; praescripta quoque et mandata eiusdem Congregationis, quorum exemplar ipsi reddes aut reddendum curabis, se fideliter impleturum. Emissâ igitur ad eam, quam diximus, formam fidei professione, praestitoque antedicto de servandis conditionibus iureiurando, volumus, ut auctoritate nostrâ per te ipsum vel per subdelegatum tuum, confirmatam a nobis Patriarchalem electionem declares; eique verbis nostris praecipuae caritatis et gratulationis sensus significes. Dum autem in tuâ observantiâ solertiâque insignem fiduciam reponimus, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. aug. MDCCXXIX., pontificatus nostri anno VI.

XXVII.

Confirmat decretum capituli generalis Ordinis Minorum, quo statuitur vocales Indiarum Occidentalium frui debere praemio et praeeminentiis statutis per constitutiones, etsi nonnulae eis desint qualitates (3).

**BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel de Vicuna, definitor et prominister provincialis provinciae S. Didaci in regno Mexicano Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, tam suo quam aliorum vocalium, qui ex Indiis Occidentalibus ad capitulum generale dicti Ordinis in civitate Mediolanensi novissime celebratum convenerunt, nomine, quod, cum fratribus Ordinis eorumdem Minorum S. Francisci de Observantiâ etiam nuncupatorum, ex Indiis huiusmodi ad capitula generalia, quae in Europâ peraguntur, accedentibus, per constitutiones ipsius Ordinis privilegia et exemptiones, quibus de iure et consuetudine patres provinciae in eodem Ordine gaudent, tametsi aliquae qualitates ad hoc a dictis constitutionibus requisitae eis ceteroquin deessent, ob longi itineris labores ac discrimina, quae subire debent, concessa re- *Facti expositio et causa, cur a praedicto capitulo decretum praefatum emanaverit.*

(1) Ex Regest. Vatic. epist. ad Princip. et alios, pag. 75.

(2) Fort. pro *ab* legend. *nisi*.

(3) Ex Regest. in Arch. Brev.

periantur; ipseque Emmanuel unà cum ceteris vocalibus praedictis, considerans se quoque et fratres Discalceatos eisdem incommodis ac difficultatibus, quibus illi de Observantiâ subiacent, in accessu ad capitula generalia huiusmodi obnoxios esse, ne diverso ab eis iure, ubi par ratio militat, censerentur, deteriorisque ac illi forent conditionis, preces novissimo capitulo generali praefato porrexisset ad hoc ut praemium fratribus de Observantiâ ex Indiis ad capitula generalia venientibus per dictas constitutiones statutum tunc ac deinceps ad ipsos fratres Discalceatos extenderetur, iisque rationi consonis repertis, emanavit a dicto capitulo generali decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedicti capituli generalis.

Convocato definitorio generali die XI. iunii, pendentibus adhuc actis capitularibus, et propositis in eo laboribus et periculis, quibus patres vocales Indiarum in tam longo et arduo itinere subiecti fuerunt, idem definitorium statuit et decrevit, ut omnes praefati patres vocales, etsi nonnullae deficiant qualitates pro consequendo praemio statuto a constitutionibus Ordinis venientibus ad capitulum generale praesertim cismontanum, tali praemio ac praeeminentiis frui debere. Datum Mediolani, die XII. augusti MDCCXXIX.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Emmanuel praemissa, quo firmius subsistant ac serventur exactius, apostolicae confirmationis patrocinio communiri, et aliàs opportune desuper a nobis provideri summopere desideret: nos, eumdem Emanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius ac ceterorum vocalium supradictorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, necnon privilegia et gratias, quibus praedicti fratres de Observantiâ ad capitula generalia exinde venientes iuxta dicti Ordinis constitutiones fruuntur seu frui possunt, ad eosdem fratres Discalceatos, qui deinceps futuris temporibus ex Indiis et capitula generalia huiusmodi accederet (1), auctoritate et tenore praefatis extendimus et ampliamus.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, illiusque provinciarum et conventuum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX. sept. MDCCXXIX., pontificatus nostri anno VI.

XXVIII.

Confirmat decretum Episcoporum et Regularium super concessione facultatis praefecto et definitorio generalibus Ordinis fratrum Bethlehemitarum admittendi aliquos presbyteros saeculares ad habitum et professionem (2).

---

(1) Potius lege *accedent*.

(2) Ex Reg. in Arch. Brev. De aliis facultatibus ab eodem Pontifice iisdem factis, vide constit. edit. MDCCXXVIII., die XIII. septembris, pontif. V.

BENEDICTUS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Causae expositae a praedictis praefecto et assistentibus generalibus dicti Ordinis Congregationi Episcoporum et Regularium pro obtinendâ praefata facultate.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum praefecti et assistentium generalium Ordinis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod, licet in constitutionibus dicti Ordinis a Sede Apostolicâ confirmatis, cap. II., § 8, expresse dispositum fuisset, ut non possit admitti in eiusmodi religionem ullus qui sit in ordine sacro constitutus, nec capellani, nec ullo alio titulo, neque ullus frater ex tunc admissis et in posterum admittendis ordinari, quia statui sacerdotali non conveniunt manualia ministeria, in quibus exercere se debent fratres praedicti, nihilominus in capitulo generali eiusdem Ordinis celebrato anno MDCCXXI. in civitate Limanâ resolutum fuerat per communia suffragia, quod expediret habere in praefato Ordine religiosos, qui deinceps ad sacerdotium promoverentur, sub quibusdam tamen conditionibus, quarum quinta erat, quod in quolibet conventu non adessent nisi duo sacerdotes, et in domibus quae matrices existunt, tres, ad effectum supplendi in casum obitus in aliis conventibus, haeque et aliae resolutiones, captae in eiusmodi capitulo generali, a nobis confirmatae et approbatae fuerant per binas alias nostras in simili formâ Brevis die IV. maii MDCCXXV. et die VIII. sept. MDCCXXVIII. desuper expeditas litteras; et in eâdem expositione subiuncto, quod, ob exiguum numerum religiosorum, qui sint habiles ascendendi ad sacerdotium, ac propter ingentem numerum infirmorum existentium in hospitalibus et conventibus praefati Ordinis, contingere posset, quod praedicti infirmi absque sacramentis decederent; ac proinde ipsorum exponentium nomine eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut pro opportuno remedio indulgere, ac impertiri vellet perpetuam facultatem praefecto et definitorio generalibus pro tempore existente dicti Ordinis admittendi imposterum ad habitum et professionem quoscumque presbyteros saeculares, et ad sacros ordines in saeculo promotos, qui ad hoc idonei censerentur, dummodo tamen non excederent numerum praefixum in praecitatâ quintâ conditione, cum potestate etiam subdelegandi in casibus necessariis istam facultatem omnibus superioribus localibus dicti Ordinis degentibus in regnis Peruano et Mexicano, et cum expressâ derogatione supradicti cap. II., num. VII. constitutionum, ubi expresse cavetur, ne presbyteri saeculares et in ordinibus sacris constituti in religionem praefatam admittantur: emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum a praedictâ Congregatione hac super re emanatum.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis narratis, referente eminentissimo Cardinali Belluga, censuit rescribendum, prout praesentis decreti vigore benigne rescribit, *Pro gratiâ, ut petitur*. Romae, die XXX. septembris MDCCXXIX. I. FRANCISCUS Card. LERCARI. — A. Archiepiscopus PENENSIS secretarius. *Loco † sigilli*.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedicti praefectus et assistentes generales nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et exactius servetur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabili-

ter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praemissis, aliisque dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxx. sept. MDCCXXIX., pontificatus nostri anno VI.

XXIX.

Extendit suas literas apostolicas Paterna Sedis *ad tertiarios etiam saeculares Tertii Ordinis, circa subiectionem ministro generali et superioribus regularibus Minorum de Observantia* (1).

BENEDICTUS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponuntur causae, ob quas praedicta extensio fieri debeat.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Bonaventura Gervasi procurator generalis fratrum Tertii Ordinis S. Francisci, quod, cum ministro generali pro tempore existenti eiusdem Ordinis in vim regulae cap. II., necnon binarum apostolicarum, unius scilicet felicis recordationis Clementis VII., quae incipit *Dum uberes fructus* etc., idibus martii MDXXVI. et alterius recolendae memoriae Pauli III., Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, cuius initium est *Ad fructus uberes* etc., V. nonas iulii MDXLVII., sub plumbo emanatarum, facultas competat per se aliosve superiores subalternos recipiendi in eumdem Ordinem tertiarios, etiam saeculares, sive in propriis domibus degentes, sive collegialiter viventes, quorum aliqui etiamnum reperiuntur, qui ab ipsius ministri generalis directione dependent; idem Bonaventura, ad tollendas quascumque molestias et vexationes, quas non minus tertiarii saeculares huiusmodi, quam minister generalis aliique superiores subalterni praefati sibi inferri posse verentur ab iis locorum Ordinariis qui dictos tertiarios saeculares suae obedientiae subiicere vellent, litteras nostras itidem sub plumbo, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV., IV. idus decembris, pontificatus nostri anno II., editas, per quas inter alia tertiarii de Poenitentiâ nuncupati directioni, curae et regimini ministri generalis ac superiorum Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ subiiciuntur seu subiecti declarantur, ad tertiarios eiusdem Tertii Ordinis per nos extendi plurimum desiderat, quemadmodum ad tertiarios fratrum etiam Minorum eiusdem Sancti Francisci Conventualium et Capuccinorum nuncupatorum, aliorumque Ordinum regularium iam extendimus, praesertim quia dictus Tertius Ordo admissus fuit a memoratis Clemente et Paulo praedecessoribus in enarratis eorum constitutionibus ad participationem privilegiorum quatuor Ordinibus Mendicantibus et nominatim Ordini fratrum Minorum Sancti Francisci ab hac Sanctâ Sede concessorum, nosque eiusmodi participationem in litteris nostris praefatis confirmavimus, et ad maiorem cautelam denuo concessimus: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio praefata litterarum eiusdem Sanctitatis Suae ad praedictos tertiarios dicti Tertii Ordinis.

§ 2. Nos igitur, ipsius Bonaventurae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac litterarum nostrarum praefatarum tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specifica-

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Citatam const. vide supra pag. 377.

tis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras nostras praedictas, quibus inter alia tertiarii de Poenitentiâ nuncupati directioni, curae et regimini ministri generalis ac superiorum Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum subiiciuntur, seu subiecti declarantur, sicut praemittitur, ad tertiarios etiam saeculares Tertii Ordinis, directioni, curae et regimini pariter subiaceant (1), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictorum Ordinum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX. sept. MDCCXXIX., pontificatus nostri anno VI.

XXX.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium super augmento vocalium provinciae S. Didaci Mexicanae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum (2).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti et causae cur Congregatio praedicta praefatum decretum ediderit.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Iosephi de Messa et Emmanuelis de Vicunna, fratrum expresse professorum ac procuratorum provinciae S. Didaci Mexicanae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum exposito, quod aliàs, consideratâ exiguitate numeri guardianorum dictae provinciae, ne propter paucitatem illius vocalium, ac divisionem et alternativam in eâ vigentem officiorum inter duas nationes Hispaniarum et Indicam, quibus eadem provincia constat, libertas in electionibus coarctata foret, vigore facultatis condendi propria et particularia statuta fratribus praefatae provinciae a Sede Apostolicâ attributae, per quamdam constitutionem eiusdem provinciae cap. IX., § 11, num. 11 ordinatum fuerat, quod in capitulis provincialibus, praeter et ultra vocales definitorii et guardianos, votum sive suffragium haberent qui fuerat custos in ultimo capitulo generali dicti Ordinis ac praesidentes conventuum S. Didaci Mexicani, S. Barbarae *de la Puebla,* S. Mariae de Ocholoposco, secretarius ipsius provinciae, si guardianatu perfunctus fuisset, concionatores conventuales praefatorum Mexicani et *de la Puebla* aliorumque dictae provinciae conventuum, S. Francisci de Oaxacâ, eiusdem S. Francisci de Pachuca, et S. Antonii oppidi civitatis nuncupatae de Queretaro, ac demum lector qui lecturam quindecim annorum in capitulo provinciali pro tempore celebrando explevisset, pro illâ vice tantum, et aliàs prout in dictâ constitutione uberius dicebatur contineri: et in eâdem expositione subiuncto, quod fratres provinciae praefatae tam enarratam constitutionem, quam facultatem quam habebant quaeque in viridi observantia erat, concedendi ac tribuendi votum seu suffragium huiusmodi quibusdam ipsius provinciae officiis, ubi id necessitas aut utilitas dictae provinciae exigeret, illudque revocandi quoties aucto guardianorum praedictorum numero cessaret ratio talis concessionis voti seu suffragii, per Sedem Apostolicam confirmari cuperent; quandoquidem causa finalis augmenti vocalium non alia foret quam libertas electionis, quae deesset si electio ad paucos vocales restringeretur, cum iuxta alias dictae provinciae constitutiones definitores provinciales eligendi sint ex gremio ipsius capituli provincialis, eo quod electio fieri debeat alternative inter duas memoratas nationes, inter quas officia ac vota, servatâ debitâ proportione, divisa reperiuntur, ita ut, quo amplior esset nume-

(1) Comma istud videtur legendum *ut directioni..... subiaceant eorumdem ministri generalis ac superiorum dicti Ordinis.*

(2) Ex Reg. in Arch. Brev. Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIX., die XXX. septembris, pontif. VI., confirmatum fuit quoddam decretum in favorem vocalium Indiarum Occidentalium.

rus capitularium, ex quorum gremio seu corpore electiones faciendae veniebant, eo maior foret libertas electionum, eoque facilius apti et idonei officiales deligi et assumi valerent: emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praefatae Congregationis.

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S.R. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster instantiam remisit, auditâ relatione patris procuratoris generalis, et attento suffragio eminentissimi Corsini eiusdem Ordinis oratoris apud Sanctam Sedem protectoris, referente eminentissimo Belluga ponente, censuit rescribendum, prout praesentis decreti vigore rescribit et decernit, ut in posterum in capitulis provincialibus provinciae oratricis, iuxta constitutiones provinciae, ultra definitorium et guardianos, habeant ius interveniendi ac suffragium ferendi custos, qui fuit in immediato capitulo generali, praesidentes conventuum S. Didaci Mexici, S. Barbarae de la Puebla, S. Mariae de Ocholaposco, secretarius provinciae qui aliquam guardianiam exercuit, necnon concionator conventualis Mexici, de la Puebla, S. Francisci de Oaxaca, S. Francisci de Pachuca, S. Antonii Gueretatis, necnon lector qui in eo capitulo complevit quindecim annos lecturae, sed pro eâ vice tantum; ita tamen ut provincia hunc numerum vocalium sub praetextu cuiuslibet facultatis augere non possit, et quoties novi conventus in eâ provinciâ fundentur, iuxta numerum quo fundentur, supra relatis novis vocalibus demantur suffragia, incipiendo a praesentibus conventuum, et deinde a praedicatoribus, servato inter ipsos ordine inferioritatis. Romae XXX. septembris MDCCXXIX. F. Cardinalis LERCARI *Loco* † *sigilli*. — A. Archiepiscopus PEHENSIS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedicti Iosephus et Emmanuel nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, ipsos Iosephum et Emmanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae et conventuum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. ian. MDCCXXX., pontificatus nostri anno VI.

XXXI.

Confirmat constitutiones apostolicas pro statu et bono regimine provinviae Mexicanae S. Didaci strictioris regularis observantiae Discalceatorum S. Francisci in Indiis Occidentalibus (1).

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

BENEDICTUS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae adstringimur, nos admonet, ut, paternam christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum curam gerentes, ea quae pro felici prospereque eorum statu et regimine a Romanis Ponticifibus praedecessoribus nostris provide constituta esse noscuntur, ut firma et illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter, cum id a nobis petitur, roboremus.

Expositio facti.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Iosephus de Massa et Emmanuel de Vicunna, fratres expresse professi ac procuratores provinciae S. Didaci Mexicanae in Indiis, sive Novâ Hispania, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Excalceatorum nuncupatorum, nobis nuper exponi fecerunt, plures litterae sive constitutiones apostolicae diversis temporibus pro salubri praefatorum Ordinis et provinciae directione emanaverint, nempe binae felicis recordationis Pauli V., die XIX. aprilis MDCXVIII., quarum initium est *Aliàs a felicis recordationis* etc., et *Dudum a felicis recordationis* etc., super erectione dictae provinciae, ac respectivae privilegiis et statutis fratrum dicti Ordinis, altera Urbani VIII., die XXII. septemb. MDCXLII., incipiens *Aliàs pro felici* etc., quibus eiusmodi privilegia confirmantur et statuta declarantur, necnon alia Clementis X., die XIX. iunii MDCLXXIV., quae incipiunt *Nuper in Congregatione* etc., ac reliquae Clementis XI. Romanorum Pontificum pradecessorum nostrorum die XXIV. novembris MDCCII., quarum pariter initium est *Alias a felicis recordationis* etc., circa quasdam super praecedentià aliasque controversias editae; fratres eiusdem provinciae magnam difficultatem agnoscentes recurrendi ad Sanctam Sedem, ubi aliqua in dictâ provinciâ quaestio aut controversia incidit aliave occurrit necessitas, propter nimiam regni Mexicani a Curià Romanâ distantiam, simulque exactiorem eiusmodi litterarum sive constitutionum apostolicarum observantiam enixe exoptantes, ad hoc etiam ut in posterum tollatur quaelibet occasio litium ac perturbationis in dictâ provinciâ, quae regularem disciplinam evertere, mutuamque charitatem inter illius fratres diminuere, ac fervorem spiritus restinguere saepe solent, litteras seu constitutiones praefatas apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nobis propterea praedicti Iosephus et Emmanuel humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio praedictarum litterarum seu constitutionum apostolicarum.

§ 2. Nos igitur, ipsos Iosephum et Emmanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum filium procuratorem generalem dicti Ordinis, necnon venerabilis fratris nostri Laurentii Episcopi Tusculani ipsius S. R. E. presbyteri Cardinalis Corsini nuncupati, eiusdem Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, suffragium desuper audierunt, et ad relationem dilecti filii nostri Ludovici pariter S. R. E. presbyteri Cardinales Belluga et Moncada nuncupati, eisdem Cardinalibus factam, rem universam mature discusserunt, consilio, memoratas litteras seu constitutiones Pauli V., Urbani VIII., Clementis X., Clementis XI., praedecessorum nostrorum, sicut praemittitur, emanatas, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur vim et efficaciam adiungimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefa-

torum Ordinis et provinciae illiusque conventuum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. ian. MDCCXXX., pontificatus nostri anno VI.

XXXII.

Reducit alternativam electionis vicarii generalis Congregationis Hispaniae et Indiarum fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini ad tres tantum Hispaniae provincias (1).

BENEDICTUS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ea, quae pro felici personarum regularium statu in capitulis generalibus interdum sancita et auctoritate apostolicâ comprobata fuerunt, cum incommodum afferre ac earumdem personarum tranquillitati obesse noscuntur, nostri muneris est provide moderari et immutare, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Olim dicta alternativa praescripta fuit per decretum capituli generalis, quod etiam ab Alexandro VII. approbatum fuit, inter tres Hispaniae provincias, aliamque insularum Philippinarum.

§ 1. Dudum siquidem pro parte tunc existentis procuratoris generalis Congregationis Hispaniae et Indiarum fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini felicis recordationis Alexandri Papae VII., praedecessori nostro exposito, quod in eiusdem Congregationis capitulo generali in oppido civitate nuncupato de Calatajud in Aragoniâ novissime tunc celebrato determinatum fuerat pro maiori quiete electionis vicarii generalis dictae Congregationis, et ut unusquisque ad inserviendum religioni magis animaretur, ipsi Alexandro praedecessori supplicandum fore, ut concederet electionem vicarii generalis Congregationi huiusmodi, servata inter B. M. V. in Columnâ Aragoniae, et S. Augustini Castellaenovae et veteris, necnon S. Thomae de Villanovâ Baeticae superioris et inferioris, ac S. Nicolai Tolentinatis respective nuncupatas insularum Philippinarum in Indiis provincias Congregationis praedictae alternativâ, sicut in Congregatione Italiae fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis observabatur, incipiendo a memoratâ provincia Aragoniae, fieri debere, itaut, eveniente casu, quo vocales Indiarum capitulo pro tempore celebrando adesse non valerent, tunc unus fratrum provinciae subsequentis iuxta ordinem supra expressum in vicarium generalem primodictae Congregationis eligi deberet: idem Alexander praedecessor, supplicationibus sibi per dictum procuratorem generalem nomine fratrum provinciarum praedictarum super hoc humiliter porrectis inclinatus, praenarratam alternativam electionem vicarii generalis Congregationis hiusmodi tanquam religiosorum tranquillitati et bono regimini praedictarum provinciarum proficuam et consentaneam, modo et formâ superius expressis, quatenus (ut asserebatur) in capitulo generali sic novissime celebrato legitime fuisset obtenta, auctoritate apostolicâ approbavit et confirmavit, ac iuxta praedicti capituli decretum fieri et observari mandavit; et aliàs, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXIII. februarii MDCCLX expeditis, quarum tenorem praesentibus pro expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis constitutionis, gravia nempe incommoda ob nimiam locorum distantiam ex Indiis in Hispaniam.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii tam modernus vicarius generalis quam universi fratres definitorii trium provinciarum Hispaniae dictae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, memorata alternativa electio vicarii generalis executioni demandari nusquam potuerit, propterea quod supradictae provinciae S. Nicolai Tolentinatis in insulis Philippinis quatuor numero fratres seu vocales, quemadmodum per constitutiones eiusdem Congregationis auctoritate praedictâ confirmatas requiritur, ex Indiis in Hispaniam, ubi capitulum generale ipsius Congregationis celebrari consuevit, traiicere nequeunt, tum ob nimiam locorum distantiam, tum quia eis non permittitur libera ex iisdem Indiis arbitrio suo discedendi facultas, quamobrem dilectus filius Iosephus a Solitudine assertus procurator istius provinciae anno MDCCXXVI. petierat constitutionibus praedictis in hac parte per

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

nos derogari, ut scilicet, attentâ difficultate quam dictae provinciae fratres seu vocales experiebantur ad interveniendum eidem capitulo generali numero quaternos per dictas constitutiones praescripto, statueremus, quod, si unus, aut duo, vel tres ex fratribus seu vocalibus ipsius provinciae capitulo generali interessent, is seu alter eorum necessario eligi deberet in eiusmodi vicarium generalem; sed, auditâ per nos eâ super re dilecti filii nostri et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncii relatione, huic petitioni minime annuendum duximus: et revera alternativa electio vicarii generalis, quatenus ad effectum perduci vellet, multiplices turbas aliaque gravia incommoda, quae, cum stabilita et determinata fuit, minus perpensa fuerunt, toti Congregationi ac omnibus quatuor provinciis praefatis allatura foret; nam, ultra gravia dispendia quae dicta provincia S. Nicolai Tolentinatis in insulis Philippinis in quatuor ipsius fratribus seu vocalibus ad capitulum generale huiusmodi mittendis facere deberet, ac longae navigationis discrimina quae istis subeunda forent, sacrarumque missionum, quibus in illis partibus pro conversione infidelium ad catholicae religionis veritatem assidue vacare tenentur, detrimentum, si vicarium generalem, qui foret de dictâ provinciâ, ab humanis decedere vel aegrotare contingeret, diu nimis ob locorum intervalla expectandum foret, antequam vicarius generalis in defuncti vel aegroti locum subrogari posset, ac interim praefata Congregatio sine capite ac superiore remaneret: ipsi exponentes, quo his aliisve diversis malis et perturbationibus ex dictâ alternativâ electione proventuris occurratur, simulque salubri ac tranquillo eiusdem Congregationis regimini prospectum sit, ipsam electionem vicarii generalis in pristinum, ac eum, in quo ante decretum supradicti capituli generalis erat, statum, scilicet inter tres provincias Hispaniae tantum reduci plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Reductio praedictae alternativae ad tres tantum Hispaniae provincias.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus inclinati, supradictam alternativam electionem vicarii generalis inter quatuor provincias Aragoniae, Castellae, Baeticae et insularum Philippinarum Congregationis praedictae, sicut praemittitur, constitutam, expeditasque desuper Alexandri praedecessoris litteras praefatas, ad solas dictas tres Aragonias, Castellae et Baeticae provincias, eâdem auctoritate, tenore praesentium, reducimus, illamque deinceps inter easdem tres provincias dumtaxat, prout ante decretum et litteras eiusmodi, servari ac fieri statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis, Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV. februarii MDCCXXX., pontificatus nostri anno VI.

CLEMENS XII.

CONSTITUTIO I.

Declarat quod collegium de Ozzier fratrum missionariorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ in regno Sardiniae remaneat sub iurisdictione superioris generalis totius Ordinis etc. (1).

CLEMENS PAPA XII.
ad futuram rei memoriam.

Seminarium huiusmodi a primâ sui institutione ministro generali Ordinis immediate subiectum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Bernardinus a Sanna, presbyter expresse professus conventus Castri de Ozzier in provinciâ Sardiniae Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum ac eiusdem conventus in Curiâ Romanâ procurator, quod, erecto ante quadraginta annos dicto conventu in collegium sive seminarium missionum sub immediatâ subiectione, dispositione et regimine tunc et pro tempore existentis ministri generalis Ordinis praefati, cum facultate eligendi guardianum et recipiendi novitios, ac cum regulis, constitutionibus et ordinationibus ad praescriptum quarumdam litterarum felicis recordationis Innocentii PP. XI. praedecessoris nostri incipientium *Catholicae Ecclesiae,* etc.:

Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, singula seminaria vel conventus etc. nonnullis exceptis, ministro provinciali subiiciens.

§ 2. Novissime nempe die VI. septembris MDCCXXXVIII., prodiit a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, decretum subinde a venerabilis memoriae Benedicto PP. XIII. praedecessore etiam nostro per suas in simili formâ Brevis litteras confirmatum, per quod, exceptis collegiis seu seminariis fratrum missionariorum huiusmodi tam erectis quam erigendis in regnis Mexicano et Peruano aliisque Indiarum provinciis pro conversione infidelium, ac demptis duobus in regno Lusitaniae existentibus, cetera, quae in provinciis Hispaniarum sub dominio regis catholici erecta sunt, reducuntur sub obedientiâ et regimine ministrorum provincialium cum iisdem conditionibus praescriptis in alio decreto Congregationis tunc quoque existentium ipsius S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum die XXIV. ianuarii MDCCXXVII. emanato et per memoratum Benedictum praedecessorem etiam approbato; et aliàs, prout in decreto primodictae Congregationis Cardinalium ac Benedicti praedecessoris litteris praedictis, quorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Quibus de causis hocce seminarium in huiusmodi decretis non comprehendi videatur.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet dictum collegium Castri de Ozzier provinciae Sardiniae in istiusmodi decreto ac litteris comprehensum non videatur, quia, ultra quod in provinciis Hispaniarum sub dominio regis catholici situm non reperitur, rationum momenta, quae causam praebuerunt enarratae reductioni, locum sibi non vindicant in collegio praedicto, utpote in eius regimine et gubernio superiores Ordinis praedicti nullam experti sunt difficultatem, neque ulla inconvenientia enata fuerunt in detrimentum salutaris instituti, quod illius fratres profitentur aut debitae et promissae obedientiae aliquid vel minimum detractum aut imminutum extitit; quinimo cum ingenti regularis observantiae incremento collegium ac fratres praefati uberrimos fructus in sacris missionibus quotannis obeundis, vitia extirpando, mores reformando, catechismum et catholicae fidei rudimenta edocendo, peccatores ad poenitentiam, dissidentes ad pacem et concordiam revocando, pietatem in Deum augendo, non sine magnâ christifidelium universi regni Sardiniae aedificatione, in vineae dominicae culturâ protulerunt, prout plures venerabiles fratres Episcopi ac dilecti filii locorum Ordinarii eiusdem regni contestantur;

Procuratoris preces Sanctitati Suae porrectae pro huiusmodi obtinendâ declaratione.

§ 4. Nihilominus dictus Bernardinus ad omnem dubitationis ac quaestionis occasionem, quae suboriri posset, submovendum, collegium praefatum in primodictae Congregationis decreto ac Benedicti praedecessoris litteris eiusmodi nequaquam comprehendi, sed sub dispositione priorum litterarum Innocentii praedecessoris remanere in omnibus et per omnia, non minus ac regni Lusitaniae et alia Indiarum Occidentalium collegia, sicut praemittitur, excepta, per nos declarari, et ad maiorem cautelam,

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

ac quatenus opus sit, illud in pristinum, ac eum in quo antequam huiusmodi decretum ac litterae Benedicti praedecessoris emanarent, erat statum, restitui et reintegrari summopere desideret; quum aequi bonique ratio postulet, ea quae ab initio provide constituta fuerunt, ubi nihil postmodum contigerit, quod contrarium suadeat, minime immutari: nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quod sanctissimus dominus noster de consilio eiusdem sacrae Congregationis de Propagandâ Fide indulget; hocce seminarium soli ministro generali Ordinis subiectum declarat.

§ 5. Nos igitur, ipsius Bernardini votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium praedictis negotiis Propagandae Fidei praepositorum, qui relationem dilecti filii nostri Nicolai ipsius S. R. E. Cardinalis Spinulae nuncupati sibi desuper factam audiverunt, remque mature perpenderunt, consilio, praefatum collegium sive seminarium Castri de Ozzier sub iurisdictione, obedientiâ et regimine superioris generalis Ordinis praedicti iuxta formam litterarum ipsius Innocentii praedecessoris continuandum esse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et declaramus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate primodictae Congregationis Cardinalium.

Praesentium litterarum observantia.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae et conventus huiusmodi iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. octobris MDCCXXX., pontificatus nostri anno I.

II.

Concedit Monachis S. Antonii Aethiopibus seu Abyssinis Ecclesiam S. Stephani Protomartyris Aethiopum in Urbe cum domibus, sub directione S. Congregationis de P. F. (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Alias, postquam rec. mem. Clemens Papa XI. praedecessor noster tunc in humanis Silverio Campana, dum vixit presbytero ac basilicae Principis Apostolorum de Urbe perpetuo beneficiato familiari suo, cappellaniam amovibilem ecclesiae S. Stephani protomartyris Aethiopum ac Abyssinorum nuncupati de eâdem urbe in Vaticano positae concesserat, illumque ipsius ecclesiae cappellanum amovibilem constituerat, ac per eumdem Clementem praedecessorem subinde accepto, quod dictus Silverius presbyter fabricae ecclesiae praefatae domorumque illi contiguarum una cum horto seu viridario, quae ipse Clemens praedecessor propriâ impensâ renovari et reparari curaverat, sedulam operam praestitisset, ac singulis annis sanctorum Stephani praedicti et Silverii Papae et martyris festivitates solemniter suis sumptibus celebrasset, idque etiam deinceps praestare paratus foret, memoratus Clemens praedecessor dictum Silverium presbyterum in praefatâ cappellaniâ ad sui vitam confirmaverat, et quatenus opus esset eam- Species facti.

(1) Ex Bul. de Prop. Fide vol. II., pag. 71, coll. cum Reg. Arch. Brev.

dem cappellaniam cum omnibus et singulis iuribus, salariis et emolumentis ac honoribus et oneribus solitis et consuetis eidem Silverio presbytero ad sui vitam assignaverat, eique, ut titulo rectoris eiusdem ecclesiae, cum onere tamen apud illam residendi, uti posset indulserat; fel. rec. Benedictus PP. XIII. praedecessor pariter noster bo. mem. Marcum Antonium, dum pariter viveret, S.R.E. Cardinalem Ansideum nuncupatum tunc temporis Archiepiscopum Damiaten. eidem Silverio presbytero coadiutorem cum futurâ successione in officio cappellani ac rectoris ecclesiae huiusmodi deputavit, ac ipsi Marco Antonio Cardinali, tunc Archiepiscopo, praefatum officium cappellani et Rectoris, quandocumque illud per cessum vel decessum dicti Silverii presbyteri aut alias quomodolibet ex eius personâ vacare contigisset, ex tunc cum omnibus et singulis salariis et emolumentis, quae idem Silverius percipiebat, nec non honoribus et oneribus solitis et consuetis et praesertim singulis annis Ss. Stephani et Silverii praefatorum festivitates, pro quarum celebratione a dicto Silverio presbytero dos constituta et assignata fuerat, solemniter celebrandi, ita ut praedicto Marco Antonio Cardinali, tunc Archiepiscopo, liceret statim, secuto obitu eiusdem Silverii presbyteri, aut ipso officium huiusmodi cedente vel dimittente, seu alias officio praedicto ex eius personâ quomodolibet vacante, eiusdem officii ac domorum dictae ecclesiae contiguarum una cum horto et viridario, quibus idem Silverius presbyter fruebatur, possessionem vel quasi possessionem apprehendere et retinere, ipsumque officium, cum obligatione tamen apud eamdem ecclesiam residendi, per se ipsum vel presbyterum ab eo deputandum exercere ad eius itidem vitam concessit, et alias prout in eorumdem Clementis et Benedicti praedecessorum literis desuper in simili formâ Brevis die x. octobris MDCCV. et die XXXI. augusti MDCCXXIV. respective expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Porro eodem Silverio presbytero vita functo, factus fuit locus successioni officio cappellani et rectoris huiusmodi favore ipsius Marci Antonii Cardinalis iuxta enarratam Benedicti praedecessoris literarum dispositionem.

Ecclesiae concessio cum pertinentiis suis.

§ 2. Cum autem officium dicti cappellani et rectoris per obitum eiusdem Marci Antonii Cardinalis novissime defuncti vacaverit et vacet de praesenti, nos dilectos filios monachos Ordinis S. Antonii Abbatis natione Abyssinos seu Aethiopes, et Coptos seu Aegyptios, quos vel quorum alteros olim dictam ecclesiam cum suis dependentiis et annexis ex Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac praesertim similis mem. Pauli PP. III. concessione de consensu tunc existentium canonicorum ac capituli basilicae praefatae, ad quam, ut asseritur, ecclesia praefata spectat, obtinuisse accepimus, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus venn. fratrum nostrorum S.R.E. praedictae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eosdem monachos natione Abyssinos seu Aethiopes, et Coptos sive Aegyptios, ad possessionem eiusdem ecclesiae domorumque illi contiguarum, nec non horti et viridarii aliorumque annexorum, auctoritate apostolicâ tenore praesentium, redintegramus seu, quatenus opus sit, ipsis Monachis usum perpetuum dictae ecclesiae cum domibus, horto, viridario aliisque annexis huiusmodi, nec non cappellaniâ praefatâ omnibusque et singulis iuribus, salariis et emolumentis, etiam a palatio nostro apostolico, iuxta tamen notulam per dilectum filium nostrum modernum illius praefectum desuper confectam praebendis, aliisque honoribus et oneribus solitis et consuetis, ac quibus dicti Silverius presbyter et Marcus Antonius Cardinalis quomodolibet fruebantur et frui poterant, ac gravabantur respective, auctoritate et tenore praefatis denuo concedimus et assignamus, eosque in locum ipsorum Silverii presbyteri et Marci Antonii Cardinalis quoad praemissa in omnibus et per omnia substituimus et subrogamus:

Quibus vero conditionibus.

§ 3. Ita tamen, ut praefati Monachi ibidem pro tempore existentes festivitates Sanctorum Stephani et Silverii iuxta dispositionem eiusdem Silverii presbyteri quotannis celebrare teneantur, ac Congregationis memoratorum Cardinalium illiusque praefecti pro tempore pariter existentis direc-

tioni et protectioni subsint, ipsique Congregatio Cardinalium et praefectus deputare valeat unum ex dictis monachis aliumve quemcumque administratorem seu rectorem ecclesiae praefatae, qui linguam abyssinam seu aethiopicam et copticam sive aegyptiacam nec non arabicam sufficienter calleat, ac epistolas aliasque scripturas, quae ex Aegypto vel Aethiopiâ ad eamdem Congregationem Cardinalium vel hanc S. Sedem pro tempore transmittuntur interpretari valeat, ac debeat, iniunctâ praeterea monachis praedictis obligatione Abyssinos seu Aethiopes et Coptos sive Aegyptios orthodoxos tam ecclesiasticos quam saeculares ad urbem devotionis et sacra loca invisendi causâ venientes hospitio in eiusmodi domibus excipiendi.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac, quatenus opus sit, piae mem. Pauli II. et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum itidem nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non ecclesiae, basilicae et Ordinis praefatorum, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die XV. ianuarii MDCCXXXI. Pontificatus nostri anno I.

III.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium, quo cavetur, ne sacerdotes Ordinis hospitalarii Sancti Hippolyti Mexicani praelaturas Ordinis obtinere possint, aut provinciae assistentes eligi (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Species facti.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositâ, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis.

« Supplicante generali Ordinis hospitalarii S. Hippoliti Mexici sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium pro facultate habendi in suis hospitalibus duos sacerdotes sui Ordinis, non obstantibus, etc., et annuente ipsâ sacrâ Congregatione pro gratiâ, additis quibusdam conditionibus et praecipue quod sacerdotes praedicti regulares eligi non possint ad praelaturas religionis, excepto tamen, quod possint esse discreti conventuum, magistri novitiorum ac provinciae assistentes; iterum orator ipse dedit preces pro deletione praedictae exceptionis ab enunciato decreto.

Sacra idcirco eadem Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, re mature discussâ, referente eminentissimo Cardinali Belluga ponente, benigne rescripsit: « Promoti ad sacros ordines non possint habere aliquam praelaturam in religione, nisi cum apostolicâ dispensatione, iuxta decretum sacrae Congregationis sub die XXX. septembris MDCCXXIX, quod iterum confirmatur: sed tantum esse possint discreti conventuum et magistri novitiorum, non vero provinciae assistentes. Romae, die XV. martii MDCCXXXI.

Card. FRANCISCUS BARBERINUS praefectus. A. Archiepiscopus Petrensis secretarius ».

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

Quae omnia per S. S. confirmantur.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni prioris generalis eiusdem Ordinis nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis, etc., excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Harum litterarum observantia.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. aprilis MDCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

IV.

Confirmat literas Urbani VIII. ac successorum, pro necessitatibus Locorum Sacrorum Hierusalem (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et domini nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis solicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentiâ recolantur.

Statuit ut in rubricâ.

§ 1. Cum itaque alias felic. rec. Urbano Papa VIII. praedecessori nostro exposito, quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, et, quae adhuc ibi existebant, monasteria aere alieno ob impiam Turcarum, haereticorum, et schismaticorum tyrannidem, et pro sanctae fidei catholicae in eis locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum, et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs prout in ipsius Urbani praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die tertia februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenorem pro expresso haberi volumus, uberius continetur; et, sicut pro parte dilecti filii Emanuelis Fernandez del Rio, lectoris iubilati, exsecretarii generalis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum et in Romana Curia commissarii et procuratoris generalis Terraesanctae, nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefatae Urbani prae-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

decessoris literae, quae a recolendae memoriae Innocentio X., Clemente X., Innocentio XI., Alexandro VIII., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII. et Benedicto XIII., Romanis Pontificibus pariter praedecessoribus nostris, confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos etiam confirmari et innovari desideret: Nos eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praefatas Urbani praedecessoris literas apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus. Volumus autem, ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praedicti in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant, se praefatis Urbani praedecessoris et praesentibus nostris literis paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 2. Volumus insuper ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. septembris MDCCXXXI., pontif. nostri anno II.

V.

Confirmat constitutiones Congregationis Montis Libani monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis Sancti Antonii Abbatis (1).

CLEMENS PAPA XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, committere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, monasticos Ordines ac coetus in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutos, ac priscâ celeberrimâque sanctitatis et religio-

---

(1) Ex Append. Bull. de Prop. Fide, vol. II., p. 47, collât. etc. — Ex append. Synodi Libanen. Maronit. pag. 379 et 340 transcribere placet lit. ap. ab eodem pontifice missas Praesulibus et Monachis maronitis de constitutionum approbatione; quibus primos excitat ad removenda impedimenta quae illarum custodiae obstiterint, et secundos hortatur ut vocationi suae per constitutionum observantiam respondeant.

Venerabili fratri Iacobo Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Regulas et constitutiones laudatissimi Ordinis Beati Antonii Abbatis, Congregationis Montis Libani, per aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus diligenter cognitas ac digestas probavimus, iisque confirmationis et auctoritatis nostrae robur adiecimus ad firmandam augendamque pristinam observantiam in eodem ordine, qui nationem maroniticam inter adversas licet superstitionis et haeresis sectas huic Sanctae Sedi maxime addictam et obsequentem illustrat et ornat. Ut autem sollicitudinis nostrae ad eiusdem Congregationis incrementum et utilitatem fructus constet uberior, a fraternitate tua vehementer expetimus, ut operam zeli et vigilantiae tuae, ubi res postulaverit, libenter conferas, quo per earumdem constitutionum observationem veteris disciplinae laudes in religiosissimo instituto crescant et floreant. Interea dilectos eius familiae alumnos studiis tuae caritatis magnopere commendamus, tibique, venerabilis frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. aprilis MDCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis nationis Maronitarum.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Providentiae et benignitatis nostrae beneficia erga laudatissimum Ordinem S. Antonii Abbatis, quae vobis grata in primis esse non dubitamus, studia, curas et opem fraternitatum vestrarum sibi merito pollicentur. Quum igitur regulas et constitutiones in eodem Ordine observandas per aliquot venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales rite expensas ac dispositas auctoritate nostra confirmaverimus, sedulitatem ac sollicitudinem vestram requirimus, vos hortantes atque in Domino rogantes, ut, ubi opus fuerit, quidquid iisdem constitutionibus diligenter colendis ac servandis obsistere possit, removere satagatis. Rem enim dignitati vestrae decoram et celebrati[ssimae ac] religiosissimae familiae debitam Deoque acceptissimam praestabitis, vobisque vehementer demerebitis voluntatem Nostram, cuius pignus vobis, venerabiles fratres, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. aprilis MDCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

Dilectis filiis Abbatibus et Monachis S. Antonii Abbatis, Congregationis Montis Libani.

CLEMENS PAPA XII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo studio apostolicae caritatis Congregationem vestram complectamur, iam satis vobis perspectum esse non dubitamus; quod etiam dilecto filio Mi-

sitatis laude fulgentes, in salutari eorum vivendi normâ regularique observantiâ confovere atque conservare omni studio connitimur; ac proinde ea, quae pro felici prosperoque illorum regimine et gubernio provide prudenterque facta ac ordinata esse noscuntur, ut serventur exactius et perenni soliditate persistant, apostolici munimінis patrocinio libenter, cum a nobis petitur, corroboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis piorumque operum incrementum, et animarum selutem in Domino expedire arbitramur.

Institutum horum monachorum a Clemente XI. in Urbem avocatum.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens PP. XI. praedecessor noster antiquissimum monachorum orientalium institutum a divo Antonio Abbate fundatum, ac ab eius discipulis in Ægypto, Syriâ aliisque Orientis regionibus propagatum, summo semper in honore a sanctis patribus generalibusque conciliis habitum ac perpetuis laudibus celebratum, prope ecclesiam Sanctorum Petri et Marcellini de Urbe, evocatis ad hoc e Syriâ eiusdem instituti monachis Syris Maronitis, stabiliendum curavit. Et quia monastici illius Ordinis diversa sunt apud ipsos Maronitas coenobia, nec una eademque in omnibus viget gubernii ratio, utpote quorum aliqua a se invicem non pendent, sed unumquodque monasterium a proprio ita regitur abbate, ut nulla inter eiusmodi abbates mutua connexio aliquave subiectio intercedat; alia vero in Congregationem redacta, ac sub directione unius abbatis generalis, qui tamquam caput praeest omnibus ipsius Congregationis monasteriis inferiores etiam abbates habentibus constitutae reperiuntur; duplexque in Syriâ dictorum monachorum extat Congregatio: altera antiquior ac frequentior, quae in monasterio S. Elisaei initium sumpsit, ac Montis Libani dicitur; altera recentior, et ad prioris imitationem formata, quae a coenobio ubi coepit S. Isaiae nomen trahit: venerabiles fratres S. R. E. Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi, probe considerantes ac perspicientes, in monasterio apud eamdem ecclesiam Ss. Petri et Marcellini subinde extructo vix haberi posse monachos idoneos et sufficientes ex coenobiis Syriae, quae privato ac singulari iure reguntur, decreverunt, illos ex dictâ Congregatione Montis Libani accersendos fore, quippe qui strictiorem profitentes observantiam, ea chori, studiorum, litterarum, sacrarumque missionum munia, quae a memorato Clemente praedecessore praescripta fuerunt, prae ceteris exactius adimplere possunt.

Petita regularum a totâ Congregatione observandarum confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Michaël Edenensis, abbas generalis eiusdem Congregationis Montis Libani, nobis nuper exponi fecit, tametsi Congregatio et Ordo huiusmodi suas habeant regulas et constitutiones per Orientis monasteria sanctissime custoditas, neque unquam a Sede Apostolicâ improbatas, quinimo peculiari studio commendatas, nihilominus, ut maiori firmitate fulciantur, et a calumniis atque obtrectationibus saepe adversus eas conflctis ac sparsis vindicentur, utque aliae nationes, quae per Orientem sive a fide catholicâ sive a disciplinâ monasticâ desciverunt, exemplum ac normam vivendi exinde sumere valeant, capitulum generale praedictae Congregationis Montis Libani ipsum Michaëlem abbatem generalem ad Romanam Curiam destinaverit atque ablegaverit, ut, totius dictae Congregationis nomine, regularum et constitutionum eiusdem Congregationis approbationem et confirmationem ab hac S. Sede impetrare procuraret: nos regulas et constitutiones praedictas nobis exhibitas, quae ex arabico idiomate in latinum diligenter versae fuerunt, dilectis filiis nostris Nicolao Spinulae, eorumdem monachorum Congregationis Montis Libani apud nos et Sedem praedictam protectori, ac Vincentio ipsius S. R. E. Cardinalibus Petra nuncupatis, Congregationis supradictorum venerabilium fratrum nostrorum negotiis Propagandae Fidei praepositorum praefecto, expendendas commisimus. Qui, mandatis

chaeli Edenensi, Congregationis istius Abbati Generali, a nobis amanter excepto, paternis verbis expressimus. Haec ipsa autem pontificiae benignitatis studiosa voluntas ad omnes nos opportunitates advigilare suadet, per quas religionis et pietatis laudes in vestro instituto crescant et augeantur. Regulas propterea et constitutiones per aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus mature consideratas et expensas auctoritate nostra, alteris nostris in simili forma brevis litteris insertis, precibus vestris annuentes confirmavimus. Fore autem confidimus, ut novis sollicitudinis et benevolentiae nostrae stimulis excitati, vocationi vestrae alacrius respondere studeatis. Propositam igitur legitime certantibus coronam prae oculis habentes atque illustria maiorum vestrorum virtutis exempla recolentes, per earumdem constitutionum cultum relicta ab iisdem sanctitatis vestigia prosequamini. Ad coelestis autem praesidii auspicium vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. aprilis MDCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

nostris prompto obsequio morem gerentes, illas mature diligenterque examinarunt. Cumque nihil in eis repererint, quod orthodoxae fidei, bonis moribus, pietati exactaeque instituti monastici observantiae adversetur, regulas ac constitutiones praefatas unanimiter probarunt atque laudarunt, easque in unum volumen redigi curarunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

« Constitutiones monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis, Congregationis Montis Libani. Pars prima. Caput primum. De obedientia. I. Debet monachus Abbatem suum Christi loco citra omnem disceptationem habere, etc. Ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad honorem Sanctissimae Virginis Deiparae Mariae et Sancti Patris nostri Antonii omniumque Sanctorum. Amen (1). »

Singulae praedictae constitutiones confirmantur.

§ 3. Quare praefatus Michaël abbas generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut regulas et constitutiones huiusmodi apostolicae confirmationis praesidio communiri de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsius Michaëlis abbatis generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favoribiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas regulas ac constitutiones praeinsertas, et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumlibet in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, si qui in praemissis principaliter vel accessorie, aut aliàs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, penitus et omnino supplemus.

Semperque firmas fore, ac observatum iri decernitur.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras, ac regulas et constitutiones praeinsertas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae Cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam Congregationi et Ordini praedictis illorumque superioribus, monachis et personis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ insererentur et exprimerentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse de-

(1) Has regulas brevitatis gratia praetermittimus, eaedem sunt ac Constitutiones Monachorum eiusdem Ordinis Cong. S. Isaiae, quas idem pontifex approbavit sub die XVII. ianuarii MDCCXL., et videri possunt in Magno Bull. Rom. Augustae Taurinorum vol. XXIII., pag. 328 et seq.

rogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut regulae et constitutiones huiusmodi latine et arabice, unâ cum praesentibus litteris, typis supradictae Congregationis Cardinalium imprimantur, earumque praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, sic impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. martii MDCCXXXII. pontificatus nostri anno II.

VI.

Confirmat fundationem Neapoli Congregationis presbyterorum saecularium, sive Collegii sub titulo Sacrae Familiae Iesu Christi *iuvenum Sinensium atque Indorum ad praedicandum Evangelium in patriâ* (1).

CLEMENS PAPA XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Caroli imperatoris per legatum sanctissimo domino nostro porrectae preces pro obtinendâ huiusmodi confirmatione.

§ 1. Nuper, pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici ac Romanorum regis in imperatorem electi, exposuit nobis dilectus filius noster Alvarus S. R. E. presbyter Cardinalis Cienfuegos nuncupatus, metropolitanae ecclesiae Montisregalis in Siciliâ ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, quod non ita pridem consilio ac persuasu nostro fundata fuit extra muros civitatis Neapolitanae una pia Congregatio presbyterorum saecularium seu collegium sub titulo *Sacrae Familiae Iesu Christi,* cuius praecipuum institutum est educatio alumnorum Sinensium et Indorum, qui ex iis regionibus advenient pro addiscendis catholicae fidei praeceptis, amplectendo statu presbyterali, ac sese parandis ad praedicandum in eorum patriâ Christi Evangelium; in quo tamen collegio etiam admitti possint omnes alii ex quacumque parte Europae existentes, qui propriis suis sumptibus ibidem sustentari voluerint, ut instruantur et habiles reddantur ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum, et sacras missiones obeundas; quae quidem fundatio, regulis ac regimini quae servantur in ecclesiis, domibus et Congregationibus presbyterorum itidem saecularium Oratorii Sancti Philippi Nerii ac Piorum Operariorum dictae civitatis Neapolitanae conformari, et pro tempore existentis Archiepiscopi Neapolitani iurisdictioni in omnibus subiecta remanere debeat, iisdem prorsus modo et formâ, quibus praefatae duae Congregationes Oratorii S. Philippi Nerii ac Piorum Operariorum subsunt, reservatâ ipsi Carolo regi dicti collegii regiâ protectione quoad bona illius temporalia tam nunc acquisita quam imposterum acquirenda. Ut autem praedictis alumnis Sinensibus et Indis modus sese sustentandi suppetat, ac opus huiusmodi ad optatum finem perducatur, de consensu eiusdem Caroli regis stabilita fuit dos collegii praefati pro alimoniâ dictorum alumnorum Sinensium et Indorum dumtaxat in annuâ summâ octingentorum ducatorum monetae regni Neapolis, retrahendâ ex unâ trecentorum super Tropiensis, alterâ ducentorum super Cassanensis, cathedralium, et reliquâ annuis pensionibus trecentorum ducatorum paris monetae super metropolitanae Rheginensis ecclesiarum fructibus, redditibus et proventibus, a nobis per litteras sub plumbo propediem expediendas perpetuo imponendis ac reservandis: ita tamen quod, si ista fundatio minime perficeretur, vel progressu temporis deficeret, aut a suo instituto deviaret, adeo ut supradicta Congregatio presbyterorum Sacrae Familiae alumnos Sinenses et Indos ad finem destinatum educare nollet, tunc pensiones praefatae ac onus seu obligatio illas persolvendi omnino cessare debeant; quodque Congregatio pro tempore similiter existentium eiusdem S. R. E. Cardinalium, rebus Propagandae Fidei praepositorum, quovis colore vel causâ nunquam manus apponere valeat fundis seu capitalibus ipsius fundationis praesentibus ac futuris, annuisque eorum redditibus, neque praetendere super dictâ fundatione superioritatem aliquam vel directionem, sed eiusmodi Congregationi Cardinalium solummodo competat ac reservatum sit ius et facultas examinandi,

(1) Ex Tabul. eiusdem Cong. Sacrae Famil. Quoad huius Collegii sortem a civili gubernio inflictam, vide quae ad const. *Misericordia Dei* Bened. XIV. adnotabimus.

approbandi et reprobandi alumnos presbyteros collegii praefati, tam Europaeos quam Sinenses, Indos et cuiusvis alterius nationis, postquam Romam pervenerint, qui evangelii praedicandi causâ in Indias, Sinas ac regna adiacentia, aliasque partes infidelium proficisci vellent, hancque suam vocationem ac voluntatem libere et absque ullo praecedente iuramento explicaverint superiori dicti collegii, cuius partes erunt, cum suis consultoribus per pluralitatem suffragiorum presbyterorum vocalium supradictae Congregationis Sacrae Familiae legitime electis, eorum vocationem et voluntatem huiusmodi explorandi, ac deinde nomina eorum, quos ad evangelicae praedicationis munus exercendum aptos repererit, eidem Congregationi Cardinalium transmittendi, ad hoc ut dicti Cardinales illos omnes vel eorum aliquos accersere, et, quos habiles et idoneos iudicaverint, sacris missionibus apud infideles, servatis etiam solemnitatibus in similibus servari solitis, destinare possint. Ceterum ad eumdem superiorem cum suis consultoribus spectare debebit examen omnium in dictum collegium recipi petentium, illorumque admissio vel exclusio, prout cum pluralitate votorum dictorum consultorum utilitati praefati collegii magis in Domino expedire censuerit.

Confirmatur institutio, de qua in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, memoratus Carolus rex praemissa apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, piis ipsius Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere cupientes, dictumque Alvarum Cardinalem et praesulem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus eiusdem Caroli regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fundationem praefatae Congregationis presbyterorum saecularium, seu collegii Sacrae Familiae Iesu Christi, sicut praemittitur, factam, dommodo idem collegium remaneat subiectum Ordinario, in omnibus et per omnia, quemadmodum in toto regno Neapolis sunt Ordinario subiectae domus et ecclesiae atque personae Congregationum Oratorii S. Philippi Nerii ac Piorum Operariorum, et sub protectione regiâ solum quoad bona temporalia acquisita et acquirenda, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et, in universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. aprilis MDCCXXXII., pontif. nostri anno II.

VII.

Confirmat decretum ab abbate et officialibus Congregationis ecclesiasticae sub invocatione S. Petri in conventu SS. Trinitatis Mexicanae canonice erectae editum, ne mulieribus in eorum collegium, hospitale, domus et habitationes pateat aditus (1).

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas et officiales Congregationis ecclesiasticae sub invocatione S. Petri in conventu SS. Trinitatis civitatis Mexicanae in Indiis canonice (ut asseritur) erectae, quod ipsi, cum approbatione venerabilis fratris moderni archiepiscopi Mexicani, decretum ediderunt, ut mulieres cuiuscumque status et conditionis, etiam in casu infirmitatis, eorumdem exponentium collegium, hospitale, domum, et quamlibet aliam dictae congregationis habitationem ingredi nequirent, itaut decreto huiusmodi sub quovis praetextu, nec a quolibet Ordinario, neque ab abbate aliisque officialibus nunc et pro tempore existentibus praedictae congregationis ecclesiasticae, derogari unquam possit.

Confirmatio decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos ipsos exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui votum dilecti filii nostri Ludovici eiusdem S. R. E. Cardinalis Belluga nuncupati ad eiusmodi negotium examinandum a praedictâ Congregatione Cardinalium deputati attenderunt, consilio, supra enunciatum decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apstolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Praesentium litterarum observantia.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis ecclesiasticae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. maii MDCCXXXII., pontif. nostri anno II.

VIII.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium, quo confirmatur resolutio capituli generalis Ordinis Bethlehemitarum in Indiis occidentalibus, ut officialium electio in unâquaque domo per praefectum et quatuor definitores generales fiat (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Supplex libellus.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum vocalium capituli generalis Ordinis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod in constitutionibus eiusdem Ordinis a felicis recordationis Innocentio Papa XI. praedecessore nostro confirmatis statuebatur, electiones praefecti, vicepraefecti, quatuor

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

discretorum et maiorum infirmariorum, ac procuratorum cuiuscumque domus et hospitalis spectare ad religiosos domus et hospitalis huiusmodi ad formam earumdem constitutionum votum habentes; verum, quia experientiâ quadraginta et ultra annorum compertum erat, quamplura inconvenientia in praeiudicium etiam regularis observantiae orta fuisse ac in dies oriri ex praedicto modo faciendi dictas electiones, ideo in eodem capitulo generali in civitate Mexicanâ mense februario anno MDCCXXX., ad occurrendum huiusmodi absurdis et inconvenientibus, per pluralitatem suffragiorum resolutum fuerat, quod ius eligendi dictos praefectum, vicepraefectum, discretos, maiores infirmarios et procuratores cuiuscumque domus pertinere deberet ad praefectum generalem et quatuor definitores generales unâ cum secretario generali et praefecto domus ubi fieri contingat huiusmodi electiones, necnon cum duobus aliis religiosis qui munus vel generalis, vel assistentis generalis, vel vicegeneralis, vel praefecti alicuius domus obierint, his omnibus deficientibus, cum religiosis magis antianis, quos reperiri contingat in domo, in qua fieri debeant electiones praedictae, et ad eas procedendum esset per scrutinium et vota secreta, ita tamen ut ex novis suffragiis, ut supra adhibendis, quinque pro electione canonicâ sufficiant: et in eâdem expositione subiuncto, quod in praedicto capitulo generali sancitum fuerat, quod eiusmodi electiones fieri debeant de triennio in triennium, absque eo quod prorogari possint, nec quod ullus in praefectum eiusdem domus reelegi queat, ita quod, si triennium expiraverit, et non potuerit ob absentiam patris generalis procedi ad praedictas electiones, seu alteram ex illis, tunc vicegeneralis cum suis assistentibus eligat per scrutinium, ut supra, praesidentem illius domus seu domorum, quae praefecto indigerent, donec perveniat litterae patentes electi vel electorum in praefectum seu praefectos; et hoc ipsum servandum sit in casu obitus vel renunciationis dictorum electorum; et in absentiâ patris generalis possit vicegeneralis admittere tales renunciationes, iniuncto tamen eidem onere certiorandi dictum praefectum generalem, ut, servatâ formâ superius expressâ, possit ad electiones devenire, ut fusius habebatur ex particulâ resolutionis captae in eodem capitulo generali: ac proinde pro parte vocalium memorati capituli generalis eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut, praeviâ derogatione constitutionum Ordinis in dicto capitulo IX. § 16., praedictam resolutionem confirmaret, ad hoc ut executioni demandari possit: emanavit a praedicta Congregatione Cardinalium decretum tenoris sequentis videlicet:

Decretum Congregationis haec approbans.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, ad quam sanctissimus dominus noster Clemens PP XII. libellum remisit, attento suffragio eminentissimi Cardinalis Pico, Ordinis Bethlemitarum apud Sanctam Sedem protectoris, ac re undique mature discussâ, referente, pro eminentissimo Cardinali Belluga ponente absente, eminentissimo Cardinali Barberini, benigne rescripsit: praeviâ derogatione cap. IX. § 16, constitutionum in eâ parte, qua disponitur, electiones praefectorum, vice-praefectorum, quatuor discretorum, maioris infirmarii ac procuratoris faciendas esse a singulis communitatibus conventuum, imposterum illas esse faciendas a generali, quatuor assistentibus, secretario generali, praefecto domus, ubi fit electio, et duobus religiosis, qui fuerint vel generales, aut assistentes generales, aut vice-generales, aut praefecti, et, illis non existentibus, a religiosis viris magis antianis eiusdem domus, et electio intelligatur facta in personam eius qui habuerit maiorem numerum suffragiorum; quod electiones fiant de triennio in triennium absque facultate eas prorogandi, et, si dum spirat triennium, ob absentiam generalis, non pervenisset provisio ab eodem capta, tunc vice-generalis cum suis assistentibus eligat praesidentem illius domus, ubi erat facienda electio, qui eam gubernet pro interim; quod erit observandum in casu obitus aut renunciationis electorum ante triennium; et quod ob absentiam generalis valeat vice-generalis admittere renunciationes electorum, cum obligatione tamen de iis certiorandi patrem generalem, ad hoc ut possit dare opportunas providentias pro electione successorum.

Romae, die II. maii MDCCXXXII., Cardinalis FRANCISCUS BARBERINUS.

Loco ✝ sigilli.

I. Archiep. Cor. secretarius.

Confirmat decretum.

§ 2. Cum autem, sicut praedicti vocales nobis subinde exponi fecerunt, ipsi praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos vocales specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. maii MDCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

IX.

Approbat Regulas Monachorum Maronitarum Ordinis S. Antonii degentium Romae in Monasterio SS. Marcellini et Petri, Congregationis Montis Libani (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae clementiae abundantiam constituti, ea quae pro salubri religiosorum virorum sub suavi Christi iugo vota sua Deo reddere, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris aurâ, proferre iugiter satagentium, directione provide constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma ac inviolata persistant, apostolici muniminis nostri, quum id a nobis petitur, praesidio libenter constabilimus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas et monachi monasterii SS. Marcellini et Petri de Urbe, Ordinis S. Antonii Abbatis congregationis de Monte Libano nuncupatae, quod quaedam regulae sive constitutiones pro bono dicti monasterii et monachorum inibi Altissimo famulantium tam in spiritualibus quam in temporalibus regimine et gubernio, sacrisque missionibus ac bonarum literarum studiis ibidem promovendis, novissime post maturam deliberationem editae fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Regulae pro monasterio SS. Marcellini et Petri, Ordinis S. Antonii Abbatis, Congregationis de Monte Libano nuncupatae. *Initium:* I. Quum hoc monasterium a sanctae memoriae Clemente XI. Pontifice Maximo fundatum sit in subsidium missionum Orientalium, dabit operam eiusdem loci Abbas, ut ex duodecim monachis, quos de familia perpetuo habere debet, sex saltem religiosi ad litterarum studia deligantur etc. *Finis:* Si quis vero diuturniorem moram sibi necessariam praetenderit, ab Emño Protectore petat (2).

§ 2. Quum autem, sicut eadem expositio subiungebat, abbas et monachi praedicti regulas seu Constitutiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exac-

(1) Ex App. Bull. de P. F. pag. 55, collat. etc.

(2) Regulas brevitatis causa praetermittimus.

tius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire summopere desiderent; nos piis ipsorum abbatis et monachorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super ho" humiliter porrectis inclinati, et attentâ relatione dilecti filii nostri Nicolai S. R. E. presbyteri Cardinalis Spinula nuncupati, dictae Congregationis monachorum apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, qui Congregationis ven. fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum menti inhaerendo regulas sive constitutiones praefatas diligenter expendit, nobis desuper factâ, regulas sive constitutiones praeinsertas auctoritate apostolicâ tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras ac regulas sive constitutiones praeinsertas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradictorum monasterii, Ordinis et Congregationis Monachorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. iulii MDCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

X.

Erigit collegium Ritus Graeci in oppido Ullani Bisignanensis dioecesis pro pueris et adolescentibus dicti ritus ex Epiro descendentibus (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter multiplices onerosi nobis ex alto commissi pastoralis officii sollicitudines, illa potissimum mentem animumque excitat nostrum, per quam ecclesiastica Italo-Albanorum iuventus, quae procul a Turcarum tyrannide ad maternum S. R. E. se contulit sinum, et in eiusdem fidelis adolescit amplexu, per rectos sacrae disciplinae tramites dirigatur, ut sic directa pretiosos absconditosque in agro dominico bonorum morum, sacrarum litterarum, et divinarum rerum inveniat thesauros illos, qui eam aliosque per eam aeternâ beatitudine locupletent, eisque sic locupletatis provide sacrorum conciliorum id enixe exoptantium decreta debitum sortiantur implementum.

Causa huiusce erectionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus in terris regni Siciliae citra Pharum, et praesertim Calabriae, quamplura ritus graeci loca reperiantur, quorum iuventus, etsi

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

probis moribus sacrisque litteris addiscendis ad latinorum seminaria puerorum ecclesiasticorum inibi existentia admittantur, nihilominus, ob ritus et idiomatis diversitatem, ab huiusmodi admissione eidem iuventuti ea non proveniat utilitas, quae eiusdem ritus cultui opportuna esse dignoscitur; unde quamplures errores abususque, ac multa eidem ritui in spiritualibus dissona oriuntur: nos, bonae, exactaeque, ac a nonnullis Romanis Pontificibus et praesertim a felicis recordationis Clemente Papa XI. praedecessoribus nostris optatae iuventutis praedictae educationi, reique spiritualis debito cultui consulere volentes, atque attendentes nullum aptius remedium a nobis adhiberi posse, qnam si, prout collegiorum nationalium alibi erectorum experientia docet, in oppido Ullani Bisignanensis dioecesis, quae fere tota a familiis dicti ritus colitur, unum collegium huiusce ritus erigatur, in quo pueri et adolescentes ex Epiro in qua regni praedicti terris citra Pharum ex honestis parentibus legitimoque matrimonio orti alantur, et graecis litteris, liberalibus disciplinis ac scientiis, sacrâ praesertim theologiâ, ecclesiasticis praeterea ritibus, a viris probatae fidei et doctrinae, ritusque memorati peritis sedulo instituantur, ut, postquam in huiusmodi studiis profecerint, non solum spiritualibus suae nationis necessitatibus, verum etiam missionibus orientalibus operam suam locare valeant, et sic divina favente gratiâ recta sacramentorum necnon divinorum officiorum administratio sperari possit, sic ut sana et integra fidei praedicatio et doctrina in Orientis partibus aliquando restituatur:

Erectio collegii ut in rubricâ.

§ 2. Hinc nos, ut tam pium ac necessarium opus ad omnipotentis Dei gloriam et sanctae fidei catholicae exaltationem et iuventutis bonam exactamque educationem debite perficiamus, motu proprio, ac ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, a monasterio abbatiâ nuncupato S. Benedicti de Ullano, eiusdem S. Benedicti, seu alterius Ordinis, dicti oppidi eiusdemque dioecesis, quod dilectus filius noster Petrus Aloysius tituli S. Laurentii in Pane et Perna S. R. E. presbyter Cardinalis Caraffa nuncupatus in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicis ad praesens obtinet, palatium abbatiale dicti monasterii cum omnibus et singulis eius mansionibus, aedibus, aedificiis, officinis, aliisque membris, unâ cum omnibus et singulis domunculis eidem palatio annexis, necnon ecclesiam eiusdem S. Benedicti eidem palatio propinquam (et in qua animarum cura parochianorum dicti monasterii, quae illius abbati perpetuo commendatario pro tempore existenti subest, et per unum presbyterum idoneum ab eodem abbate perpetuo commendatario pro tempore nominandum, et ab Ordinario loci approbandum, exercetur) ac perpetuam sine curâ capellaniam in dictâ ecclesiâ (cui per alterum presbyterum eiusdem ritus ab eodem abbate perpetuo commendatario deputato deservitur, quique missam singulis festis diebus inibi celebrare tenetur, eique ab eodem abbate eleemosyna pro celebratione cuiuslibet missae huiusmodi duo caroleni monetae dicti regni persolvuntur) apostolicâ auctoritate, de consensu praefati Petri Aloysii Cardinalis, dismembramus, separamus et segregamus, ita ut nullum ius alicui imposterum in palatio et ecclesiâ praefatis competat, aut competere quomodolibet possit et valeat: eisque sic dismembratis, separatis ac segregatis, palatium iamdictum in collegium puerorum et adolescentium ritûs graeci ex Epiro provenientium, et in dicto regno, quod Neapolitanum appellatur, ex veris catholicis parentibus ortorum, in oppido Ullani apostolicâ auctoritate perpetuo erigimus et instituimus: eoque (1) sic erecto et instituto ecclesiam memoratam et domunculas (praeviâ curae animarum parochianorum a monasterio, necnon iuris nominandi unum pro exercitio curae animarum parochianorum huiusmodi, ac deputandi alterum presbyteros pro ecclesiâ a nobis, sicut praefertur, dismembratâ (2) servitio ac missae celebratione (3), ab abbate perpetuo commendatario abdicatione) eâdem apostolicâ auctoritate de dicto consensu similiter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus: dictamque curam per dicti collegii rectorem, cui collegium congruam substentationem assignare debeat et teneatur, exercendam, necnon ius nominandi et deputandi huiusmodi ad dictum collegium a nobis, ut praefertur, per praesentes erectum et institutum (ad quod, et pro eo ad illius rectorem ius-

(1) Aptius lege *eique*.
(2) Potius lege *ecclesiae.... dismembratae*.
(3) Edit. Main. legit *celebrationi*

deputandi presbyterum, qui unus ex eiusdem collegii minister, non tamen illius rector existat, pro dictae missae celebratione deputare spectet et pertineat, cum hoc tamen quod nunc et pro tempore existens dicti monasterii abbas et perpetuus commendatarius eidem collegio pro celebratione missae consuetam duorum carolenorum praedictorum pro qualibet missae celebratione eleemosynam persolvere debeat et teneatur) eàdem apostolicâ auctoritate de pari dicti Petri Aloysii Cardinalis consensu transferimus:

Dotis assignatio.

§ 3. Ac eidem collegio, pro illius dote, illiusque alumnorum, magistrorum, praefectorum, aliorumque ei inservientium substentatione, omnes et singulos fructus, iura, obventiones et emolumenta universa quaecumque, tam certa quam incerta, et ex curâ animarum parochianorum, ac aliàs quomodocumque et undecumque ex domunculis provenientia, et in quacumque re consistentia, necnon omnes et singulas taxas, quae seminariis puerorum ecclesiasticorum ritus latini in dicto regno existentibus, a praedicto aliisque monasteriis, in quibus Itali Albani ritus graeci degunt et existunt, commendari solitis, ad praescriptum Concilii Tridentini annuatim persolvuntur, praeviâ taxarum huiusmodi a seminariis ritus latini huiusmodi, quae ulterius pueros Italos-Albanos ritus graeci admittere non teneantur, separatione, collegio a nobis per praesentes, ut praefertur, erecto (ita ut praedictum aliaque monasteria et beneficia existentia in dictis locis et terris Italo-Albanorum praedicti ritus graeci pro tempore obtinentes, taxas ab eis, ut praefertur, persolvi solitas, imposterum collegio a nobis per praesentes erecto huiusmodi persolvere debeant et teneantur) eàdem apostolicâ auctoritate pariter perpetuo applicamus et appropriamus.

Alia sex millia scutorum eidem collegio assignantur.

§ 4. Et nos summam sex millium scutorum monetae romanae, ad effectum illa investiendi in tot bona stabilia in utilitatem et manutentionem dicti collegii et alumnorum, ex apostolicâ nostrâ benignitate in eiusdem collegii a nobis per praesentes, ut praefertur, erecti subsidium assignamus, elargimur et donamus.

Cura eiusdem Bisignanensi Episcopo committitur.

§ 5. Curam vero, regimen et administrationem collegii a nobis erecti venerabili fratri nostro moderno et pro tempore existenti Episcopo Bisignanensi, ac per eum sub legibus praescribendis, servatâque formâ Concilii, regendi, gubernandi et administrandi, committimus et mandamus, illudque eius ordinariae iurisdictioni subiicimus, et subiectum esse volumus; eique, donec in dictum collegium illius alumni admittantur, liceat omnium et singulorum a nobis unitorum, annexorum et incorporatorum, per se vel alium ab ipso Episcopo deputandum seu alios, dicti collegii nomine realem, actualem et corporalem possessionem propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, necnon sex millia scuta praedicta percipere, exigere, levare, ac in eiusdem collegii a nobis per praesentes erecti utilitatem investire in bonis stabilibus, ut praefertur.

Census annuus abbati commendatario solvendus.

§ 6. Verum, quia frumenta aliaeque fruges, quae ex annuis redditibus primodicti monasterii colliguntur, in duobus dicti palatii, a nobis in collegium per praesentes erecti huiusmodi, horreis reponi ac conservari consueverunt, volumus, ut dicto Petro Aloysio Cardinali, donec ipse vixerit et monasterium, sicut praefertur, obtinuerit, liber decernatur ingressus ad horrea, donec alter sibi ad repositionis et asservationis huiusmodi effectum, collegii a nobis erecti sumptibus, sibi exhibeatur locus; praedicti vero Petri Aloysii Cardinalis in monasterio successores, aliunde, et in loco, a collegio, a nobis per praesentes erecto, omnino separato, sibi quaerere debeant et teneantur. Ac demum, ut collegium a nobis per praesentes erectum aliquod perenne grati animi obsequium ergo monasterii abbates perpetuos commendatarios exhibere valeat, unam libram cerae albae in die festo S. Benedicti dare debeat et teneatur.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, praemissa omnia et singula ac easdem praesentes nullo unquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis aut obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus eas quodcumque iuris vel facti, aut gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio deque apostolicae potestatis plenitudine concedi, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quoscumque Romanos Pontifices successo-

res nostros, ac etiam per nos et Sedem Apostolicam praefatam pro tempore faciendis et concedendis, comprehendi posse vel debere; sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per dictum modernum et pro tempore existentem Episcopum Bisignanensem quandocumque eligenda concessas, validasque et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ac collegio seu seminario a nobis per praesentes, ut praefertur, erecto huiusmodi, illiusque pueris, magistris, officialibus, aliisque ministris in eo pro tempore existentibus praefatis, perpetuo suffragari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quasi auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon primodicti monasterii, et Ordinis cuius illud existit, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis superioribus et personis, ac quibusvis collegiis seu seminariis, illorumque rectoribus, aliisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac etiam irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime et expresse hac vice dumtaxat derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, separationis, segregationis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis et incorporationis, translationis, applicationis et donationis, commissionis, mandati, voluntatis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXII., v. idus octobris, pontif. nostri anno III.

XI.

Confirmat decreta Commissariorum generalium Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum, circa missionem visitatoris ad provinciam S. Gregorii in Insulis Philippinis ex alienâ provinciâ etc. (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Decreta referuntur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vicentius Ingles, minister provincialis provinciae S. Gregorii in Insulis Philippinis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum, quod dilecti filii Ioannes de Soto et Dominicus Lossada, ultimus ac modernus respective commissarii generales Indiarum dicti Ordinis, quaedam decreta pro bono dictae provinciae regimine ediderunt, quibus, commissariorum generalium huiusmodi antecessorum suorum ordinationes confirmando, mandarunt commissario generali Novae Hispaniae Ordinis praefati pro tempore existenti, ut nullatenus mittere valeat ad dictam provinciam visitatorem ex alienâ provinciâ, neque eligat vel nominet ex eâdem provinciâ alium praeter tres a suo definitorio propositos ad visitationem; similiter ne detineat vocales et procuratores missos ab eâdem provinciâ, neve se intromittat in eorum eleemosynis, neque in negotiis sibi commissis: et aliâs, prout uberius continetur in ipsorum Ioannis et Do-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

minici commissariorum huiusmodi patentibus litteris desuper confectis, ac de hispanico idiomate in latinum versis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor Statuti editi ab ultimo commissario generali Indiarum.

Fr. Ioannes de Soto lector iubilatus, theologus regius pro congressu Immaculatae Conceptionis, et in hâc familiâ cismontanâ totius Ordinis S. P. N. Francisci commissarius generalis et Indiarum, et servus etc. reverendis patribus provincialibus, ac venerando definitorio provinciae nostrae S. Gregorii Philippinarum, salutem in Christo Iesu domino nostro.

Quoniam nobis constat reverendum patrem Ioannem Luengo, antecessorem nostrum, commissarium generalem Indiarum, perpendendo inconvenientia gravia quae oriebantur ex generali regulâ, mittendo ad eam nostram provinciam commissarium visitatorem ex alienâ, et quia magis proportionata ad mittendum ex eâ visitatorem erat provincia nostra Excalceatorum S. Didaci in Mexico, quae est adeo distans et remota, ut est notorium; et, praeterquamquod visitatores gravissimo periculo vitae debebant exponi, non poterant provinciam adire absque gravissimis expensis parum conformibus paupertati, quam iuxta regulam nostram professi sumus, et quin provincia exhausta maneat ad succurrendum veris necessitatibus suorum fratrum, si expensas faciat visitatoribus in eundo et redeundo: his omnibus attentis, paternitas sua reverendissima, utens facultate a lege concessâ ut possit eligi visitator ex eâdemmet provinciâ visitandâ, quando ita fuerit expediens, vel adsit grave aliquod impedimentum ut ex aliâ mittatur, et cupiens occurrere supra expressis inconvenientibus, disposuit, ordinavit et praecepit suis litteris patentibus, ut imposterum visitator nostrae provinciae Philippinarum eligatur ex patribus benemeritis eiusdem provinciae, et quod non admitteretur ex ullâ aliâ provinciâ. Propterea, cum pro parte eiusdem nostrae provinciae eadem nobis fuerit facta repraesentatio, et supplicatum ut dignaremur praefata omnia confirmare nostris litteris patentibus, et pariter alias litteras patentes circa idem, et in quibus etiam cavetur ne commissarii generales Novae Hispaniae detineant vocales seu procuratores a dictâ provinciâ missos, nec se intromittant in eleemosynis ad eamdem pertinentibus, neque in negotiis et dependentiis quarum causâ veniunt, emanatas a praedecessoribus nostris reverendo patre Iuliano Chumillas sub XXIX. septembris anni praeteriti MDCLXXXVIII., et Iosepho Sunz sub XXVI. aprilis MDCCXIII., confirmando antecedentes, et aliam a dicto reverendissimo Chumillas expeditam die XXVIII. maii MDCLXXXIX., in qua ordinat et praecipit dictis reverendis patribus commissariis generalibus Novae Hispaniae pro tempore ne possint mittere nec nominare in visitatorem dictae provinciae nisi unum ex tribus ad hunc effectum praesentatis a reverendo definitorio eiusdem provinciae: igitur, conformando nos dictamini dictorum trium antecessorum nostrorum fundato in sancto zelo, prudentiâ et aequitate, virtute praesentium, et in hac parte utentes nostrae potestatis plenitudine, confirmamus omnes patentes et supra expressas determinationes his nostris pro insertis habentes, et denuo ordinamus et praecipimus per sanctam obedientiam, in virtute Spiritus Sancti, et sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendâ, reverendo patri commissario generali moderno et pro tempore, ut nullatenus mittere audeat ad dictam provinciam Philippinarum visitatorem ex alienâ, neque eligat vel nominet ex eâdem alium praeter tres a suo definitorio propositos ad visitationem, eo modo quo praeceptum et confirmatum fuit a dictis reverendis praedecessoribus nostris commissariis generalibus Indiarum; et similiter praecipimus, ne detineat vocales et procuratores missos a dictâ provinciâ, neve se intromittat in eorum eleemosynis, neque in negotiis sibi commissis; sed potius ordinamus et monemus, ut cum omni benignitate, caritate et religiosâ affabilitate ipsos recipiat et tractet, eisdemque assistat et faveat in omnibus necessariis ad eorum expeditionem et conductionem in his quae ipsi exposuerint; quoniam ita convenit ad bonum gubernium dictae provinciae nostrae, qui in (1) omnibus hîc expressis, et in aliis patentibus praedecessorum nostrorum, hac nostrâ, ut dictum est, confirmatis, possit nec debeat esse aliqua tergiversatio: et vestris patribus reverendissimis ordinamus et praecipimus, ut ad-

1) Videtur esse legendum *quin* pro *qui in*.

impleant, adimplereque faciant, in quantum ad ipsos attinet, omnia his nostris litteris contenta, ipsasque notificent per originales vel authenticam copiam reverendo patri commissario generali moderno vel pro tempore respective provinciarum Novae Hispaniae, ut ipsis constet de hac nostrâ dispositione, et ipsam ad litteram observent, uti praeceptum et determinatum est. Datum in hoc nostro conventu sancti patris nostri Francisci Matritensi, III. ianuarii MDCCXXIV.

Fr. IOANNES DE SOTO, commissarius generalis et Indiarum.

Fr. DIDACUS DE ESPINOSA, secretarius generalis Indiarum.

Eadem decreta confirmata a moderno commissario generali.

Frater Dominicus Lossada regularis observantiae S. P. N. Francisci lector iubilatus Complutensis, catholicae maiestatis pro Immaculatae Conceptionis regali congressu theologus, ex-provincialis provinciae Castellae, pater illius S. Iacobi, ex-secretarius generalis Ordinis, et commissarius generalis omnium Indiarum Occidentalium, et servus etc., reverendis patribus provinciali ac venerabili definitorio nostrae provinciae S. Gregorii Philippinarum, salutem et pacem in Christo Iesu domino nostro.

Quoniam reverendus pater frater Ioseph a S. Elia praedicator, ex-prominister, pater et procurator praefatae nostrae provinciae S. Gregorii, nobis praesentavit memoriale quoddam nomine dictae provinciae, per quod confirmari supplicat litteras patentes expeditas die III. ian. MDCCXXIV. a reverendissimo patre nostro fratre Ioanne de Soto, lectore iubilato, catholicae maiestatis pro B. Virginis Immaculatae Conceptionis regali congressu theologo, et ministro generali totius Ordinis sancti patris nostri Francisci, cum esset commissarius generalis Indiarum, in quibus confirmat et sub gravibus poenis observare praecipit patentes reverendorum commissariorum generalium Indiarum antecessorum ipsius ad eamdem provinciam S. Gregorii Philippinarum ipsiusque salubrius gubernium attinentes: propterea, virtute praesentium manu propriâ subscriptarum, maiori sigillo nostri officii munitarum, et per secretarium nostrum referendarum, conformando nos cum maturo dictamine et sensu dictorum nostrorum antecessorum, uti innixis iusto ac sancto zelo, prudentiâ et aequitate, confirmamus patentes omnes et decreta supra expressa, quae hîc pro insertis, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, habemus; et denuo praecipimus in virtute sanctae obedientiae, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendâ, admodum reverendo patri commissario generali Novae Hispaniae moderno ac pro tempore, ut nullatenus audeant mittere ad dictam nostram provinciam Philippinarum commissarium visitatorem alienae provinciae; neque eligant vel nominent ex eâdem provinciâ aliquem, nisi unum ex tribus ab eâdem provinciâ vel ipsius definitorio propositis et praesentatis; et pariter ut nullatenus detineant vocales et procuratores ab eâdem provinciâ missos, nec se intromittant in eleemosynis et negotiis huiusmodi procuratorum curae commissis; et quod observent omnia contenta et expressa in dictis litteris patentibus reverendissimi patris nostri Ioannis de Soto et aliorum commissariorum Indiarum in ipsis confirmatis, quas notificari faciant in originali vel copiâ authenticâ reverendo admodum patri commissario generali Novae Hispaniae moderno vel pro tempore, ut ipsis constet de hac nostrâ ordinatione, ipsamque ad litteram, uti praeceptum est, observent. Datum in hoc conventu sancti patris nostri Francisci Matritensi, XXVIII. martii MDCCXXXI.

Fr. DOMINICUS LOSSADA, commissarius generalis Indiarum.

De mandato suae reverendissimae paternitatis, Fr. SEBASTIANUS DE ENZINAS, secretarius generalis Indiarum.

Loco † sigilli.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Vincentius praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Vincentium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E.

Iisdem decretis robur auctoritatis apostolicae adiicitur.

Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, praeinserta decreta, expeditasque desuper patentes litteras praedictas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, qui in praemissis quomodolibet intervenerunt, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. martii MDCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

XII.

Confirmat decretum sacrae Congregationis de P. F., quo conventus in provinciâ S. Francisci de Pachecâ in Mexico Ordinis fratrum Minorum eiusdem Sancti Francisci Discalceatorum deputatur pro seminario Missionum in montibus de Cimapan (1).

CLEMENS PAPA XII.

ad futuram rei memoriam.

Facti species.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositâ, ad supplicationem dilectorum filiorum definitorum provinciae S. Didaci in Mexico Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor decreti sacrae Congregationis de Propagandâ Fide.

Decretum sacrae Congregationis generalis de Propagandâ fide, habitâ die VI. *iulii* MDCCXXXIII. Referente Eminentissimo et Reverendissimo domino Cardinali Nicolao Spinola libellum supplicem porrectum pro parte definitorii provinciae fratrum Minorum Discalceatorum S. Didaci in Mexico supplicantis ut collegium seu seminarium erectum vigore facultatis sibi concessae per Breve apostolicum sanctae memoriae Benedicti XIII. datum sub die III. aprilis MDCCXXVII. et cum consensu Ordinarii in conventu eiusdem provinciae Sancti Francisci de Pacheca deputetur pro conversione infidelium signanter existentium in montibus de Cimapan locisque conterminis, in quibus usque adhuc nulla alia missio fundata reperitur, cum potestate sacras missiones in praedictis montibus erigendi ab eodem collegio dependentes, utque omnibus ipsius provinciae S. Didaci fratribus districte prohibeatur transitus, nedum ad alias provincias et collegia missionum regularis Observantiae, verum etiam ad missiones provinciae Discalceatorum Sancti Gregorii in insulis Philippinis, absque peculiari et expressâ huius sacrae Congregationis licentiâ: Eminentissimi patres, audito super expositis patre procuratore generali Discalceatorum et Recollectorum, in utroque benigne annuerunt, mandaruntque ut religiosi ad missionariorum munera in praefatis locis obeunda destinati necessariis facultatibus dominum Archiepiscopum Mexicanum ordinarium adire teneantur. Datum Romae, die et anno quibus supra.

V. Card. PETRA, praefectus.

F. M. RICCARDI, pro-secretarius.

Loco † sigilli

---

(1) Ex Reg. in Arch. Brev. Benedictus XIII. anno MDCCXXVII. const. dat. die III. aprilis confirmavit decretum Congregationis Episcoporum et Regularium super erectione seminarii, de quo hic agitur.

Apostolicâ roboratur confirmatione.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eorumdem definitorum nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

XIII.

Confirmat patentes ministri generalis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ litteras, quibus nonnulli Ordinis sui religiosi deputantur ad quaestuandum in certis statutis provinciis pro conservatione Terraesanctae (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus commissarius generalis Terraesanctae in Romanâ Curiâ Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod dilectus pariter filius Ioannes de Soto minister generalis dicti Ordinis, per suas patentes litteras ministris provincialibus provinciarum Arabidae, S. Antonii Capatior. Pietatis et Conceptionis della Veira et Alynho directas, eos rogavit, monuit et hortatus fuit, ut, pro conservatione locorum eiusdem Terraesanctae, commissario dictae Terraesanctae, Matriti residenti, religiosos uniuscuiusque provinciae, qui qualitatibus ad id necessariis praediti sint, super quaestuatione eleemosynarum pro eisdem locis deputent et deputare teneantur; et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Ioannis ministri generalis litteris patentibus, desuper emanatis, ex idiomate hispanico in latinum versis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae patentes Ministri generalis, de hispanico in latinum idioma traductae, sunt tenoris sequentis:

Litterae, de quibus in rubricâ.

Frater Ioannes de Soto, lector iubilatus, theologus maiestatis suae et congressus Immaculatae Conceptionis, minister generalis Ordinis sancti patris nostri Francisci, et servus, etc., reverendis patribus provincialibus praesentibus et futuris provinciarum nostrarum Arabidae, S. Antonii Capatior. Pietatis et Conceptionis de la Veira et Alynho, salutem et pacem in domino nostro Iesu Christo.

Quoniam inter ea, quibus nostra seraphica religio curam et sollicitudinem maiori vigilantiâ impendere debet, potissima est conservatio sanctorum locorum Terraesanctae maior cultus et assistentia religiosorum in illis residentium, in cuius finem

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

opus est deputare religiosos qui curam assumant et habeant eleemosynas in hisce regnis necnon Brasili quaestuandi, et eas a fidelibus, ut moris est, colligendi; et quia aequum ac iustum est, ut omnes et singulae provinciae in tam sanctum opus concurrant; cunctarum quidem honor est sacrae custodiae atque sanctorum locorum manutentio, in quibus redemptio nostra operata est: inde praesentium vigore rogamus, monemus et exhortamur RR. PP. VV. in visceribus Iesu Christi, ne se excusent ac retrahant in cooperando, quantum valeant, ad praefatum effectum, concedentes ac designantes reverendo patri commissario Terraesanctae religiosos uniuscuiusque provinciae nostrae ad instantiam et beneplacitum eiusdem patris commissarii in quaestores eleemosynarum, tam in eo regno quam Brasili, aliisque ditionibus, et quidem eos, qui qualitatibus ad id necessariis et opportunis sint praediti, uti de zelo et religiositate PP. VV. confidere debemus: quibus paternam nostram benedictionem impertimur.

Datum in hoc nostro conventu S. Francisci Matriti, die XVIII. septem. MDCCXXXIII.

Fr. IOANNES SOTO minister generalis.

De mandato suae paternitatis reverendissimae, frater DIDACUS SPINOSA, secretarius generalis Ordinis.

Confirmatur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus modernus commissarius generalis exponens, praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desideret: nos, ipsius moderni commissarii generalis exponentis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas eiusdem Ioannis ministri generalis litteras patentes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. februarii MDCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

XIV.

Plures indulgentias perpetuo concedit fidelibus ecclesias monachorum et monialium Ordinis S. Antonii Congregationis M. Libani statis diebus visitantibus, tum ipsis monachis et monialibus (1).

(1) Ex Append. Synodi Montis Libani pag. 381, ex quo sequens transcribimus:

Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae quo indulgentiae ecclesiae Ordinis S. Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani conceduntur. Datum die X. *februarii* MDCCXXXIV.

Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani. Ad humillimas preces Patris Michaelis Edenensis, Abbatis Generalis, nec non monachorum et monialium Syriae Maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis, Congregationis Montis Libani, quorum regulae et constitutiones a SSmo D. N. nuper fuerunt approbatae per litteras in forma brevis sub die XXXI. martii MDCCXXXII., Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die XVI. novembris MDCCXXXIII., attento quod praefatus Ordo nullis gaudeat indulgentiis pro diebus S. Fundatoris, protectorum aliorumque Sanctorum, prout

CLEMENS PP. XII.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pià caritate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam monachorum quam monialium Ordinis Sancti Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani Maronitarum nuncupatorum, tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis et ubicumque locorum exsistentibus, in Assumptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Petri et Pauli Apostolorum, S. Antonii Abbatis, dicti Ordinis Fundatoris, S. Macarii Abbatis, S. Pachomii Abbatis, S. Hilarionis Abbatis ac S. Maronis festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam indulgentiam impertimur. Monachis et monialibus vero supradicti Ordinis praesentibus et futuris ac aliis in dictarum monialium quolibet monasterio nunc et pro tempore existentibus, vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui et quae suam respective ecclesiam in S. Euphrosynae Virginis, S. Iuliani Sabae, S. Ephraem Syri, S. Ioannis Climaci, S. Aphraatis Monachi, S. Febroniae Virg. et M., S. Iacobi Nisibeni, Passionis trecentorum quinquaginta Monachorum, S. Dometii Monachi et Martyris, S. Simeonis Stylitae ac S. Sabbae Abbatis festis diebus, ut supra, visitaverint et ibidem oraverint, quo die praedictorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Nec non eisdem monachis et monialibus ac aliis supradictis, vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui et quae praedictam suam respective ecclesiam in S. Macarii Alexandrini, S. Isidori Pelusiotae, S. Pauli Simplicis, SS. Monachorum Martyrum in Laura S. Sabbae, S. Simeonis Sali, S. Arsenii Abbatis, SS. Maranae et Cyrae, S. Moysis Aethyopis, S. Theodorae Poenitentis, S. Publiae Abbatissae, S. Thomae Monachi ac S. Maruthae Monachi et Episcopi, festis diebus, ut praedicitur, visitaverint et oraverint, quo die praedictorum pariter id egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu

---

ceteri Ordines regulares, censuit concedendam esse indulgentiam plenariam perpetuam singulis Christi fidelibus confessis et sacra comunione refectis, visitantibus ecclesias monasteriorum eiusdem Ordinis monachorum ubicumque existentium, in ecclesiis autem monialium pro ipsis tantum aliisque in earum monasteriis degentibus, in sequentibus festis anni diebus, videlicet:

Assumptionis B. V. Mariae, die XV. augusti, | Protectorum.
Nativitatis S. Ioannis Baptistae, die XXIV. iunii, | Protectorum.
SS. Apostolorum Petri et Pauli, die XXIX. iunii, | Protectorum.
S. Antonii Abbatis, die XVII. ianuarii, Fundatoris.
S. Macarii Abbatis, die XIX. ianuarii.
S. Pachomii Abbatis, die XIV. maii.
S. Hilarionis Abbatis, die XXI. octobris.
Et S. Maronis, die IX. februarii.

Nec non plenariam perpetuam eisdem monachis et monialibus tantum, visitantibus pariter praedictas eorum ecclesias, in sequentibus festis:

S. Euphrosynae Virginis, die I. ianuarii.
S. Iuliani Sabae, die XIV. ianuarii.
S. Ephraem Syri, die I. februarii.
S. Ioannis Climaci, die XXX. martii.
S. Aphraatis Monachi, die VII. aprilis.
S. Febroniae Virginis et Martyris, die XXV. iunii.
S. Iacobi Nisibeni, die XV. iulii.
Passio tercentum quinquaginta Monachorum, die XXXI. iulii.
S. Dometii Monachi et Martyris, die VII. augusti.
S. Simonis Stylitae, die I. septembris.
S. Marciani Monachi, die II. novembris.
S. Sabbae Abbatis, die V. decembris.

Ac insuper indulgentiam perpetuam septem annorum, totidemque quadragenarum, eisdem monachis et monialibus tantum, visitantibus pariter praedictas eorum ecclesias, in aliis sequentibus Sanctorum festis, videlicet:

S. Macarii Alexandrini, die II. ianuarii.
S. Isidori Pelusiotae, die IV. februarii.
S. Pauli Simplicis, die VII. martii.
SS. Monachorum Martyrum in Laura S. Sabbae, die XVI. maii.
S. Simeonis Sali, die I. iulii.
S. Arsenii Abbatis, die XIX. iulii.
Sanctarum Maranae et Cyrae, die III. augusti.
S. Moysis Aethyopis, die XXVIII. augusti.
S. Theodorae Poenitentis, die XI. septembris.
S. Publiae Abbatissae, die IX. octobris.
S. Thomae Monachi, die XVIII. novembris.
S. Maruthae Monachi et Episcopi, die IV. decembris.

Et facta cum SSmo D. N. de omnibus relatione, Sanctitas Sua benigne approbavit.

Datum Romae, X. februarii MDCCXXXIV.

L., Episcopus Albanensis Card. *Picus*, Praefectus.

I., Archiepiscopus *Tyri*, Secretarius.

alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. aprilis MDCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

XV.

Concedit indulgentiam plenariam perpetuam visitantibus aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum missionariorum in partibus infidelium, a custode, seu praefecto missionum huiusmodi designandum, die festo Sancti Ludovici regis Francorum (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae credidit divina dignatio, libenter erogamus, cum ad augendam in terris Sanctorum in caelis cum Christo regnantium fovendamque et excitandam erga illos fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Concessio indulgentiae. § 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Cherubini de Noves Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum professoris ac dilectorum filiorum missionariorum Gallorum eiusdem Ordinis in partibus infidelium existentium in Romanâ Curiâ procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis seu oratoriis dictorum fratrum missionariorum; mulieribus vero, quibus ad illas seu illa liber non patet accessus seu ingressus, quae aliam ecclesiam seu oratorium catholicorum earumdem partium, a custode seu praefecto missionum huiusmodi designandam seu designandum, die festo S. Ludovici regis a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum. § 2. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. iunii MDCCXXXIV., pontif. nostri anno IV.

XVI.

Disponit ut conventus provinciarum Peruntinae et Chilensis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini in possessionem privilegiorum, in qua usque modo fuerunt, deinceps absque ullâ alteratione permaneant, etiamsi octo religiosos de familiâ non habeant, non obstantibus litteris Pauli V., quibus huiusmodi domos supprimi iubebatur (2).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Conventus Ordinis Praedicatorum et Eremitarum S. Augustini in provinciis Peruntinâ et Chilensi in Americâ, quamvis tres dumtaxat religiosos de familiâ alerent, fruebantur privilegiis ceterarum domorum regularium. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Bernardus Davila, frater expresse professus Ordinis Praedicatorum in sacrâ theologiâ magister, et pro suâ Peruntinâ provinciâ procurator, et Didacus Salinas et Cabrera, frater pariter expresse professus Ordinis Eremitarum S. Augustini, in eâdem sacrâ theologiâ magister, assistens generalis Hispaniarum, ac pro Peruntinâ et Chilensi provinciis itidem procurator, quod in vastissimis Americae meridionalis regionibus dictae provinciae plures reperiuntur regulares conventus fundati vel in locis a civitatibus valde remotis vel in oppidis parvis et miserrimis, qui non alio fine illic

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Ex Regest. in Arch. Brev.

sunt fundati, quam ut spirituali christifidelium ibidem commorantium utilitati inserviant. Idem etiam accidit in aliis conventibus, qui dicuntur prioratus, pro Indorum christifidelium assistentiâ ac instructione erectis, qui solum ex tribus provinciis supra relatis sunt in provinciâ Peruntinâ eorumdem Ordinum. Praedicti vero conventus, ut plurimum, sunt pauperrimi, et consequenter nec habent nec alere possunt nisi dumtaxat sex, quinque, quatuor, aut tres religiosos de familiâ, cum quibus et spiritualibus fidelium huiusmodi indigentiis abunde providetur et disciplinae regularis sequela, quoad posse, conservatur. Quibus de causis, tam ex constitutionibus seu statutis Ordinis, apostolicâ confirmatione roboratis, quam ex inconcussâ inveteratâque dictarum provinciarum praxi, omnibus domorum seu conventuum regularium usque modo privilegiis, eorumque priores seu praelati canonice electi voce activâ in capitulis provincialibus eorumque electionibus gaudebant.

Paulus vero V. iussit eos supprimi conventus in quibus octo saltem religiosi ali non possint, mandati huius executionem Episcopis committens.

§ 2. Anno autem MDCXI., die XXI. septembris, a felicis recordationis Paulo V. praedecessore nostro quaedam litterae in simili formâ Brevis expeditae emanarunt, per quas statuebatur quod conventus provinciarum Americae, qui numerum saltem octo religiosorum alere non possunt, supprimerentur, et religiosi in illis residentes ad alios conventus, ubi regularis vigeret obervantia, transferrentur; committendo earum executionem arbitrio Episcoporum illarum partium, si ipsis pro divini cultus augumento et regularis disciplinae observantiâ expedire videretur, eorum super hoc conscientiam onerando.

Sed quamvis ut supra iussis factum nunquam fuerit satis, ex mente quoque Episcoporum, qui ea duxerunt non exequenda; nonnulli tamen ad privandos illarum domorum priores voce activâ in capitulis provincialibus eadem exequi vellent.

§ 3. Sed nunquam usque modo relatae litterae a dictis Episcopis executioni mandatae fuerunt, imo retroactis annis tunc existens Archiepiscopus S. Fidei novi regni Granatensis tunc etiam existentibus S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae per peculiares litteras ipsis directas retulit impossibile prorsus fore ad earum executionem devenire: et certe per centum vigintiduos annos eam haud omisissent, si dictas litteras aut reducendas ad praxim vel convenientes illìc iudicassent, quum ipsis tam serio et sub conscientiae gravamine earumdem executio fuisset demandata. Porro, post centum fere annos a praedictarum litterarum expeditione, in unâ aut aliâ provinciâ aliqui particulares religiosi (personarum exterarum fulti patrocinio), ob personales vitiatosque fines, earum executionem demandarunt, non quoad conventuum suppressionem, aut quoad alios effectus in eisdem litteris contentos, sed solum quoad finem excludendi a suffragio activo in capitulo provinciali eiusque electionibus priores seu praelatos conventuum octo religiosos de familiâ non habentium; illosque de facto saepius excluserunt, maximo cum scandalo et pacis regularis iacturâ: ut frequenti experientiâ compertum est, ex eiusmodi litterarum executione ingentia ferme pullulare damna, cum illarum observantia demandetur solum quoad vocalium exclusionem, et hoc ipsomet tempore celebrationis capituli, aut immediate ante, nimirum quando praetendentes agnoscunt, se, votum ferentibus vel non ferentibus dictis prioribus, posse includi vel excludi, consequenterque solum tendat ad turbandam provinciarum pacem et ad fovendas continuas inter religiosos discordias, vel ad validandam vel annullandam ad proprium nutum et libitum electionem, ut memoratus S. Fidei Archiepiscopus eidem Congregationi Cardinalium retulit. Et ex hoc sequitur quod praedictarum litterarum executio modo dicto plus damni quam utilitatis dictis provinciis afferat; et si quoad suppressionem conventuum in usum adducitur, in maximam dictorum fidelium perniciem redundaret.

Pontifex illis conventibus antiqua iura et privilegia confirmat.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, quo fraudibus malitiisque via praecludatur, et conventuum indemnitati et capitulorum religiosorumque quieti consulatur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut omnes supradicti conventus in possessionem privilegiorum, in qua usque modo fuerunt, deinceps absque ullâ alteratione permaneant, etiam si octo religiosos de familiâ non habeant aut possint alere, eorumque priores seu praelati

legitime electi voce activâ in capitulis provincialibus aliisque electionibus sicut antea potiantur et gaudeant, et eodem prorsus modo priores conventuum Indorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus.

Hasce litteras perpetuo valituras.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 6. Non obstantibus praefati Pauli et aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris, per quas determinatus numerus religiosorum in monasteriis praefinitur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum, Ordinum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adiicit.

§ 7. Volumus autem ut earumdem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. iulii MDCCXXXIV., pontificatus nostri anno V.

XVII.

Decretum Cardinalis de Tournon, latum anno MDCCII. *dum esset Visitator apostolicus Indiarum Orientalium circa nonnullos ritus, consuetudines etc. harum regionum, in plerisque confirmat, in aliis declarat, aut moderatur, aut remittit* (1).

Venerabilibus fratribus ac dilectis filiis, Episcopis et apostolicis Missionariis in regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi.

CLEMENS PP. XII.

Venerabiles fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Compertum exploratumque vobis esse non ambigimus, Carolum Thomam bo. mem. tunc Patriarcham Antiochenum cum potestate Legati a latere Apostolicum Commissarium et Visitatorem, deinde huius S. R. E. Cardinalem de Tournon, a praedecessore nostro fel. record. Clemente XI. ad Sinas anno MDCCII. missum, ubi primum ad Arcem Pudicherii appulit, ut gravibus et urgentibus missionum in regnis Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi saluberrime dirigendarum necessitatibus opportune prospiceret, condidisse die XXIII. mensis iunii anni MDCCIV. decreta nonnulla, quae die VIII. mensis iulii eiusdem anni promulgavit. Cum autem aliquot ex venn. fratribus et dilectis filiis Episcopis et sacris Indiarum Orientalium operariis, quibusdam in iisdem decretis contentis minime acquiescentes, reclamassent, laudatus praedecessor noster Clemens XI. literis in formâ Brevis ad Episcopum Meliaporensem die XXII. mensis septembris anni MDCCXII. datis, eorumdem decretorum obedientiam et observantiam tamdiu requisivit ac mandavit, donec Apostolica haec Sedes, causae momentis fideliter relatis et accuratius inspectis, quas novisset iustitiae magis consentaneas et propagandae christianae fidei magis idoneas providentiae suae vias ac rationes iniret. Benedictus etiam XIII. fel. rec. itidem praedecessor noster provide Clementis XI. mandatis, declarationibus atque vestigiis inhaerens literis quoque in formâ Brevis die XII. mensis novembris anni

---

(1) Ex Bull. de P. F. p. 93, collat. cum Regesto Bullar. Abbreviatoris de Curia sub Bened. XIV. ubi haec constitutio inseritur in constitutione *Omnium sollicitudinum* ab eodem.

MDCCXXVII. datis, memorata Cardin. Tournonii decreta confirmationis robore similiter munivit. Nos vero, qui plane immerentes ipsis Summis Pontificibus in apostolicâ servitute successimus, nihil optamus impensius, quam ut sacrosancta Iesu Christi fides amplius in dies promoveatur, atque omni ope curemus, ut, si qua forte magnis eiusdem incrementis et propagationi occurrant impedimenta, Deo votis nostris obsecundante, penitus auferantur.

§ 2. Itaque postquam necessaria et certiora habuimus documenta theologorum, ac praesertim venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam christianam Rempublicam Generalium Inquisitorum suffragia exquisivimus, quaeque iidem venn. fratres nostri Cardinales confirmanda aut moderanda vel declaranda, atque in nonnullis remittenda, nobis consulere decreverunt, ex sequentibus dubiis hic insertis plene vos dignoscetis:

Dubia pro Missionibus Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi exorta occasione decreti cl. mem. R. P. D. Caroli Thomae Maillard de Tournon Patriarchae Antiocheni, postea S. R. E. Cardinalis, editi Pondicherii die XXIII. *iunii anni* MDCCIV., *proposita in Congregationibus generalibus S. Officii, habitis in conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesentibus DD. Consultoribus, infrascriptis diebus: super quibus dubiis iidem Emi suam protulerunt sententiam prout infra, videlicet:*

FERIA IV. DIE XXI. IANUARII ANNI MDCCXXXIII.

I. Dubium: *An, et quomodo decretum clar. mem. Emi Cardinalis de Tournon sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis*: Districte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris quam adultis cuiuscumque sexus et conditionis omittantur sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, et signanter saliva, sal et insufflatio, quae ex apostolicâ traditione catholica Ecclesia recepit, et ob recondita in iis sacris ceremoniis divinae erga nos bonitatis mysteria sancte et inviolabiliter custodivit, decreto S. et Univ. Inquisitionis de anno MDCLVI. pro Sinis facto ob diversas rationes et circumstantias minime obstante.

Emi dixerunt: Confirmandum esse decretum Emi Card. de Tournon, sed consulendum SSmo, quod missionariis regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis dispensationem concedat ad decennium duraturam, omittendi in collatione baptismi salivam, et occulte utendi insufflationibus, in casibus tamen particularibus, et in quibus gravis et proportionata necessitas urgeat, super quâ conscientia missionariorum oneratur: dummodo non laborent errore habendi salivam et anhelitum tanquam materiam ineptam vel incapacem ad inserviendum pro sacramentalibus ceremoniis in baptismo, utpote omnino incapaces baptismi; eisque missionariis iniungendum, ut debitam instructionem aliasque omnes possibiles diligentias adhibeant, ut aversio populorum a saliva et insufflatione amoveatur, et de instructione aliisque diligentiis adhibitis S. Sedem intra tempus decennii certiorent. Insuper monendos esse Missionarios super gravi negligentiâ non recurrendi ad S. Sedem pro obtinendâ facultate dispensandi, et male se gessisse Episcopos concedendo huiusmodi dispensationem inconsultâ Apostolicâ Sede.

II. Dubium: *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Item praecipimus, ut iuxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicuius sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus idolorum vel falsae religionis poenitentium, quibus gentiles utuntur, et neophyti hactenus appellari consueverunt antequam per Baptismum essent divinae gratiae renati.

Emi dixerunt: Moderandum esse decretum deleto verbo: *praecipimus:* cum clausulâ: *Curent quantum fieri potest,* firmâ remanente interdictione quoad nomina idolorum et falsae religionis poenitentium.

FERIA IV. DIE XXII. APRILIS ANNI MDCCXXXIII.

III. Dubium: *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Nec parochis seu missionariis sub quovis praetextu liceat Ssmae Crucis, Sanctorum, et rerum sacrarum nomina per translata immutare, nec ea alio idiomate explicare, nisi latino vel saltem indico, quatenus voces indicae regionis latinae significationi liquido et adamussim respondeant.

Emi dixerunt: Quod servetur decretum Emi de Tournon, et declaretur, non ha-

bere locum in vocibus et nominibus iam ab institutione missionis communiter receptis, quae tamen per hanc declarationem nec approbantur neque reprobantur.

iv. Dubium: *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Et quia audivimus, Baptismum infantium ex christianis parentibus ortorum eorumdem incuriâ saepe saepius diu protrahi non sine maximo dictorum infantium salutis discrimine, monemus evangelicos operarios, ut sacrorum canonum memores terminum breviorem, quam fieri possit attentis circumstantiis, genitoribus praefigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra praefixum tempus ad Ecclesiam deferant sacro fonte abluendos.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum Emi Card. de Tournon.

v. Dubium: *An et quomodo praedictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Praeterea cum moris huiusmodi regionis sit, ut infantes sex vel septem annorum, interdum etiam in teneriori aetate, ex genitorum consensu matrimonium indissolubile de praesenti contrahant per impositionem Taly pensilis seu aureae tesserae nuptialis uxoris collo, missionariis mandamus, ne huiusmodi irrita matrimonia inter christianos fieri permittant, nec sponsos sic coniunctos cohabitare sinant, donec completâ legitimâ aetate et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiae iuxta formam a Sacrosancto Concilio Tridentino praescriptam verum et canonicum matrimonium contraxerint.

Emi dixerunt: Exequendum esse decretum Emi de Tournon, cum declaratione tamen, servandam esse formam pro matrimoniis a sac. Concilio Tridentino praescriptam in locis, in quibus decretum dicti Concilii in *cap. primo sess.* XXIV. *de Reform. matrim.* publicatum est, in posterum publicabitur, neque eius observantia sit impossibilis, et missionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis missionum illarum partium dictum decretum Concilii publicetur.

FERIA IV. DIE XIII. MAII
ANNI MDCCXXXIII.

vi. Dubium: *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Et quoniam apud peritiores impiae illius religionis sectatores Taly praesefert imaginem, licet informem, Pulleyaris seu Pylleiaris idoli nuptialibus ceremoniis praepositi; cumque dedeceat christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii, districte prohibemus, ne in posterum audeant, Taly cum hac effigie collo appendere, et, ne uxores innuptae videantur, poterunt uti alio Taly, vel SSmae Crucis, vel SSmi D. N. Iesu Christi, vel B. Virginis, vel aliâ quavis religiosâ imagine ornato.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum Emi de Tournon, quamvis missionarii asserant, nunquam permisisse gestationem dicti Taly.

vii. Dubium: *An et quomodo praedictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Et cum superstitione non careat funiculus centum et octo filis compositus et croceo succo delinitus, quo plerique dictum Taly appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum et unctionem.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum Emi de Tournon.

viii. Dubium: *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Ceremoniae etiam nuptiales iuxta harum regionum morem tot sunt tantâque superstitione maculatae, ut tutius remedium aptari non posset, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxiâ gentilitatis labe scateant et difficillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero, ut faciliori conversionum viae et neophytorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, missionariis et praecipue missionum superioribus iniungimus, ut novis adhibitis diligentiis severiorique calculo superstitiosa omnia a dictis ceremoniis expurgent, ita ut nihil inultum relinquatur, quod christianam pietatem offendat et gentilium superstitionem redoleat, et signanter praeter eas, quas audivimus iam statuta in hac materiâ, ab iisdem missionariis, reformationes, ramus arboris Aresciomata omnino auferatur; ferculorum numerus non minus ac cibi praescripta qualitas varietur, circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia omittantur; et quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum et prohibitum intelligatur.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum Emi Card. de Tournon.

FERIA IV. DIE XXII. IULII ANNI MDCCXXXIII.

IX. Dubium: *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Fructus etiam vulgo dictus Cocco, ex cuius fractione prosperitatis vel infortunii auspicia gentiles temere ducunt, vel omnino a christianorum nuptiis reiiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice sed secreto et extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui evangelicâ luce edocti ab huiusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes.

Emi dixerunt: Dilata.

X. Dubium: *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Nullus rite et sufficienter dispositus arceatur a sacramento Poenitentiae, et signanter mulieres menstruali morbo laborantes, non attentis diebus purificationis iuxta morem gentilium; cum haec sacramentalis vera animae purificatio et non alia sit attendenda a christifidelibus eorumque pastoribus, quibus praeterea non liceat, nec per seipsos nec per catechistas nec per alios quoscumque, dictis mulieribus prohibere accessum ad ecclesiam vel ad confessarium durante dictâ infirmitate et dictae purificationis tempore.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum Emi Card. de Tournon.

XI. Dubium: *An et quomodo exequendum sit dictum decretum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Dedecet etiam christianae virginis honestati primâ vice dicto morbo laborantis, illum cognatis, vicinis et amicis notum facere et inverecunde publicare, iisque ethnicorum more et ritu in eius domum collectis, super re tam sordidâ festum instituere: quocirca huiusmodi solemnitates et ritus orthodoxis puellis interdicimus et abolemus, missionariisque iniungimus, ut non solum eas, verum etiam genitores moneant, quam dissona sit virginei pudoris legibus eiusmodi obscoena consuetudo, quae a gentilium impudentiâ videtur inducta, ita ut labefactatâ puellarum verecundiâ, eas effraenate ad libidinem provocare valeant.

Emi dixerunt: Quod curent missionarii abolere festum sub titulo menstrui, sed sub titulo nuptiarum tantum permittant.

FERIA IV. DIE IX. SEPTEMBRIS ANNI MDCCXXXIII.

Nonum dubium supradictâ die XXII. iulii propositum, sed non resolutum: *An et quomodo praedictum decretum sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Fructus etiam vulgo dictus Cocco, ex cuius fractione prosperitatis vel infortunii auspicia gentiles temere ducunt, vel omnino a christianorum nuptiis reiiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice sed secreto et extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui evangelicâ luce edocti ab huiusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum praedicti Emi Card. de Tournon.

XII. Dubium: *An et quomodo decretum praedicti Emi Card. de Tournon sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Ferre pariter non possumus, quod a medicis spiritualibus pro animarum salute ea caritatis officia denegentur, quae medici gentiles, nobilis etiam generis seu castae, pro corporis salute praestare non dedignantur infirmis licet abiectae et infimae conditionis, vulgo dictis Parreas (1). Quapropter districte mandamus missionariis ut, quantum in ipsis erit, nemini e christianis aegrotis quantumvis Parreas et vilioris, si adessent, generis hominibus, desideranda relinquatur in infirmitate copia confessarii, et, ne ingravescentibus morbis cum gravissimo vitae corporalis periculo aeternae consulere cogantur, iisdem missionariis praecipimus, ne infirmos huiusmodi conditionis ad ecclesiam deferendos expectent, sed consultius domos ubi aegrotant pro viribus petant ad eos invisendos, ac piis sermonibus et precibus sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitae discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniant absque personarum aut sexus acceptione, expresse damnantes quamcumque praxim huic christianae pietatis officio contrariam.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum Emi de Tournon: praeterea monendos missionarios, quod neque ad Baptismum admittant Indos, qui in eâ sunt opinione, Parreas a Deo esse reprobatos, et ideo nullam posse sperare salutem, nisi eam opinionem deposuerint.

(1) Alibi scribitur Pareas.

XIII. Dubium: *An et quomodo dictum decretum exequendum sit in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Non sine maximo animi nostri moerore accepimus, etiam christianos tympanorum pulsatores, tibicines vel alterius cuiuscumque musici instrumenti sonatores ad idolorum festivitates et sacrificia accersiri, ad ludendum, et interdum etiam cogi ob quamdam servitutis speciem erga publicum ab ipsis contractae per huiusmodi artis exercitium, nec facile esse missionariis, eos ab hoc detestabili abusu avertere. Quocirca considerantes, quam gravem rationem essemus Deo reddituri, si huiusmodi christifideles a daemoniorum honore et cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne in posterum audeant, nec in pagodis nec extra, tum occasione sacrificiorum tum quarumcumque solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare aut canere, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire; ideoque missionarii non solum eos monere tenebuntur de praedictâ prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, et contrafacientes ab ecclesiâ expellere, donec ex corde resipiscant et publicis poenitentiae signis patratum scandalum emendaverint.

Eñi dixerunt: Servandum esse decretum Eñi Card. de Tournon.

XIV. Dubium: *An et quomodo dictum decretum exequendum sit in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Declaramus praeterea pontificiam constitutionem Gregorii Papae XV., incipientem *Romanae Sedis Antistes,* ad petitionem PP. Societatis Iesu editam (1) qua indigenis christifidelibus lavacra non aliâ occasione et fine, quam corporis reficiendi et a naturalibus sordibus mundandi ab Apostolicâ Sede permittuntur, interdictis tempore et modo, quibus a gentilibus adhiberi solent, aeque afficere evangelicos operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque aliâ causâ et fine, etiam ad effectum ut existimentur Sanias seu Brachmanes prae ceteris dediti huiusmodi ablutionibus, illis uti, praesertim statutis eorum horis, et ante vel immediate post quamcumque sacram functionem.

Eñi dixerunt: Servandum esse decretum Eñi Card. de Tournon.

FERIA IV. DIE XVI. SEPTEMBRIS ANNI MDCCXXXIII.

XV. Dubium: *An et quomodo decretum Card. de Tournon sit exequendum in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Cineres itidem ex vaccae stercore confectos et impiam gentilium poenitentiam a Rutren institutam redolentes benedicere, eosque fronti sacro chrismate delinitae impingere, sive quaecumque alia signa albi vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte vel in pectore aut in aliâ quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus, mandantes, ut S. Ecclesiae consuetudo, piique ritus cineres benedicendi, illisque christianorum caput cruce signandi ad humanae infirmitatis memoriam recolendam religiose serventur tempore ac modo ab Ecclesiâ praescripto, scilicet *feria* IV. *Cinerum* et non alias.

Eñi dixerunt: Confirmandum esse decretum Eñi Card. de Tournon, servatâ in omnibus constitutione Gregorii XV. edita die XXXI. Ianuarii anni MDCXXIII., quae incipit: *Romanae Sedis Antistes.*

Praeterea Eñi dixerunt: Quod fiat decretum, quo imponatur missionariis cuiuscumque Ordinis, etiam Societatis Iesu, in partibus infidelium degentibus, ne audeant permittere ritus vel consuetudines proprias gentilium, nec illos aut illas proprio arbitrio vertere in ritus vel consuetudines christianae religionis inconsultâ S. Sede: et missionarii meminerint praeceptionis Alexandri VII. in sua constitutione incipiente: *Sacrosancti* (2), sequentibus verbis expressae: *Ne ob instructionis defectum, qui sacro baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis ac gentilitiis institutis ex ignorantiâ foedent, ac idololatriam cum orthodoxâ fide confundant, ut saepe inibi evenire enunciatum est, caveant ii qui iisdem instruendis incumbunt, ne in posterum ullus ad Baptisma admittatur, qui veterem hominem ac gentilitios mores prorsus exutus Christum plene non induerit et in fide non sit sufficienter instructus* (3).

XVI. Et ultimum dubium: *An et quomodo dictum decretum exequendum sit in eâ parte, quae est tenoris sequentis:* Et demum, quia ex librorum de falsâ religione et de rebus obscoenis et supersti-

(1) Ea allata est in Vol. I., pag. 15.
(2) Allata est in Vol. I., pag. 304.
(3) Ita sane habetur ad verbum in eâdem constitutione.

tiosis tractantium lectura venenum, ut plurimum, serpere solet ad cor fidelium, quo non minus fidei puritas offenditur quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum ac studium missionariorum, qui libros sacram Ecclesiae catholicae doctrinam rerumque sacrarum monumenta continentes pro Indorum christifidelium eruditione in linguam Malabaricam seu Tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo et institutione composuerunt, iisdem christifidelibus expresse interdicimus fabulosos gentilium libros, eosque legere et retinere prohibemus sub poenâ excommunicationis latae sententiae, nisi prius habitâ licentiâ parochi seu missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiae committimus facultatem super hoc dispensandi, et libros (si qui forte sunt) noxiâ superstitione vacuos et nihil contra bonos mores tractantes pro christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.

Emi dixerunt: Servandum esse decretum Emi Card. de Tournon.

§ 3. Quibus dubiis, et eorum resolutionibus nobis per ven. fratrem Archiepiscopum Damiatae Congregationis S. Officii Assessorem relatis, resolutiones ipsas plene approbantes, cuncta ea, quae iuxta earum tenorem confirmanda aut moderanda vel declaranda ac in nonnullis remittenda visa sunt, respective confirmavimus, moderavimus, declaravimus et in nonnullis remisimus. Quocirca, venn. fratres, dilecti filii, vobis iniungimus et mandamus, ut, pro singulari vestrâ in nos atque hanc S. Sedem reverentiâ, quaecumque per hasce nostras literas de apostolicae auctoritatis plenitudine vel confirmata vel decreta aut praescripta sunt, sanctissime custodiatis atque ab omnibus servanda studiosissime curetis: obsecrantes vos in Domino per viscera misericordiae Dei nostri, ut, controversiis iam remotis et omnino evulsis, alacres atque animi nostri sensibus concordes studia et labores vestros in animarum salutem, quae praestantissimus vestrae vocationis est finis, pro viribus conferatis. Atque vobis, venn. fratres, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. aug. MDCCXXXIV., pontificatus nostri anno V.

XVIII.

Confirmat privilegia provincialibus Societatis Iesu in partibus Indiarum existentibus a sanctae memoriae Pio IV. concessa (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Pius IV. aliique Pontifices patribus Societatis Iesu facultatem concessère dispensandi cum neophytis Indiarum in gradibus affinitatis vel consanguinitatis a iure divino non prohibitis ad contrahenda matrimonia.

§ 1. Cum dudum felicis recordationis Pius PP. IV., praedecessor noster, inter alia, ut Societatis Iesu provinciales, vel ab eis deputati presbyteri, cum neophytis Indiarum, aliarumque orientalium regionum, in quocumque seu quibusvis a iure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus vel aliàs coniunctis, ut, impedimentis huiusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere et solemnizare, seu in iam etiam scienter contractis matrimoniis huiusmodi remanere valerent; in partibus ubi Ordinarii locorum facile adiri poterant, in foro conscientiae tantum, perpetuo, et insuper ibidem, infra tamen viginti annos tunc proxime futuros, quod ipsi locorum Ordinarii, de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum in locis praefatis, et ubi eorum commode potuisset haberi copia, consilio, et cum illis etiam in iudiciali foro; in reliquis autem provinciis, Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis remotis, quod iidem provinciales et deputati presbyteri cum eisdem neophytis etiam in utroque foro, auctoritate apostolicâ, gratis dispensare libere et licite valerent, plenam et liberam facultatem sub certis modo et formâ tunc expressis, concesserit; et aliàs prout in ipsius Pii praedecessoris nostri litteris desuper in simili formâ Brevis die XV. iulii MDLXIII. expeditis uberius continetur; et successive alii Romani Pontifices praedecessores nostri facultatem huiusmodi tam presbyteris quam Ordinariis praefatis non perpetuo sed ad certa limitata tempora, ac novissime, nempe die XI. iunii MDCCI. recolendae memoriae Clemens PP. XI. praedecessor etiam noster ad viginti annos tunc proximos per suas respective in eâdem formâ Brevis litteras, sub certis modo et formâ in illis expressis, inter alia prorogaverit seu de novo concesserit; et, sicut pro parte dilecti filii procuratoris generalis eiusdem Societatis Iesu nobis nuper expositum

Huic facultati Clemens XI. terminum posuit viginti annorum.

(1) Ex Bull. de Prop. Fide, vol. II., pag. 101.

fuit, praedicti viginti anni, ad quos memorata facultas a Clemente praedecessore prorogata seu de novo concessa fuerat, iamdudum expiraverit, ipseque procurator generalis dubitet, ne in procul dissitis illis regionibus aliqui seu aliquis e missionariis, credentes facultatem eiusmodi a Sede Apostolicâ fuisse renovatam, cum neophytis praefatis in dictis gradibus bonâ fide dispensaverint, et, eâ de causâ, aliquâ sint censurâ innodati; cupiatque propterea dictus procurator generalis nedum eamdem facultatem ad aliud nobis bene visum tempus prorogari, sed etiam provincialibus illarum partium et confessariis ab ipsis delegatis indulgeri, quatenus omnes et quoscumque, qui dictâ facultate, postquam expiraverat, usi fuerint, in foro conscientiae absolvere, ac dispensationes bonâ fide concessas ratas habere possint:

Hoc expirato termino illum prorogat Clemens XII. ad alios viginti annos.

§ 2. Hinc est quod nos, populorum illorum ex gentilitatis tenebris et erroribus ad veri luminis agnitionem et christianae fidei veritatem conversorum et ab hac Sanctâ Sede remotissimorum animarum saluti et spiritualibus necessitatibus pro pastoralis officii nostri curâ prospectum esse cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatorum consilio, tam provincialibus et ab eis deputandis presbyteris, quam locorum Ordinariis praefatis, cum dictis neophytis in quocumque seu quibusvis (non tamen in primo) consanguinitatis vel affinitatis gradibus vel aliàs coniunctis seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, dictis quidem presbyteris in locis et regionibus, ubi Ordinarii non adsunt, vel ultra duas dietas iuxta constitutionem similis memoriae Pauli PP. III. etiam praedecessoris nostri editam existunt; ipsis vero Ordinariis e contra, ubi presbyteri praefati adsunt, vel eorum commode haberi potest copia, de eorum tamquam adiutorum et assessorum suorum consilio, et cum illis; ubi autem non adsunt, nec eorum commode copia haberi potest, etiam sine illis, in utroque foro gratis dispensandi, et eos, qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis aliisque censuris, poenis ecclesiasticis, in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi; necnon eisdem presbyteris et Ordinariis, servatis locorum circumstantiis et limitationibus huiusmodi, cum eisdem neophytis in primo gradu etiam rectae lineae affinitatis ex copulâ illicitâ resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in occultis tamen et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, gratis etiam dispensandi, et eos, qui in primo affinitatis gradu huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in foro conscientiae tantum gratis similiter absolvendi; dictisque Ordinariis alios presbyteros idoneos a se prius approbatos, in locis ubi non adsint missionarii similem facultatem habentes quoad praemissa in sui locum subdelegandi, licentiam et facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur: praesentibus ad viginti annos a die illarum datae computandos tantum duraturis, ac uno eodemque tempore tam quoad principales et presbyteros Societatis Iesu, quam quoad Ordinarios praefatos expiraturis: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Matrimonia cum huiusmodi dispensationibus contracta post expiratum dictum terminum validat.

§ 3. Praeterea, eorum, qui matrimonia huiusmodi post expiratam facultatem, a Clemente praedecessore nostro sicut praemittitur prorogatam seu de novo concessam, in gradibus huiusmodi forsan contraxerint, dispensationemque respective ad id concesserint, statui et conscientiarum quieti providere volentes, omnia et singula matrimonia, quae, vigore dispensationis super praedictis gradibus seu impedimentis per missionarios seu etiam Ordinarios illarum partium post expiratam facultatem sic prorogatam quomodolibet concessae, aliàs tamen rite et legitime, contracta fuerint, auctoritate et tenore praefatis revalidamus, ac valida et legitima decernimus, in omnibus et per omnia, perinde ac si ab initio et in eorum radice, praeviâ sufficienti dispensatione, contracta fuissent, absque eo quod illi, qui sic contraxerint, matrimonium de novo contrahere seu novum consensum praestare ullo modo debeant aut teneantur; dictis vero provincialibus Societatis Iesu, et presbyteris ab eis deputandis, necnon Ordinariis locorum, illos, qui expiratâ facultate huiusmodi interim usi fuerint ut praefertur, a quibuscumque cen-

suris et poenis ecclesiasticis, quas propterea quomodolibet incurrerunt, pro hac vice tantum absolvendi, dictâ auctoritate, harum serie, facultatem similiter tribuimus et impertimur.

Huius concessionis exequutionem committit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis adhiberi fidem mandat.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis Iesu subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. septembris MDCCXXXIV., pontificatus nostri anno V.

XIX.

Facultatem concedit patribus Capuccinis Gallis missionariis apostolicis in partibus infidelium degentibus exercendi artes medicinae et chirurgiae (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Supplicatum patribus pro dispensatione ab observantiâ regulae quoad hoc caput.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum ac missionum exterarum eorumdem Capuccinorum Gallorum in partibus infidelium degens in Romanâ Curiâ procurator, nobis nuper exponi fecit, praefati missionarii Galli in eisdem partibus elaborantes medicinae et chirurgiae artibus tum catholicorum, quos in fide consolidant, tum infidelium, quos non raro ad veritatis cognitionem adducunt, benevolentiam sibi concilient; id vero per constitutiones Ordinis praedicti cap. V., auctoritate apostolicâ confirmatas, omnibus expresse prohibeatur ne artes huiusmodi extra Ordinem exerceant: nobis propterea dictus Cherubinus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio, de quâ in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, ipsius Cherubini desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fratribus missionariis Gallis missionum exterarum dicti Ordinis, artium medicinae et chirurgiae huiusmodi peritis, etiam in sacro presbyteratus ordine constitutis, in memoratis (2) partibus infidelium nunc et pro tempore commorantibus, de superiorum suorum licentiâ, dummodo in illis locis nullus adsit medicus vel chirurgus saecularis qui infirmis in eorum infirmitatibus medeatur, artes medicinae et chirurgiae praefatas, iuxta illarum praecepta, ad commodum et utilitatem catholicorum in partibus infidelium

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

(2) Edit. Main. legit *memorati*.

huiusmodi nunc et pro tempore existentium dumtaxat, gratis tamen et sine ullâ prorsus mercede, ac in casu necessitatis tantum, exercere, ac medicamenta et alia necessaria praebere libere et licite, ac sine ullo conscientiae scrupulo, vel irregularitatis, alteriusve poenae vel censurae ecclesiasticae incursu, possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. ianuarii MDCCXXXV., pontificatus nostri anno v.

XX.

Statuit ut capitulum generale Ordinis S. Hippolyti Mexicani de sexennio in sexennium celebretur (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Capitula generalia quolibet triennio celebrare, grave Ordini cum esset,

§ 1. Cum, sicut dilecti filii fratres Ordinis hospitalis S. Hippolyti Mexicani tam suo quam eiusdem Ordinis nomine nobis nuper exponi fecerunt, per constitutiones dicti Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatas expresse disponatur, quod illius capitulum generale quolibet triennio celebretur, id vero, cum eiusmodi Ordo per diversas Americae regiones dilatatus sit, gravem incommoditatem afferat, ac superior generalis Ordinis huiusmodi visitationem suam in triennio praedicto complere nequeat: cupiantque propterea iidem exponentes opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri:

Clemens illud protrahit ad sexennium in perpetuum.

§ 2. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui rem undique mature discusserunt, consilio, ut de cetero (praedictas constitutiones eiusdem cap. IV. hac in parte reformantes) capitulum generale praedicti Ordinis hospitalarii quolibet sexennio, a proximo futuro capitulo generali quod anno proxime venturo celebrandum est incipiendo, atque ita de sexennio in sexennium continuando celebretur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Praesentis constitutionis firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore perman-

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

suris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. aprilis MDCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

XXI.

Confirmat decretum Congregationis de Propagandâ Fide super tumulatione cadaverum missionariorum regularium in infidelium partibus existentium (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Decretum Congregationis de Propagandâ Fide super tumulatione cadaverum missionariorum.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, super tumulatione cadaverum missionariorum Ordinum regularium in partibus Syriae et Palestinae emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis generalis de Propagandâ Fide, habitae die VII. *februarii* MDCCXXXV., *referente eminentissimo et reverendissimo domino domino Cardinali Petra praefecto.* Sacra Congregatio, ad tollenda iurgia et dissensiones, quae non raro oriri solent in partibus Syriae et Palestinae occasione tumulationis cadaverum missionariorum Ordinum regularium, confirmavit et renovavit decreta super huiusmodi re aliàs edita, et praesertim anno MDCXCII., itemque confirmata anno MDCCII., per quae sancitum fuit: quod deferatur private cadaver a propriis religiosis; in coemeterio autem tantum adesse debeat parochus cum stolâ et cruce, et dicat orationes iuxta formam praescriptam in rituali, permittendo postea ut reliquae orationes dicantur a superiore religionis, et per ipsum ac suos religiosos dari sepulturam. Praesens autem decretum renovatorium praedictorum decretorum eadem sacra Congregatio praecepit notificari superioribus generalibus eorum Ordinum, etiam Societatis Iesu, quorum religiosi missionariorum munus in antedictis partibus obeunt, ut ab omnibus et quibuscumque suis respective subditis illud omnino et inviolabiliter observari curent. Datum Romae ex aedibus eiusdem sacrae Congregationis die XIX. martii MDCCXXXV. — V. Card. PETRA praefectus. — P. DE MONTIBUS secret.

Loco ✝ sigilli.

Huiusmodi decretum a Pontifice confirmatum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum in Romanâ Curiâ missionariorum Gallorum eiusdem Ordinis in infidelium partibus existentium procurator, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos, specialem ipsi Cherubino gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quorumcumque Ordinum, et aliis

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. aprilis MDCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

XXII.

Indulgentiam plenariam concedit iuxta modum visitantibus oratorium Capuccinorum Gallorum in partibus infid. commorantium (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae credidit divina dignatio, libenter erogamus, cum ad augendam in terris sanctorum in caelis cum Christo regnantium fovendamque et excitandam erga illos fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Cherubini de Noves Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum professoris ac dilectorum filiorum missionariorum Gallorum eiusdem Ordinis in partibus infidelium existentium in Curiâ Romanâ procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ, et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra comunione refectis, qui aliquam ex ecclesiis seu oratoriis dictorum fratrum missionariorum (mulieribus vero, quibus ad illas seu illa liber non patet accessus seu ingressus, quae aliam ecclesiam seu oratorium catholicorum earumdem partium a custode vel praefecto missionum huiusmodi designandam seu designandum), in Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, impressionis sacrorum stigmatum Sancti Francisci, secundâ mensis augusti, Sanctorum Antonii de Padua, Bonaventurae, Francisci Assisiensis et Ludovici Episcopi, Felicis a Cantalicio, Petri de Alcantara, Bernardini Senensis, Ioannis a Capistrano, Paschalis de Baylon, Iacobi a Marchia, Francisci Solani, nec non sanctarum Clarae Assisiensis et Catharinae a Bononia festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praedictis id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuo futuris temporibus valituris.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. maii MDCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

XXIII.

Abbatiam S. Benedicti de Ullano dioecesis Bisinianensis per cessionem Cardinalis Carafa Abbatis commendatarii vacantem ad statum saecularem redigit, eamque perpetuo assignat Episcopo Graeci ritus pro tempore eligendo a Sede Apostolicâ in praesidem Collegii de Ullano seu Corsini graeci ritus nuper erecti, cui onus etiam incumbat conferendi ordines clericis Italo-Graecis utriusque Siciliae (2).

CLEMENS EPISCOPUS
servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Supernâ dispositione illius, cuius inscrutabili Providentiâ incrementum suscipiunt universa, pro ulteriori orthodoxae nostrae Exordium.

(1) Ex Bull. de Prop. Fide vol. II., p. 63, coll. etc.

(2) Ex App. Bull. de P. F. pag. 65, collat. etc.

Religionis amoenitate novo pro literis sacrisque ritibus ac probis moribus alendâ iuventute in irriguo militantis Ecclesiae agro, et praesertim in eiusdem agri partibus in quibus diversi ritus diversaeque linguae adolescit iuventus, erecto fundatoque Collegio, dignum arbitramur et congruum, providum, rituque et idiomate apprime insignem, ac pastorali dignitate praeditum constituere praesulem, a quo sic constituto, opportunisque ad id a Sede Apostolicâ suffulto facultatibus, non solum Collegii huiusmodi verum etiam externa iuventus, sacris iuxta eius ritum se addicere sitiens ministeriis, a propiore fonte, sine ulteriore laboriosi itineris incommodo et expensarum dispendio, pium desideriorum suorum haurire valeat implementum; et in partibus ipsis divinus cultus suavi ritus diversitate suavior effloreat, illumque adoretur Altissimus, et christifideles aeternae beatitatis praemium ex inaestimabili Salvatoris nostri caritate valeant adipisci.

Abbatiae de Ullano historia.

§ 1. Cum itaque monasterium Abbatia nuncupatum S. Benedicti de Ullano nuncupati eiusdem S. Benedicti seu alterius Ordinis oppidi de Ullano Bisinianensis dioecesis, quod dilectus filius noster Petrus Aloisius, tit. S. Laurentii in Pane et Perna nuncupati, praesbyter Cardinalis Carafa nuncupatus, in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicis nuper obtinebat, commendae huiusmodi, ac omni et cuiuscumque iuri et actioni sibi in dicto monasterio quomodolibet competenti et per eum praetenso, illiusque regimini et administrationi in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem huiusmodi duximus admittendam, per cessionem eamdem adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat, aut alias certo alio modo vacare noscatur ad praesens, et Nos nuper, ad sancte exacteque iuventutem Italo-graecam in regno Neapolitano et citra Pharum degentem in eiusdem nationis sacris ritibus sacrâque ecclesiasticâ disciplinâ enutriendam, a monasterio praedicto palatium abbatiale cum omnibus et singulis illius mansionibus, aedibus, aedificiis, aliisque eius membris eidem palatio annexis, ecclesiamque eiusdem S. Benedicti, motu proprio nostro, apostolicâ auctoritate, de laudabili eiusdem Petri Aloisii Cardinalis consensu, dictum monasterium sic in commendam, ut praefertur, tunc obtinentis perpetuo dismembraverimus, separaverimus et segregaverimus, dictumque palatium sic dismembratum, separatum et segregatum in unum puerorum Italo-graecorum Collegium ecclesiasticum a familiâ nostrâ Corsinum nuncupatum, dictamque ecclesiam in eiusdem Collegii ecclesiasticâ auctoritate, motuque paribus similiter perpetuo erexerimus, et instituerimus; eidem Collegio sic erecto et instituto pro congruis illius dote, nec non puerorum ac magistrorum, lectorum et ministrorum inibi eis pro tempore inservientium et existentium manutentione, certos annuos reditus ex certis tunc expressis taxis conciliaribus, nec non a summâ nonnullorum millium scutorum monetae Romanae a nobis de pecuniis nostris eidem Collegio elargitorum, et ad eiusdem Collegii favorem utilitatemque debite ac tute reinvestiendorum et iure nunc forsan reinvestitorum annuatim provenientes per quasdam sub VI. id. mensis octobris an. Domini MDCCXXXIII. sub certis modo et formâ tunc expressis perpetuo assignaverimus, et deinde ad pueros in eodem Collegio pro tempore existentes a studiorum labore levandos eorumque animos recreandos, ab eodem monasterio quoddam viridarium, vulgo *Orto dell' Abate* nuncupatum, ad dictum monasterium spectans, dictoque palatio propinquum ac fere annexum, sub certis pariter modo et formâ similiter tunc expressis, auctoritate motuque paribus, deque simili praedicti Petri Aloisii Cardinalis dictum monasterium adhuc tunc pariter in commendam obtinentis consensu per alias nostras literas sub cal. iulii anni eiusdem Domini MDCCXXXIV. respective datas, respective expeditas, etiam dismembraverimus, segregaverimus et separaverimus, dictumque hortum sic separatum, segregatum et dismembratum eidem Collegio pariter applicaverimus, appropriaverimus et incorporaverimus, ac alias prout in singulis literis praedictis desuper expeditis plenius continetur; et sicut accepimus ex Collegii huiusmodi erectione et institutione, aliisque praedictis eorum debite sortitis effectum, nedum iuventuti praedictae in eodem Collegio pro tempore existenti, verum etiam universae illarum partium Italo-graecae genti serenus et diu a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris exoptatus, gratiâ sic ducente Domini, exurgat lucifer ille, per quam literarum scientia foveatur, sacraque disciplina eorumque ritus excolatur et augeatur; nos igitur ulteriori Collegii huiusmodi, illiusque alumnorum ac gentis praedicto-

rum commodo, paternâ caritate ac providâ pontificii nostri solertiâ magis magisque in dies consulere volentes, et attendentes, quod Italo-graeci illarum partium, et in Rossanensi, Cassanensi, Bisinianensi et Anglonensi, aliisque utriusque Siciliae ultra et extra Pharum regni dioecesibus degentes, sacrosque ordines suscipere et ritus addiscere inhiantes, pro dictis ordinibus suscipiendis ritibusque praedictis addiscendis ad Urbem nostram accedere coguntur; et nos dum Cardinalatus honore fulgeremus, et Collegii Graecorum de Urbe protectoris munere fungeremur, iuvenes ex dictis dioecesibus pro ordinibus huiusmodi suscipiendis ab eorum respective patriâ non sine duri, longaevi et periculosi itineris fastidio sumptuumque dispendio accedentes, prout accedere coguntur de praesenti, videbamus, et defixis saepenumero super eos ab itineris huiusmodi aerumnis defatigatos nostrae miserationis oculis divinam deprecabamur bonitatem, ut eis pretiosum laudabilium desideriorum suorum assecuturis bravium commodiorem sternere dignaretur viam. Quapropter aeterna bonitas universam familiae suae curam nostrae committere dignata est infirmitati, primodictum Collegium sic, ut praefertur, ereximus et instituimus, ad commodius et felicius primodicti Collegii illiusque Alumnorum regimen sedulo incumbentes, et vigili apostolicae nostrae solicitudini studio quodcumque incommodum ac dispendium ab eis et gente huiusmodi avertere cupiente animo revolventes; quod si iuxta laudabile nonnullorum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilium, unus ex Archiepiscopis seu Episcopis praedicti ritus Graeci, apud eorum ecclesias ab infidelium tyrannide detentas, personaliter residere non valentibus, in praedicto oppido Ullani et apud primodictum Collegium personaliter resideret, ac in primodicti Collegii ecclesia praedicta ad gentis huiusmodi subsidium, ac Archiepiscoporum et Episcoporum Latini ritus in dicto regno existentium levamen, apostolica auctoritate a nobis, ut infra constitueretur, ac deputaretur; eidemque Archiepiscopo seu Episcopo, sic pro tempore constituto et deputato, pro eius congrua sustentatione et infrascriptorum onerum ab eo, ut infra, supportandorum supportatione, dictum monasterium, praevia infrascripta illius ad saecularem statum redactione, in unam Abbatiam saecularem, ut infra, erigendum, eàdem apostolicâ auctoritate, similiter ut infra, perpetuo afficeretur; ex constitutione et deputatione et affectione praedictis, aliisque a nobis ut infra decernendis indulgendisque, salutare divinumque eidem genti oriretur commodum illud quod aeternae eorum saluti expediturum fore conspicimus in Domino.

§ 2. Quapropter eorumdem praedecessorum nostrorum erga filios S. R. Matris Ecclesiae obedientes charismata aemulantes, eosdemque filios in amantissimo tantae matris gremio, puro solidoque ecclesiasticae disciplinae ac ritus praedicti lacte enutriri volentes in Domino, motu simili, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, et ex certis aliis rationabilibus ac nobis notis causis, monasterium praedictum, cuius fructus, reditus et proventus ad septuaginta tres florenos auri cum uno tertio alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae, ut etiam accepimus, taxati reperiuntur, quovis modo aut ex alterius cuiuscumque personâ, seu per similem vel aliam liberam cessionem dicti Petri Aloisii Cardinalis vel cuiusvis alterius de illo illiusque regimine et administratione in Romanâ Curiâ vel extra eam, etiam coram notario publico ac testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, non tamen per obitum commendâ praedicta cessante, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius provisio iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, illaque ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, et de illo consistorialiter disponi, ac ad illud quis per electionem assumi consueverit, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, et super regimine et administratione praedictis inter aliquos lis, seu illorum possessorio, vel quasi molestia: cuius statum etiamsi praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa. Necnon in eodem Monasterio illiusque Ecclesia Abbatiali, ac aliis beneficiis ecclesiasticis, si quae sint, ab eo dependentibus, Ordinem, cuius illud et illa existunt, omnemque statum et essentiam Regulares, illiusque titulum collativum regularem, dictâ apostolica auctoritate perpetuo supprimimus et extinguimus, et ad saecularem statum redigimus, dictum monasterium sic, ut praefertur, per

Concedit iuxta praescripta abbatiam Collegio de Ullano.

praesentes suppressum, et extinctum, et ad saecularem statum redactum in unam perpetuam Abbatiam saecularem sub invocatione eiusdem S. Benedicti de Ullano nuncupati dictae Bisinianensis dioecesis de omnibus et singulis illius bonis, iuribus, rebus, proprietatibus et obventionibus universis, alias ad dictum Monasterium a nobis ad statum et essentiam saeculares redactum quomodolibet spectantibus, auctoritate nostrâ praedictâ pariter perpetuo erigimus et instituimus: dictaeque Abbatiae saeculari a nobis per praesentes, ut praefertur, erectae et institutae, pro congruâ illius dote et futuri illius pro tempore existentis Abbatis saecularis substentatione omnia et singula bona, iura, res et proprietates praedictas; ita quod liceat futuro illius Abbati omnium et singulorum iurium, bonorum, rerum et proprietatum eiusdem Abbatiae saecularis, a nobis per praesentes, ut praefertur, erectae et institutae, per se vel alium seu alios eius nomine veram, realem, actualem et corporalem possessionem propriâ auctoritate, libere, apprehendere et apprehensam retinere, illorumque fructus, reditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta universa undecumque et quomodocumque provenientia percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere libere et licite valeat, dioecesani loci, vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, eâdem apostolicâ auctoritate similiter perpetuo applicamus, appropriamus et incorporamus. Dictaque Abbatia saecularis a nobis per praesentes sic, ut praefertur, erecta et instituta, eique bonis, rebus, proprietatibus praedictis sic, ut praefertur, applicatis, appropriatis et incorporatis, unum ex Archiepiscopis seu Episcopis praedicti ritus Graeci, apud eius ecclesiam ab infidelibus detentam personaliter residere non valentem et a Sede praedictâ eligendum, et in primodicti Collegii praesidem, qui ei illiusque regimini et administrationi, ac spirituali alumnorum pro tempore inibi existentium profectui provide ac fructuose praeesse debeat et teneatur, dictaque apostolicâ auctoritate etiam perpetuo constituimus et deputamus: eique sic pro tempore constituto et deputato ut statum suum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decenter tenere, ac regiminis et administrationis huiusmodi omnia debite exequi valeat, Abbatiam saecularem per praesentes a nobis, ut praefertur, erectam et institutam huiusmodi, eâdem auctoritate perpetuo afficimus et affectam esse volumus, sibique illa tam a primaevâ illius erectione et institutione huiusmodi nunc, quam futuris temporibus pro tempore quomodolibet vacans, conferri et de illâ provideri debeat, semperque ei affecta sit et censeatur; Eidemque Archiepiscopo seu Episcopo sic, ut praefertur, pro tempore constituto et deputato, ut ipse in Abbatiae saecularis a nobis per praesentes, ut praefertur, erectae et institutae ecclesiâ praedictâ omnia et singula pontificalia pro sacrorum Ordinum collatione, iuxta proprium ritum Graecum, tum primodicti Collegii alumnis inibi pro tempore existentibus, tum aliis Italo-graecis praedicti utriusque Siciliae citra et ultra Pharum regni huiusmodi, cum literis dimissorialibus eorum respective Ordinariorum, exercere libere et licite valeat, omnimodam licentiam plenamque concedimus facultatem. Ne autem eiusdem ritus ad sacros ordines pro tempore promovendi ulterius accedendi ad Urbem pro ordinibus huiusmodi recipiendis ab Episcopo Graeco ad id muneris explendum per Sedem eamdem constituto, iuxta praxim ad haec usque tempora servatam ad formam Constitutionis a piae mem. Clemente PP. VIII. pariter praedecessore nostro desuper editae, cui ad earumdem tantum praesentium effectum derogamus, patiantur incommodum per easdem praesentes volumus et mandamus, quod locorum Ordinarii, in quorum respective dioecesibus pro tempore promovendi huiusmodi existunt, literas dimissoriales, quoad videlicet in dicto regno eidem Archiepiscopo in primodicti Collegii praesidem, ut praefertur, pro tempore constituto, et deputato; quo vero ad in Urbe respective se promoveri facere cupientes, Episcopo in dicta Urbe pro tempore degenti, respective dirigere debeant, et teneantur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, omnia et singula praemissa nec non praesentes literas nullo unquam tempore, etiam ex eo quod causae propter quas emanarunt coram Ordinariis locorum, etiam tanquam Sedis eiusdem delegatis, vel alibi examinatae, verificatae et approbatae, ac ad id interesse habentes vocati non fuerint, neque ipsi illis consenserint, aut alio quocumque praetextu de nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse; nec sub qui-

busvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos seu Romanos Pontifices successores nostros aut Sedem huiusmodi, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis insolitis nec non irritantibus, et aliis decretis pro tempore factis, etsi de iisdem praesentibus, illorumque toto tenore et datâ specialis, specifica et individua mentio fiat; sed tamquam in fidei catholicae et divini cultus favorem ac publicam utilitatem et salutem concessa, semper valida et efficacia fore; ac quoties illae emanabunt toties in pristinum, et eum, in quo antea erant, statum restituta, reposita, et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub datâ per eos, quorum intererit et quos praesentes concernent, in futurum eligenda, concessa fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictaeque Sedis Nuncios, ac etiam eiusdem S. R. E. Cardinales, dictaeque Sedis etiam de latere Legatos, Vice-Legatos; sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causâ et instantiâ ac quovis iudicio, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstante, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus de iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, nec non monasterii praedicti, cuius illud existebat, ac Rossanensis, Cassanensis, Bisignanensis praedictarum, et aliarum Ecclesiarum in praedicto utriusque Siciliae regno existentium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis ac eiusdem monasterii Abbati ac earumdem Ecclesiarum respective praesulibus pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis nec non irritantibus, et aliis decretis, etiam motu pari, ac ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis et approbatis ac innovatis: quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus seu commendis de monasterio a nobis per praesentes, ut praefertur, suppresso et extincto speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae sedis aut legatorum eius literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum: quas quidem literas et processus habitos per easdem, ac inde sequuta quaecumque ad dictam abbatiam secularem a nobis per praesentes, ut praefertur, erectam volumus non extendi; sed nullum per hoc eis quoad assequutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et literis apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earumdem praesentium impediri valeat, quomodolibet perdifferri, et quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit de verbo ad verbum in nostris literis mentio specialis; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem.

§ 5. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXV. IV. idus iunii, pontificatus nostri anno V.

XXIV.

Nullius roboris declarat ea quae continentur in duobus epistolis pastoralibus Episcopi Pekinensis circa ritus sinenses (1).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Apostolicae sollicitudinis nobis divinitus commissae ratio nos admonet, ut ea, quae christianae religionis catholicaeque fidei propagationi ac incrementis quacumque ratione obsistere posse dignoscuntur, quantum nobis ex alto conceditur, recidere ac e medio tollere studeamus.

Ex publicatione praedictarum pastoralium discordiae inter missionarios exortae sunt.

§ 1. Cum itaque, sicut ad apostolatus nostri notitiam pervenit, occasione binarum epistolarum, quas pastorales vocant, bonae memoriae Francisci, dum viveret, Episcopi Pekinensis nuper defuncti, die VI. iulii et XXIII. decembris anni MDCCXXXIII. circa ritus Sinenses editarum, graves in imperio Sinarum inter apostolicos illarum partium missionarios exortae fuerint dissensiones, quae uberes fructus, quos sancta mater Ecclesia ex assiduo operariorum in illam agri dominici partem missorum labore praestolatur, impedire aut morari possent:

Eas revocat Clemens.

§ 2. Nos, ut pristina inter eosdem missionarios pax et animorum concordia, sublatis quibusvis dissidiis, restituatur, de opportuno in praemissis remedio providere volentes, ac epistolarum praedictarum tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui iussu nostro epistolas ipsas sedulo ac diligenter examinarunt, consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, binas memorati Francisci Episcopi Pekinensis epistolas pastorales praefatas, ac poenas et alia quaecumque in eis contenta, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida et irrita, nulliusque prorsus roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus; et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus: nobis insuper et Apostolicae Sedi reservantes facultatem christifidelibus in eodem regno degentibus aperiendi nostram et dictae Sedis mentem post maturam itidem habitam deliberationem super rebus quae huiusmodi materiam respiciunt.

Invalidationis firmitas.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet spectat et pro tempore quandocumque spectabit, praesertim vero Archiepiscopis, Episcopis, vicariis, provincialibus et missionariis apostolicis tam saecularibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti et Societatis etiam Iesu regularibus in supradicto Sinarum regno nunc et pro tempore existentibus inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis praefatae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Huius declarationis transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. septembris MDCCXXXV., pontificatus nostri anno VI.

---

(1) Ex Bull. de Prop. Fide vol. II., pag. 107.

XXV.

Erigit confraternitatem sub invocatione S. Antonii Abbatis, utriusque sexus Christifidelium, in ecclesia de Cusaja in Monte Libano (1).

CLEMENS PAPA XII.
ad futuram rei memoriam.

Quum, sicut accepimus, in ecclesia S. Antonii Abbatis de Cusaja nuncupata, sita in Monte Libano Antiochenae dioecesis, una pia et devota utriusque sexus Christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem S. Antonii Ab. (non tamen pro hominibus unius specialis artis) canonice erecta seu erigenda existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatiset caritatis opera exercere consueverunt seu intendunt,

§ 1. Nos, ut confraternitas huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra communione refecti vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam: nec non eisdem et pro tempore exsistentibus dictae confraternitatis confratribus et consororibus, vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui praedictae confraternitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium die festo principali dictae confraternitatis, per eosdem confratres semel tantum eligendo et ab Ordinario approbando, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis confratribus et consororibus, vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, ecclesiam seu capellam vel oratorium huiusmodi in quatuor aliis anni feriatis vel non feriatis seu Dominicis diebus, per memoratos confratres semel tantum etiam eligendis et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra, visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu capella vel oratorio huiusmodi pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum huiusmodi quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas SSmumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam quum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti campanae ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum huiusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem (necessaria) sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties, pro quolibet praedictorum operum exercitio, sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 2. Volumus autem, ut si aliàs dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia, perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, praesentes nullae sint, utque, si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata iam sit vel in posterum aggregetur aut quavis alia ratione uniatur vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. octob. MDCCXXXV., pontificatus nostri anno VI.

(1) Ex Append. Synod. Montis Libani.

XXVI.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium, quo statuitur, presbyteros Congregationis S. Hippolyti in partibus Indiarum non posse habere in religione aliquam praelaturam (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Ex praescripto regulae unus tantum sacerdos esse debet.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum definitorii generalis Congregationis Caritatis sub titulo S. Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium a felicis recordationis Innocentio Papa XII. praedecessore nostro in religionem erectae, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum exposito, quod, cum per constitutiones dictae Congregationis fratrum auctoritate apostolicâ confirmatas caveretur illius fratres esse debere laicos, utpote deputatos assistentiae aegrotorum in hospitalibus degentium, et in unâquaque domo unum tantum ad presbyteratum promoveri posse, sed deinde compertum fuisset unum dumtaxat presbyterum spiritualibus necessitatibus hospitalium et aegrotorum huiusmodi non sufficere, die XXX. septembris MDCCXXIX. praefata Congregatio Cardinalium, referente dilecto filio nostro Ludovico eiusdem S. R. E. Cardinalis Belluga et Moncada nuncupato, indulserat ut duo in singulis hospitalibus praedictis esse possent presbyteri, et in domibus matricibus tres, sub diversis tamen conditionibus: nimirum quod nullus promoveretur ad sacros ordines, nisi saltem sex annos professionis in religione iuxta dictas constitutiones habuisset, et, ad effectum se promovendi ad presbyteratum, directe vel indirecte uti valeret intercessione seu mediatione alterius personae pro licentiâ a superiore vel definitorio generali dictae congregationis obtinendâ, sed proponendus esset eidem superiori generali a superiore et capitulo conventualibus domus, cui de presbytero providendum veniret; ipsique superior et capitulum conventuales superiori et definitorio generali indicare deberent personas, quas huiusmodi gradum promereri crederent, et, si quispiam aliter ad presbyteratum promotus fuisset, suspensionem a divinis ipso facto incurreret, a qua nonnisi per Summum Pontificem pro tempore existentem absolvi posset; quodque in singulis conventibus nequirent esse plures quam duo presbyteri, exceptis domibus matricibus, ut praefertur, in quibus tres permittebantur, ita ut, si quis ultra hunc numerum ad presbyteratum promoveretur, si id eveniret ex propriâ culpâ, tamdiu suspensus remaneret, donec aliquis locus per obitum presbyteri vacaret; superiores vero, qui hoc permisissent, post expletum officium voce activâ et passivâ privati essent, presbyteri autem sacrosanctum missae sacrificium iuxta intentionem prioris localis et obligationes communitatis illius domus celebrare et applicare, quatenus pro celebratione eiusmodi aliquam eleemosynam recepissent, illam tradere tenerentur ipsi priori locali, ubi missae celebrarentur, vel cui subesset ille qui extra conventum celebrasset, sub poenis adversus proprietarios inflictis; sicque promoti in omnibus observare deberent vitam regularem, et deferre coronam ad instar sacerdotum Ordinis Sancti Ioannis Dei, nec valerent vel ad breve tempus aliquam praelaturam obtinere in religione, nisi ex dispensatione apostolicâ, sed tantum esse possint discreti conventuum, magistri novitiorum et assistentes provinciae; ac demum quod, si aliquis presbyter aegrotus in aliquo hospitali praedictae Congregationis fratrum ante obitum peteret admitti ad illius habitum regularem, posset dictus superior generalis cum suo definitorio dare licentiam alicui ex prioribus localibus eum admittendi, accedente consensu communitatis, quamvis in eâ domo iam duo, vel in matrici tres presbyteri extarent: cumque postmodum supradictae Congregationi Cardinalium renunciatum fuisset in religione praefatâ non adesse provinciae assistentes, ipsa Congregatio Cardinalium die XV. martii MDCCXXXI. ad relationem memorati Ludovici Cardinalis, rescripserat promotos ad sacros ordines non posse habere aliquam praelaturam in dictâ religione nisi ex apostolicâ dispensatione, sed tantum esse posse discretos conventuum et magistros novitiorum, non vero provinciae assistentes:

Statutum tamen ut huiusmodi presbyteri nonnisi conventuum discreti esse possint et magistri novitiorum.

Sed contra repositum.

Et in eâdem expositione subiuncto, quod nec praefatum officium discretorum con-

(1) Ex Regest. in Arch. Brevium.

ventuum in praedictâ Congregatione fratrum reperiretur, ut constat ex praedictis constitutionibus num. XIII., ubi, enumeratis officiis minoribus quarumlibet domorum, nihil de hisce discretis habetur; propterea (1), quod presbyteri esse valeant magistri novitiorum, contrarium videretur constitutionibus praefatis, utpote in quibus sub numero XII. referuntur omnia officia eiusdem religionis conferenda in capitulo generali, inter quae quidem recensetur illud magistri novitiorum, sed cap. IV. dictarum constitutionum declaratur presbyteros in eodem capitulo generali solum frui posse voce activâ, quatenus ob antianitatem eis competat, minime vero voce passivâ, ac propterea promoveri nequeunt ad officia ipsius religionis, et, postquam aliqua officia ibidem enumerata sunt, nempe fratris maioris, consiliarii, procuratoris generalis et fratris localis, subditur quod neque promoveri possint ad officia maiora religionis praefatae, quod de dicto officio magistri novitiorum, utpote inter officia eiusdem religionis supra recensito, utique verificari debet; accedente insuper, quod praedicto cap. IV. praescribatur ut presbyteri administrent sacramenta aegrotantibus, et ex causâ huius spiritualis assistentiae infirmis exhibendae perspectum fuerit eos eximendos esse ab aliis officiis, ne illa exercentes a praecipuo eorum circa aegrotos munere deficiant; officium autem magistri novitiorum eos (2) assidue occupatos (3) detineret in rectâ eorumdem novitiorum institutione, unde propemodum impossibile esset, ut, curam gerens dictorum novitiorum, debitam aegrotis assistentiam praebere posset; sicque a spiritu dictarum constitutionum alienum dignoscatur ut presbyteris praefatis officium magistri novitiorum exercere liceat:

Petitio. Ac proinde praedictae Congregationi Cardinalium, nomine fratrum definitorii generalis huiusmodi, supplicato ut decernere vellet quod presbyteri religionis praedictae nequeant esse neque discreti conventuum, neque magistri novitiorum, sed quoad ipsos, circa facultatem obtinendi gradus, servetur id quod in supradictis constitutionibus a Sede Apostolicâ approbatis praescribitur:

Emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis Episcoporum et Regul. hac super re.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, referente eminentissimo domino Cardinali Belluga ponente, re mature perpensâ, praevio recessu a decisis sub die XV. martii MDCCXXXI., iterum decrevit quod promoti ad sacros ordines nequeant habere in religione, neque ad breve tempus, aliquam praelaturam, nisi cum apostolicâ dispensatione, nec esse possint assistentes provinciae nec magistri novitiorum, sed dicti sacerdotes primi advocentur pro consilio in omnibus congregationibus et coadunationibus faciendis in singulis conventibus. Romae, XXIII. iulii MDCCXXXV. — Cardinalis FRANCISCUS BARBERINUS. — C. Archiepisc. Calcedonensis, secret.

Loco † sigilli.

Confirmatur. § 2. Cum autem, sicut supradicti fratres definitorii generalis nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et exactius servetur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorumdem exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inconcusse observari, eisque respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri

(1) Legerem *praeterea*.
(2) Potius lege *eum*.
(3) Cohaerenter lege *occupatum*.

debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis fratrum aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. octobris MDCCXXXV., pontificatus nostri an. VI.

XXVII.

Ablegatum suum apud Maronitas mittit Iosephum Simonium Assemanum, ut ecclesiasticam disciplinam inter eos ordinet, indictâ provinciali Synodo, et reservatis S. Sedi gravioribus negotiis, cum facultate quoque suffragium ferendi in eâ Synodo (1).

Dilecto filio Iosepho Simonio Assemano, Praelato Domestico ac Familiari et continuo Commensali nostro,

CLEMENS PP. XII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Petitio Patriarchae Antiocheni et Praesulum.

§ 1. Cum, sicut venn. fratres Iosephus Petrus Patriarcha Antiochenus, ac Archiepiscopi et Episcopi nationis Maronitarum per suas literas non ita pridem ad nos datas,

(1) Ex Actis Synodi Libanen. Maronit. in Archivo S. Cong. de Prop. Fide. Ex iisdem depromimus sequentes literas apost. ad Patriarcham et Praesules Maronitas.

Venerabili fratri Iosepho Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod inclyta ista tua Natio Maronitarum veluti rosa inter spinas et firmissimus in medio mari populus contra furentes tot haereticorum schismaticorum et infidelium misere adhuc Patriarchatum Antiochenum exagitantium undas obiectus sacrosancta Catholicae fidei a Beato Petro Apostolorum Principe semel acceptae dogmata integra semper et intacta adspirante Dei gratia custodierit, singulari venerabilium fratrum Patriarcharum praedecessorum tuorum ad excolendam vineam istam Dei Sabaoth advigilantium sedulitati et constanti erga Apostolicam hanc Romanam Sedem omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram eiusque pro tempore Romanos Pontifices antecessores nostros obedientiae refertur acceptum. Ex literis autem fraternitatis tuae ad nos datis nova et luculentiora vigilantiae et reverentiae documenta contestantibus probe intelligimus, quam gravis iniecta sit cura ut salutare nonnullis rebus in ecclesiasticam disciplinam sensim ac perperam invectis a primoevo instituto et splendore longe alienis compares remedium quod per fraternitatem tuam adhiberi non posse significas. Eapropter nostram opem imploras ac demissis precibus exposcis, ut apostolicae benignitatis et auctoritatis nostrae partes tibi deesse minime patiamur; atque insimul isthuc adlegimus dilectum filium Iosephum Simonium Assemannum, alterum Bibliothecae nostrae Apostolicae Vaticanae Praefectum et Praelatum nostrum Domesticum, qui nostro nomine quae in Clero et Natione ista fortasse corrigenda aut reformanda noverit unacum fraternitate tua atque aliis venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis fortiter suaviterque corrigat atque reformet. Immensas primum Omnipotenti Deo gratias agimus, deinde meritas fraternitati tuae rependimus laudes quod ad sinceram Orthodoxae Religionis unitatem et sacrosanctae disciplinae incrementum tua studia ac zelus tantopere exardescant. Pro iniuncta vero nobis omnium Ecclesiarum sollicitudine et apostolico ministerio nostro laudatissimis Praedecessorum nostrum, qui Maronitarum Nationem peculiaribus pontificiae caritatis argumentis prosecuti sunt exemplis inhaerentes laeto libentique animo obsecundare gestimus. Itaque eumdem dilectum filium Iosephum Simonium Assemannum, qui tanta cum pietatis, prudentiae et doctrinae laude rerumque Orientalium ac Rituum Nationis tuae praesertim cognitione insignis multis abhinc annis in hac alma Urbe nostra commendatur, quemadmodum per easdem literas expostulas ad te, cui acceptissimum esse non ignoramus, hac etiam in parte gratificaturi Ablegatum nostrum benigne mittimus. In mandatis autem ipsi dedimus, ut plurimam fraternitati tuae in primis et venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis necnon dilectis filiis Clero et Populo Nationis tuae salutem et Benedictionem nostro nomine impertiatur, et quam ardentissimis Apostolicae caritatis studiis te universamque nationem complectamur coram declaret. Ad omnia vero negotia, propter quae accedet rite sancteque expedienda, facultatibus etiam necessariis et opportunis per alias nostras in simili forma Brevis literas eumdem munivimus, ut nihil a Nobis derelictum esse cognoscas quod optatis tuis ad divinam gloriam intentis profuturum existimamus. Per literas etiam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum fusius fraternitati tuae explicabitur quidquid rebus peragendis venerabiles fratres nostri necessarium esse censuerunt. Quoniam autem non in commotione Dominus, sed in pace factus est locus eius, fraternitatem tuam hortamur et rogamus ut, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem in vinculo pacis, in uno spiritu unanimes collaboretis, ut omnia vestra in pace fiant. Quod si rerum tractatio Provincialem omnium et singulorum istius Nationis Archiepiscoporum, Episcoporum et totius Cleri et Monastici Ordinis Synodum requirere videatur, per hasce etiam nostras literas amplam tribuimus facultatem, ut in-

quibus inconcussam eorum in orthodoxâ religione constantiam, filialeque in nos et Sedem Apostolicam obsequium, fidem et devotionem novis luculentisque contestantur argumentis, nobis humiliter exponi fecerunt, nonnulla in ecclesiasticam disciplinam a primaevo eius instituto ac nitore aliena ibidem sensim invecta fuerint, quae per semetipsos corrigere ac ordinare posse non sperant, apostolicam propterea nostram auctoritatem ac providentiam enixis precibus interpellantes, ut te potissimum popularem suum ad illos destinaremus, quippe qui ipsorum Maronitarum aliarumque nationum orientalium indolem, mores, idioma, ritus, ac usus apprime calles, atque opportunis a nobis facultatibus instructus, nostro et huius S. Sedis nomine, et auctoritate una cum iisdem venn. fratribus cuncta prudenter sapienterque componeres, ac collabentem disciplinam in pristinum statum et splendorem restitueres ac revocares: Hinc est, quod nos, qui inclytam Maronitarum nationem, Sedi Apostolicae addictissimam et a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris plurimi semper habitam, peculiari intimoque apostolicae paternaeque caritatis affectu complectimur, piis venn. fratrum praedictorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, Petitioni annuit.

---

dicatur et congregetur in qua unacum antedicto Ablegato nostro, cui potestatem suffragandi concedimus, atque aliis venerabilibus fratribus omnia conferas, consulas ac decernas. Verum quidquid gravioris momenti inciderit, hoc ut ad Nos referatur atque a Nobis decidatur prorsus edicimus et mandamus. Ita enim fore confidimus ut ad divinae gloriae incrementum, ecclesiasticae disciplinae utilitatem, Nationis tuae decus atque nostrum tuumque non leve solatium et fraternitatis tuae vota sollicitudinesque et providentiae nostrae consilia et mandata cedant. Ac tibi, venerabilis frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. novembris MDCCXXXV., pontificatus nostri anno VI.

Eadem ferme scribit ac nunciat Praesulibus Maronitarum (*).

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Nationis Maronitarum.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quae de pastoralibus vestris virtutibus amplissimo episcopali ordine dignis praeclara nobis inerat opinio, mirum in modum confirmata est per literas quae singularis vestrae in nos atque hanc Sanctam B. Petri Apostolorum Principis Sedem observantiae et obedientiae testes, insigne etiam vestrae in ecclesiasticâ disciplinâ per tenebrarum principis insidias sensim collabente ad pristinum statum et splendorem revocanda instaurandaque sollicitudinis ac vigilantiae studium comprobarunt. Nos sane, qui inter ceteras christiani orbis nationes inclytam vestram Maronitarum ob diuturnam constantemque in catholicâ Romanâ fide firmitatem plurimi semper a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris habitam peculiari paternâque caritate prosequimur, nullam pontificiae beneficentiae et auctoritatis nostrae operam a vobis desiderari patimur. Itaque precibus vestris cum ven. fratris Iosephi Petri Patriarchae vestri postulatione coniunctis benigne annuentes, dilecto filio Iosepho Simonio Assemanno, Bibliothecae nostrae Apostolicae Vaticanae Custodi, Praelato nostro domestico, propter probitatem, sapientiam et rerum orientalium et rituum Nationis vestrae potissimum peritiam aliasque egregias dotes nobis apprime commendato, quem vobis carum acceptumque a Nobis isthuc adlegandum enixe flagitatis, ut quamprimum iter ad vos instituat sedulo iniunximus. Ut autem ad res vestras sanctissime peragendas nulla apostolici ministerii nostri deessent subsidia, eundem dilectum filium Ablegatum nostrum iis, per alias nostras in simili formâ Brevis literas, facultatibus necessariis et opportunis donatum et instructum excipietis, ut nihil ad maiorem istius Nationis utilitatem conducens a Nobis omissum esse plane perspiciatis. Quantâ vero ad vobis gratificandum voluptate ducimur; tantâ certe vos alacritate curaturos esse confidimus, ut concordi sedulitate ac pari animorum consensione ea praestetis quae et muneris vestri officium et rei gravitas et vestrae in nos reverentiae ratio et nationis decus et divinae gloriae incrementum a vobis requirunt et expostulant; ex literis quidem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum fusius cognoscetis quae a vobis agenda gerendaque sunt. Quae vero nos ad eumdem ven. fratrem Iosephum Petrum Patriarcham vestrum praescribimus, fraternitatibus vestris etiam nota esse volumus, ut, omnipotentem Deum prae oculis habentes, integerrime adimplere connitamini; nimirum ut omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles pascatis qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum. Eapropter illi demandavimus, ut, si urgens provincialis Synodi indicendae congregandaeque necessitas constiterit, indicatur convoceturque: in qua cum ipsomet Patriarcha Ablegatus noster et fraternitates vestrae assidentes, ceteris vero tam ex Clero quam ex monastico ordine qui alias interesse de more consueverunt minime exclusis, inter vos invicem conferentes consulentesque, ea decernatis quae in Domino magis expedire censueritis. Quod autem gravioris momenti a nobis diiudicandum decidendumque se se forte obtulerit, illius iudicium decretumque nobis reservamus. Pergite porro, venn. fratres, ut hactenus fecistis, eximiam pietatem, sollicitudinem, obedientiam, zelum, sapientiam et caritatem vestram magis pastorum Principi Iesu Christo quam nobis eiusdem in terris vices gerentibus amplius probare, ut non solum pontificiam a nobis gratiam ineatis, sed aeternae quoque retributionis mercedem ab illo bonorum omnium Largitore mereamini, cuius auspicem et pignus apostolicam benedictionem nostram cum plurimâ salute vobis, venn. fratres, per eumdem Ablegatum nostro nomine impertiendam esse cupimus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. novembris MDCCXXXV., pontificatus nostri anno VI.

(*) *Ibid.*

benigne annuere volentes, ac de tuâ fide, integritate, doctrinâ, prudentiâ et religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habentes, de venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te ad eosdem Iosephum Petrum Patriarcham Antiochenum, ac Archiepiscopos et Episcopos nationis Maronitarum, nostrum et dictae S. Sedis Ablegatum, cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, praerogativis, honoribus et oneribus, quibus Ablegati huiusmodi mitti, muniri et decorari solent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus.

Ablegatum concedit.

§ 2. Tibique harum serie iniungimus, ut inprimis paternae nostrae benevolentiae pignus apostolicam benedictionem ipsis Iosepho Petro Patriarchae, Archiepiscopis et Episcopis, nec non dilectis filiis clero saeculari et regulari, ac universis christifidelibus nationis Maronitarum nostro nomine peramanter impertiaris.

Quibus vero iuribus et conditionibus.

§ 3. Deinde te hortamur atque monemus, ut quaecumque ad disciplinae ecclesiasticae in iis partibus conservationem, restaurationem ac incrementum, felicemque progressum pertinere intellexeris, omni ope ac studio cum praedictis Iosepho Petro Patriarchâ ac Archiepiscopis et Episcopis rite recteque statuenda atque ordinanda cures, sin autem ita se occasio tulerit aut res exegerit, ut ad haec salubrius peragenda Synodus provincialis congreganda sit, illam indicendi et celebrandi facultatem concedimus, in qua simul cum iisdem Iosepho Petro Patriarchâ, Archiepiscopis et Episcopis suffragandi tibi potestatem facimus.

§ 4. Ceterum volumus, ac tam ipsis Iosepho Patriarchae, Archiepiscopis et Episcopis, quam tibi, earumdem tenore praesentium praecipimus, ut quidquid gravioris momenti sive in Synodo, sive extra Synodum eiusmodi inciderit, ad nos et Sedem Apostolicam praefatam omnino referatur, illud nobis et Sedi praedictae decidendum expresse reservantes.

§ 5. Mandantes quoque iisdem Iosepho Petro Patriarchae, Archiepiscopis et Episcopis, nec non clero et populo dictae nationis Maronitarum, quatenus te tamquam nostrum ac Sedis Apostolicae Ablegatum suscipiant, tibi in omnibus ad officium huiusmodi pertinentibus assistant, tuaque salubria monita et consilia efficaciter adimplere procurent.

§ 6. Quo vero delato tibi per nos Ablegati praefati munere ad nostrum et eiusdem Sedis Apostolicae honorem fungi valeas, tibi ut decem viros earum regionum nobiles et idoneos ac qualitatibus ad hoc requisitis praeditos auratae militiae Equites auctoritate nostrâ praefatâ faciendi et creandi, illorumque quemlibet militiae istiusmodi Equitum numero et consortio favorabiliter aggregandi, ac iisdem, ut torquem aureum et aurata calcaria gestare, omnibusque privilegiis, gratiis, indultis et praerogativis, quibus alii Equites praefati de iure, usu vel consuetudine uti, potiri et gaudere solent et possunt, ac poterunt in futurum, similiter uti, frui, et gaudere possint, et valeant, (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas) concedendi, facultatem itidem auctoritate et tenore praefatis tribuimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. novembris MDCCXXXV., pontificatus nostri anno VI.

XXVIII.

Confirmat decretum S. Congregationis de P. F. quo tribuitur ecclesiae Capuccinorum Smyrnis degentium ius parochiale, ac nonnulla declarantur quoad eius extensionem (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Alias in Congregatione venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super pluribus dubiis a Vicario Apostolico Smyrnae, inter alia quaesitum fuit an communio paschalis nautarum Gallorum, qui in portu eiusdem reperiuntur, fieri possit indifferenter tam in ecclesiâ fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quam in aliâ aliorum regularium Societatis Iesu, sive in aliâ, aut in primâ tantummodo peragenda sit? emanarunt (2) decretum tenoris qui sequitur videlicet:

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 111.

(2) Supple *Eminentissimi Cardinales* etc.

Decretum S. Congregationis generalis de Propaganda Fide habitae die XXVI. *ianuarii anni* MDCCXXXIII.

Relatis per Eñum et Rñum D. Cardinalem Ioannem Baptistam de Alteriis pluribus dubiis propositis a Vicario Apostolico Smyrnarum, inter alia quaesitum fuit ut sequitur, *nempe* «se la comunione pasquale de' marinari francesi, che si trovano nel porto di Smirne, possa farsi indifferentemente tanto nella chiesa de' PP. Cappuccini, quanto in quella de' PP. Gesuiti, o in altra; oppure debba farsi, per soddisfare al precetto, nella prima solamente come parrocchia», *et Eñi Patres responderunt*: *dentur decreta*: huiusmodi autem decreta sunt sequentia, videlicet: - In Congregatione generali habitâ die XXIII. decembris MDCXXX. referente Rño D. Torniello literas consulis Smyrnae nationis Gallorum de conventu et ecclesiâ pro Capuccinis in eâ urbe aedificatis, eiusdemque consulis instantiam, ut dicta ecclesia parochialis declaretur pro natione Gallicanâ eique adhaerentibus; S. Congregatio, commendatâ iterum pietate praefati consulis, censuit scribendum esse Archiepiscopo Smyrnensi ut, tam suâ quam S. Congregationis auctoritate, dictam ecclesiam Capuccinorum declaret parochialem pro natione Gallicâ, eique adhaerentibus. - In Congregatione generali habita die XX. augusti MDCXL. referente Eño D. Cardinale Spada causam vertentem inter Archiepiscopum Smyrnensem eiusque vicarium generalem ex unâ, et PP. Capuccinos missionarios eiusdem urbis ex alterâ partibus, et rationes hinc inde adductas super iure parochiali, quod praetendunt Capuccini habere ratione ecclesiae seu capellae domini de Puy consulis galli in eâdem urbe, et super censuris a praedicto vicario contra praedictos Capuccinos per viam declarationis promulgatis, tamquam usurpatores iurium parochialium eis eorumque ecclesiae seu capellae non competentium; S. Congregatio visis decretis alias factis circa dictam ecclesiam seu capellam, ac visitatione apostolicâ eiusdem Archiepiscopi, dum esset Episcopus Santorinensis et Visitator Apostolicus Orientis, post maturam deliberationem in primis censuit ecclesiam seu capellam praedictam esse parochialem, et proinde Capuccinos illius curam et usus habere potuisse, et posse sacramenta parochialia Gallis eorumque adhaerentibus Smyrnae commorantibus aut illuc appellentibus administrare. *Ceteris omissis* in congregatione particulari habitâ die XXIX. ianuarii MDCLXVII. super rebus missionum Smyrnae, inter alia proposita et resoluta fuerunt infrascripta dubia, videlicet: quinam sub nomine adhaerentium nationis gallicae intelligi debeant? rescriptum: intelligantur qui adsistunt consiliis, et filii et familiares et domestici, et omnes illi qui sponte sunt eiusdem voluntatis cuius est principalis: an mercatores et nautae itali vel alterius nationis a Galliâ navigantes et mercaturam exercentes sub vexillo et magistratu gallico, ultroque eidem magistratui se submittentes, quoad causas ad forum peculiare spectantes, sed quoad curam animarum et causas ecclesiasticas iuris parochialis nolentes se aliis parochis et parochiae submittere, quam parochiae et parochis nationis italicae, sint cogendi ad submittendum se Capuccinis et ipsorum parochiae nationis Gallorum, an vero relinquendi alteri parochiae Italorum? rescriptum: quoad sacramenta, Gallos eorumque adhaerentes a Capuccinis posse cogi. In Congregatione generali habita die VIII. octobris MDCXCI. rescriptum fuit. «Dominus Secretarius cum P. procuratore generali Capuccinorum, omnino mandet observantiam decreti a Visitatore Apostolico Insularum maris Aegei emanati de anno MDCLXXIX. cuius tenor est qui sequitur: Che per aderenti, famigliari, e domestici della nazione francese espressi nel decreto della S. Congregazione de Propaganda Fide dei XXIX. gennaio MDCLXVII. s'intendano non solamente quelli della casa e famiglia del sig. console di Francia, ma ancora li domestici, familiari e servitori di tutti gli altri francesi, sicchè li PP. Cappuccini possano alli medesimi amministrare li sagramenti parrocchiali, per il tempo però che li detti servitori, benchè di altra nazione, si trovano nella servitù di essi padroni, dalla servitù de' quali licenziandosi, siano e s'intendano subordinati alla parrocchia Veneta.» *V. Cardinalis Petra Praefectus*: *N. Fortiguerra Secretarius: loco* ✝ *sigilli.*

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, frater expresse professus eiusdem Ordinis Capuccinorum ac illarum missionum in partibus infidelium existentium in Romanâ Curiâ procurator, nobis subinde exponi fecit, ipse, quo in posterum pax firmius stabiliatur et novae dissensiones evitentur, decreta huiusmodi, quo firmius subsistant, apostolicae confir-

mationis nostrae patrocinio plurimum desideret; nos specialem ipsi Cherubino gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium literarum consequendi, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus et integros sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. ianuarii MDCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XXIX.

Confirmat decretum Congregationis Epis. et Regular., quo prohibetur in futurum capitulo generali Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Excalceatorum Congregationis Hispaniae et Indiarum, quominus concedat provincialatus honorarios (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Alphonsi a Magdalena, fratris expresse professi ac vicarii generalis congregationis Hispaniae et Indiarum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod pluribus ab hinc annis in eâdem Congregatione abusus conferendi nonnullis religiosis Congregationis praefatae, qui munus ministri provincialis minime exercuerant, gradus, honores, vocem, privilegia et exemptiones, quibus gaudere solebant illi qui provincialatus huiusmodi munere functi fuerunt, cum nomine provincialium honorariorum, irrepserat, totumque id in detrimentum regularis observantiae redundabat, ambitionis causam praebebat, et in religionis ruinam tendebat, inter religiosos invidiam concitabat, necnon in multis dissidia fovebat, videns non esse necessarios labores in religione pro acquirendis illis honoribus et exemptionibus qui de iure solum illis impertiebantur, idque aliarum dissensionum causa fuerat: *Abusus in provinciam Hispaniae et Indiarum invectus provincialis honorarii titulos gradusque concedendi.*

§ 2. Et in eâdem expositione subiuncto quod capitulum generale dictae Congregationis die XX. maii proxime venturi celebrandum erat, ipse Alphonsus praevidebat quod, iuxta abusum praedictum in antecedentibus capitulis introductum, forsan aliqui non deficiant, qui similes gradus, honores et exemptiones ministrorum provincialium, absque eo quod ministri provinciales fuerint, postularent; ideoque pro parte eiusdem Alphonsi praefatae Congregationi Cardinalium supplicato, ut, ad praecludendam ianuam ad tam perniciosas postulationes et ad providendum tot abusibus, tam vicario generali, ac cuicumque alii pro tempore existenti superiori, quam definitoribus ac capitulis provincialibus et generalibus similes gradus et exemptiones conferendi facultatem interdici plurimum cupiebat, et casu, quo illi deinceps contra prohibitionem praefatam eiusmodi gradus *Procurator generalis id interdici supplicat.*

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

conferre auderent, nulli et irriti haberentur: emanavit a praedictâ Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis Episcoporum et Regularium super hoc.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentâ relatione procuratoris generalis super expositis, censuit rescribendum, prout praesentis decreti vigore benigne rescribit, pro prohibitione in futurum capitulo generali concedendi gradus honorarios. Romae, die XVI. decembris MDCCXXXV. — Card. FRANCISCUS BARBERINUS. C. Archiep. Chalcedonensis, secret.

Loco † sigilli.

Confirmatio huiusmodi decreti.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Alphonsus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Alphonso gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

Eiusdem confirmationis firmitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et Congregationis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die IX. ianuarii MDCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XXX.

Confirmat constitutiones et ordinationes in capitulo generali Ordinis fratrum Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus anno MDCCXXX. *in civitate Mexicanâ celebrato pro felici regimine eiusdem Ordinis editarum* (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Crediti nobis caelitus sacrosancti apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quae pro felici religiosorum Ordinum ad exercenda christianae pietatis atque caritatis praesertim erga aegrotos et convalescentes opera, pie sancteque in Ecclesiâ Dei institutorum regimine et progressu provide constituta atque ordinata esse noscuntur, quo firma semper ac illibata persistant, apostolici muniminis, cum a nobis petitur, adiungamus firmitatem.

Fratres Bethlehemitani nonnullas constitutiones efferant.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praefectus ac definitores generales et fratres Ordinis Bethlehemitarum nuncupati in regnis Mexicano ac Peruano reliquisque Indiis Occidentalibus dudum a Sede Apostolicâ instituti, quod ipsi in novissimo eorum capitulo generali anno MDCCXXX. in civitate Mexicanâ celebrato nonnullas novas constitutiones et ordinationes pro salubri ac prosperâ Ordinis ac fratrum praefatorum directione regularique ibidem disciplinae observantiâ, praefati eiusdem Ordinis, qui, ut accepimus, maiora in dies, benedicente Domino, in iis

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

partibus suscipit incrementa, statui convenientes et accommodatas, ac propterea ab ipsius Ordinis constitutionibus aliàs auctoritate apostolicâ confirmatis aliquâ ex parte discrepantes, vel etiam forsan illis adversantes, reservato desuper nostro et dictae Sedis beneplacito, ediderunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

De incorrigibilium expulsione.

I. Imposterum expulsiones fratrum incorrigibilium, quotiescumque casus contigerit, fiant reservatis exacte dispositionibus decretorum felicis recordationis Clementis VIII., Urbani VIII. et Innocentii XII. summorum Pontificum Sanctitatis Vestrae praedecessorum; ipsique pro tempore expulsi certiorari et admoneri debeant, ipsos obstrictos nihilominus remanere votis solemnibus in vim suae regularis professionis emissis, quoad ea tamen quae cum eorum statu compatibilia erunt.

De vice-generalis facultate procedendi contra eosdem.

II. Cum maxima, ut notum est, inter utriusque regni conventus distantia, et rara admodum atque difficillima ab uno ad alterum sit transfretatio: vicegeneralis pro tempore illius regni, in quo praefectus generalis non residet, contra incorrigibiles aliosque delinquentes super quibuscumque excessibus procedere, eosque carcerare, processus compilare, et, ita exigentibus eorum criminibus, ex capite incorrigibilitatis eiicere possit et valeat, cum eisdem facultatibus quas habet ipsemet praefectus generalis totius Ordinis, servatis tamen decretis et constitutionibus apostolicis supra enunciatis, nec eius assensum et facultatem expectare teneatur, ne inquisiti nimis diuturno carceri subiiciantur. Utque in re tanti momenti rite recteque procedatur, iuxta praefata apostolica decreta in singulis capitulis generalibus duodecim ex gravioribus religiosis eligi omnino debeant, sex videlicet pro regno Novae Hispaniae, totidemque pro Peruano, de quorum consilio et assensu, tam a praefato generali in regno in quo resederit, quam in altero a vice-praefecto generali, ad incorrigibilium expulsionem deveniatur. Quoties vero tempore intermedio inter unum et alterum capitulum generale aliquem sive aliquos ex memoratis duodecim religiosis ab hac vitâ migrare, vel ultra tres dietas absentes vel legitime impeditos reperiri contingat, tunc praefectus generalis in regno in quo residet, et in altero vicegeneralis, alium vel alios in deficientium locum, unusquisque cum voto propriorum respective assistentium, ad eumdem effectum assumere et subrogare possit et debeat.

De vocalibus capituli generalis.

III. In celebratione capitulorum generalium pro electione praefecti generalis concurrere debeant personaliter vel per procuratorem omnes illi vocales qui in constitutionibus Ordinis, cap. IX., § 5, sunt designati, eo modo et formâ quibus in dictis constitutionibus et litteris apostolicis desuper emanatis praescribitur, dummodo praefecti et antiquiores discreti conventuum nunc existentium et imposterum aedificandorum sint illarum domorum sive conventuum, qui prius a praefecto generali cum suo definitorio declarati fuerint conventus formales; nec tales declarari possint, nisi in eis continuo manuteneantur saltem octo religiosi professi, computatis etiam tertiariis professis, vulgo *donatis*. Praefati omnes vocem habeant activam et passivam, discreti vero et novitiorum magistri, qui sacerdotes fuerint, activam tantum.

Incompatibilitas officiorum.

IV. Nedum assistentium generalium munus, verum etiam assistentium cuiuslibet provinciae semper et quandocumque sit incompatibile tam cum officio secretarii generalis quam cum officio praefecti cuiuscumque conventus, et e converso ista cum illis; et, si aliquando evenerit, religiosum, aliquo ex praedictis officiis iam fruentem, ad alterum promoveri, tunc officium sive munus, quod prius obtinebat, vacet eo ipso, illudque sic vacans, alteri religioso professo, qui ad id sufficienter idoneus repertus fuerit, conferatur. Quod si religiosus ad secundum munus promotus, illud acceptare noluerit, praefectus generalis cum suo definitorio generali causas recusationis diligenter scrutetur, compertisque nullius aut levis momenti, ad munus subeundum eumdem religiosum compellat: si vero iustae et legitimae reperiantur, tunc in officio quod administrabat, quatenus id utile religioni fuerit, usque ad tempus praefinitum perseveret. Denique, quia iuxta disposita in constitutione cap. IX., § 9, assistentes provinciae illius regni, in quo praefectus generalis residet, proprium munus exercere nequeunt; idcirco tunc temporis possint eligi in superiores locales hospitalium, et in illis etiam exercere alia officia conventualia durante ipsius praefecti generalis residentiâ. Istâ vero cessante, eoque ab uno ad alterum regnum se transferente, uni aut alteri officio renunciare teneantur, nec utraque simul retinere praesumant.

De renunciatione officiorum et subrogatione ad illa.

v. Quotiescumque unus aut plures ex assistentibus generalibus suo officio iustis ac legitimis de causis per generalem eiusque definitorium, ut supra, recognoscendis et approbandis, renunciaverit, aut ab humanis discesserit, tunc idem generalis unà quoque cum ipsius definitorio eligat aut substituat alium aut alios religiosos in illius seu illorum officiis, quemadmodum Ordinis constitutio praescribit. Si vero, qui dicta officia renunciavit, sit ex assistentibus provinciae illius regni, in quo generalis non residet, tunc poterunt vicegeneralis et eiusdem provinciae assistentes, perpensis prius ac rite examinatis ut supra causis renunciationis, illam reiicere vel admittere, prout iustitia postulabit. Sic pariter, si aliquis aut aliqui decesserint, ne religio ullum patiatur detrimentum, alterum religiosum sive alios pro interim deputare seu subrogare, ita tamen ut eodem tempore de dictâ renunciatione et causis, nec non de respectivâ alterius religiosi deputatione sive renunciantis confirmatione ab eis provisionaliter factâ, certiorem reddere teneantur praefectum generalem, ad quem unà cum suis assistentibus generalibus spectet tam praefatae renunciationis, quam provincialis subrogationis sive confirmationis in officio approbatio et confirmatio; atque ideo si compererint causas huiusmodi renunciationis nullatenus verificari neque subsistere, tunc, etiamsi a vicegenerali cum eiusdem provinciae assistentibus dicta renunciatio approbata fuisset, illam reiicere et ad officii exercitium etiam reluctantem adigere, ac similiter deputationem et subrogationem provisionaliter factam in casu mortis, quoties iustum id esse cognoverint, reprobare possint ac valeant.

Ac in assistentem qui eligi non possint.

vi. Nullus in assistentem generalem eligatur, nisi prius vel assistentis provinciae vel secretarii generalis munus per triennium exercuerit, vel per consimile tempus magister novitiorum vel praefectus aut vicepraefectus, sive praesidens cuiusvis conventus, domus vel hospitii fuerit, sacerdotibus tamen semper exclusis.

Dotes eligendi in generalem.

vii. Quamvis in constitutionibus Ordinis cap. ix., § 8, expresse disponatur, quod eligendus in generalem inter cetera requisita illud etiam habere debeat, quod ad minus bis aliquod ex religionis hospitalibus gubernaverit; nihilominus, ut omnis dubietas de medio tollatur, quae magis idonei electionem aut retardet aut impediat, huiusmodi requisito pollere censeantur omnes et singuli religiosi qui duabus saltem vicibus exercuerint officium praefecti, aut unâ praefecti, alterâ praesidentis, sive unâ praefecti vel praesidentis, alterâ vero secretarii generalis, vel assistentis provinciae (sacerdotibus semper exclusis), dummodo in unoquoque ex praefatis officiis triennium expleverint.

De magistris novitiorum eligendis.

viii. Cum, experientiâ teste, aliquando haud facile sit religiosos invenire qui officium praefecti exercuerint et ceteroquin aliis omnibus requisitis ac qualitatibus praediti sint, ut in novitiorum magistros, quemadmodum constitutio praecipit, eligi possint: hinc, ne huiusmodi difficultas huic electioni officiat, a qua cetera pendere dici potest, praefectus generalis unâ cum suo definitorio plenam habeat imposterum facultatem eligendi ac nominandi in novitiorum magistrum quemcumque dicti Ordinis religiosum qui morum probitate ac gravitate commendetur et ad huiusmodi officium aptum esse atque idoneum in Domino comperiatur, quamvis memorato requisito praefecti careat; isque nihilominus, cum huiusmodi munus magistri novitiorum per triennium exercuerit, in capitulis generalibus vocem habeat tam activam quam passivam; si vero sacerdos, activam tantum.

In omnibus electionibus requiritur maior votorum pars.

ix. In omnibus electionibus, is, in quem concurrat maior pars votorum ultra medietatem eligentium, censeatur canonice electus, et electio legitima pronunciabitur; quod si electus inter vocales connumeretur, eius votum sive schedula a scrutatoribus omnino recognosci debeat; compertoque sibimet suffragium dedisse, cum huiusmodi electio sit ipso iure nulla, ad novam deveniatur electionem, quamvis omnia vota in eum convenissent, ac ipse pro illâ vice ineligibilis prorsus evadat.

Nemo gaudet voce activâ et passivâ nisi post triennium ab emissâ professione.

x. Nullus sive novitiorum sive ex religiosis professis voce activâ aut passivâ pro quocumque officio gaudere possit, nisi post elapsum triennium a solemnis professionis emissione; neque praefectus generalis nec definitorium generale ullo modo in hoc dispensare valeant vel praesumant.

De intimationibus pro capitulis generalibus.

xi. Intimatio personalis convocatoria ad effectum accedendi et respective suffragandi in futuris capitulis generalibus, transmitti debeat per annum saltem ante illorum celebrationem unicuique ex praefectis localibus, primis discretis et novitiorum magistris utriusque regni, qui in suis respective conventibus propria officia actu exercebunt. Quod si ad eosdem, et praecipue

ad ultramarinos, quibus facilius id accidere poterit, vel nullatenus, vel tamdiu ante intimatio non pervenerit, se se pro intimatis et convocatis haberi debent. Illi autem pro veris vocalibus habeantur et sint, qui de tempore convocatoriae praefata munera exerceant, licet ipsis fuissent iam deputati successores, vel isti, de tempore quo capitulum celebrabitur, suorum munerum iam fuerint possessionem adepti, atque ideo ab officio cessaverint, vel propter triennii lapsum sive aliâ de causâ, non tamen privationis vel depositionis; in hoc quippe casu ad capitulum generale dicti successores accedent; similiter religiosi qui sub nomine et titulo praesidentis a vice-praefecto generali illius regni in quo generalis unâ residet cum suis assistentibus fuissent provisionaliter destinati, et de tempore intimationis reperirentur in actuali regimine conventuum, eorum scilicet qui formales nuncupantur, ipsi ius habeant accedendi ad capitulum tamquam veri vocales vice et loco praefectorum, dummodo tamen isti tunc temporis ad suos conventus non accesserint, neque realem et actualem proprii officii possessionem apprehenderint.

Capitula generalia celebranda in civitate Guatemalâ.

XII. Cum conventus civitatis Guatemalae proximior ceteris et pro accessu et recessu vocalibus utriusque regni commodior sit atque prima domus et matrix totius Bethlehemiticae religionis, in eo perpetuis futuris temporibus capitula generalia celebrentur, et in hisce maior infirmarius eiusdem conventus sive hospitalarius pro tempore suffragium habeat; et firma ceteroquin ac in suo robore subsistant contenta in constitutionibus Ordinis cap. IX., § 14 super alternativâ eligendi primos et secundos assistentes generales utriusque regni, ut apud praefectum generalem religiosi continuo et ubique adstent qui de statu, usibus et moribus eorumdem regnorum sint sufficienter instructi.

Quid praestandum quando absens in generalem eligitur.

XIII. Quotiescumque canonice in praefectum generalem eligatur absens, tunc, ne ob magnam locorum distantiam religio in suo regimine aliquod patiatur dispendium aut detrimentum, praedecessor praefectus generalis, sive vicarius generalis, qui, iuxta litteras apostolicas in formâ Brevis sanctae memoriae Benedicti XIII. sub datum IX. aprilis MDCCXXVIII., capitulo praefuit, in religionis regimine, nedum tanquam vicarius, sicuti in constitutione cap. IX., § 5 disponitur, continuet unâ cum assistentibus generalibus in eodem capitulo generali electis, sed et ab ipso capitulo, antequam dissolvetur, tres alii religiosi per secreta suffragia eligantur, qui in eodem conventu de Guatemala commorentur, donec acceptationis electi nuncius pervenerit. Si autem electioni de se factae iste expresse renunciaret, vel interim decederet, ad novam praefecti generalis electionem deveniatur cum solis votis ipsius vicarii, quatuor assistentium generalium, secretarii generalis eiusdem capituli, et dictorum trium religiosorum. Quod si tunc unus vel plures ex praefatis electoribus ultra tres dietas abessent, vel se huiusmodi munere abdicassent, aut abiissent, in deficientium locum subrogati censeantur religiosi antiquiores iuxta antianitatem professionis qui tunc in dicto conventu aderunt, sive conventuales fuerint, sive interpolatim residentes, dummodo nullum patiantur canonicum impedimentum. Ita pariter si obitus praedicti vicarii vel secretarii generalis acciderit, memorati vocales, assumptis eodem modo ac formâ vocalibus deficientibus e domo praedictâ, novum vicarium novumque secretarium generalem eligant, ut nunquam desint vocales pro novo praefecto generali eligendo. Postremo, eveniente obitu aut renunciatione vel depositione praefecti generalis perdurante novennio sui regiminis, diligenter et exacte serventur disposita per antedictas litteras apostolicas sanctae memoriae Benedicti XIII.

Pro uno regno generalis praefectus, pro alio vicegeneralis eligendus.

XIV. Praefecto generali in regno Peruano commorante, vice-praefectus generalis ab ipso unâ cum suo definitorio ex religiosis regni Novae Hispaniae, et viceversâ in regno Novae Hispaniae residente, vice-praefectus generalis ex religiosis regni Peruani, qui tamen non sint praefecti, per secreta suffragia eligantur, quibus suas ipse vices committere debeat, prout in constitutionis cap. IX., § 9 statuitur, atque in dictâ iurisdictione non amplius duret quam per quadriennium cum dimidiâ anni parte tantum a die captae ab eo possessionis computandum, nec in eodem officio pro quadriennio immediate sequenti confirmari quoquo modo possit; quadriennio autem ut supra cum dimidio anni integre expleto, si contigerit alium in regno, ubi generalis non residet, vice-praefectum generalem, qui eius vices substineat, non fuisse destinatum, sive propter novae electionis dilationem, sive ob electi decessum, illuc debito tempore non pervenisse, tunc pro interim assumat, dictique generalis, durante

necessitate, vices exerceat praefectus pro tempore conventus S. Francisci Xaverii civitatis Mexicanae et respective B. Mariae Virginis de Monte Carmelo civitatis Limae; et, si praefectus ut supra subrogatus interim quoque periret, tunc in officio vicegeneralis definitorium provinciae suffectum esse censeatur.

Quis provinciam regere debeat, vice-generali et generali absentibus.

xv. Vice-generales, qui huiusmodi officio eo tempore quo capitulum generale celebrabitur exercent, vel intra quadriennium sui officii aliquandiu exercuerunt, in eodem suffragium habeant, quamvis alteruter vel uterque, ob annalem, vel biennalem, aut aliam maiorem residentiam et moram generalis in alterutro respective regno, ab illius exercitio, quemadmodum Ordinis constitutio cap. ix., § 9 disponit, destiterit. Quoties autem vice-generalis unius vel alterius regni ubi generalis non residet ob legitimam causam abesse contingat, ne religio, durante huiusmodi absentiâ, careat superiore, deputetur per generalem eiusque definitorium loco dicti vice-generalis alius religiosus qui pro interim gubernio ac regimini incumbat. Et si litterae patentes congruo tempore ante illius discessum non pervenissent, gubernium sit penes eiusdem regni seu provinciae definitorium.

Ad quem spectet fratrum admissio et translatio.

xvi. Imposterum ad generalem in regno ubi residet, in altero vero ad vice-generalem privative spectet religiosorum numerum augere vel imminuere, eos mutare ac transferre de uno ad alterum hospitale, iuxta opportunitatem seu necessitatem conventuum atque locorum: ad ipsos etiam pertineat tempore visitationis computare, cognoscere, rationem exigere, omniaque et singula praecipere et providere, durante dictâ visitatione, quae tam pro bono regimine hospitalium, quam pro spirituali ac temporali consolatione infirmorum et religiosorum, qui illorum curam gerunt, necessaria esse, sive iuxta proprias conscientias in Domino expedire censuerint.

De transitu tertiariorum vel donatorum ad professionem.

xvii. Qui ad habitum religiosum cucullatum ob aliquod impedimentum seu legitimam causam admitti non possunt, vel tantum recipiuntur uti simplices tertiarii, vulgo *donati,* si deinde ipsorum aliqui perpetuo in religione vivere optarent et solemnem professionem emittere, postquam per biennium saltem tamquam donati inservierint, possint per praefectos conventuum unâ cum discretis seu gravibus ac prudentibus religiosis proponi praefecto generali eiusque assistentibus, quibus plena et sincera insimul transmittatur informatio super eorum vitâ et moribus; obtentâque licentiâ in scriptis ab eodem praefecto generali eiusque definitorio, ac praemisso anno novitiatus cum clausurâ, servatisque omnibus aliis requisitis, quae cuilibet novitio facienda, gerenda et servanda sunt, admittantur ad professionem sub qualitate et nomine tertiariorum sive donatorum: cucullam nunquam deferant, voce activâ et passivâ perpetuo careant, et solummodo addicti sint illis exercitiis et officiis, quae ipsorum statui conveniunt, sacristiae videlicet, eleemosynarum perquisitioni, horti, coquinae, refectorii, aliisque huiusmodi quae unicuique prudenter et opportune distribuentur; de hisce autem ante et tempore novitiatus ac immediate ante professionem certiorari debeant ac plene edoceri, ut probe sciant omnia et singula, ad quae obligantur et servare tenentur, neve ullo unquam tempore quidquam pro nullitate professionis allegare audeant vel praesumant.

Capitula generalia quolibet cogenda novennio, datâ generali facultate proximum differendi ad alium annum.

xviii. Capitulum generale de novennio in novennium, iuxta antedictas litteras apostolicas sanctae memoriae Benedicti XIII. die iv. maii mdccxxv. signatas, celebretur. Quia tamen evenire posset, praesentes declarationes, ordinationes et statuta, ob longum nimis ab Urbe ad praefata regna iter, opportuno tempore ante proximi futuri capituli celebrationem non pervenire, neque (ob perdifficilem transfretationem atque raro admodum contingentem ab uno ad alterum regnum, ut dictum est, transfretationis occasionem) ad omnium vocalium notitiam deduci posse: hinc, ad evitandas perturbationes et controversias quae oriri inde possent, praefectus generalis illud ad annum tantum prorogare valeat, si ita pro bono religionis necessarium fore aut expedire cognoscat, dummado, ex novem, octo saltem suffragia, ab eodem praefecto generali, assistentibus generalibus, aliisque qui in litteris apostolicis diei xxvii. maii mdccxxxii. pro electionibus praefectorum designantur, secreto praestanda, concurrant: iidem autem vocales ad capitulum ita prorogatum accedant, qui nullâ factâ prorogatione accessissent; et, si eorum aliqui tunc temporis legitimo detineantur impedimento, subrogentur alii, ut supra num. iii. et xi. statutum est. Cumque non tam facile a praefatis regnis ad Apostolicam Sedem recursus haberi queat, ubi iusta ac urgens causa intercedat, imposterum etiam capitula generalia, eodem tamen pror-

sus modo concurrentibus octo ex novem praedictis suffragiis, nec unquam ultra annum, prorogari possint.

Resolutio dubiorum in regulâ ad quem pertineat.

XIX. Ad evitandas quascumque lites, cognitio dubiorum quorumcumque, tam circa praemissa quam reliquas Ordinis constitutiones, quae forsan imposterum oriri vel excitari poterunt, eorumque interpretatio, resolutio et respective declaratio (dummodo ipsis constitutionibus, Bullis apostolicis, sacris canonibus et decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur), ac plenaria executio, ad praefectum generalem eiusque definitorium pro tempore privative pertineant.

Petita huiusmodi constitutionum confirmatio.

§ 2. Quare ipsi exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Ludovici Episcopi Albanensis S. R. E. Cardinalis Pici nuncupati, supradicti Ordinis apud nos et Sedem praedictam protectoris, qui iussu nostro constitutiones et ordinationes huiusmodi mature diligenterque examinavit, nobis super praemissis factâ, constitutiones et ordinationes praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac quoscumque iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, praetendi ac censeri possent, supplemus et sanamus, ipsarumque constitutionum et ordinationum exactam ac inviolabilem observantiam omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, auctoritate et tenore praefatis praecipimus et demandamus.

Eiusdem perpetua validitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis quos concernunt, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, illiusque hospitalium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium literarum transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. februarii MDCCXXXVI., pontif. nostri anno VI.

XXXI.

Confirmat regulas et constitutiones Congregationis seu Collegii sub titulo Sacrae Familiae Iesu Christi *pro educatione alumnorum Sinensium et Indorum erecti extra muros civitatis Neapolitanae* (1).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut illis quae pro felici con-

(1) Ex originali serv. in Tabulario eiusdem collegii.

gregationum presbyterorum seu collegiorum, in quibus iuvenes ad christianam fidem catholicamque religionem in remotissimis etiam partibus praedicandam et propagandam atque ad ecclesiastica munia opportune instituantur, directione ac progressu prudenter constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis nostri praesidium libenter adiungamus.

Aliàs institutum huiusmodi a Pontifice approbatum.

§ 1. Aliàs siquidem per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras sub certis modo et formâ tunc expressis approbavimus et confirmavimus fundationem cuiusdam piae Congregationis presbytororum saecularium, seu collegii sub titulo *Sacrae Familiae Iesu Christi* extra muros civitatis Neapolitanae positi, cuius praecipuum institutum est educare alumnos Sinenses et Indos, qui ex iis regionibus advenerint pro addiscendis catholicae fidei praeceptis, amplectendo statu sacerdotali, ac se se parandis ad annunciandum in eorum patriâ Christi Evangelium, ita tamen quod in idem collegium admitti quoque possent alii ex quacumque Europae parte existentes, qui inibi propriis sumptibus ali et sustentari vellent, ad hoc ut ad sacerdotium eiusmodi suscipiendum, sacrasque missiones obeundas rite instruerentur, ac habiles et idonei redderentur; et aliàs, prout in praedictis litteris nostris die VII. aprilis MDCCXXXII. desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

A fundatore conditae regulae.

§ 2. Et, sicut accepimus, antequam litterae nostrae praefatae emanarent, dilectus filius Matthaeus Ripa, ipsius Congregationis seu collegii fundator, regulas et constitutiones pro salubri prosperoque eiusdem Congregationis seu collegii personarumque ibidem pro tempore degentium regimine et gubernio iam compilaverat, atque exhiberi curaverat Congregationi particulari nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Propagandae Fidei huiusmodi negotiis praepositorum super rebus Sinarum a nobis deputatorum, ut illarum approbationem obtineret.

Eaedem a Congregatione de Propagandâ Fide approbatae.

§ 3. Quae cum die V. aprilis MDCCXXXI. dictarum regularum et constitutionum inspectionem et examen commisisset venerabili fratri Ludovico Albanensi Pico ac dilecto filio nostris Vincentio eiusdem S. R. E. Cardinalibus Petra respective nuncupatis Congregationis dictorum Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum praefecto, ipsi Ludovicus Episcopus ac Vincentius Cardinalis, visis per eos et mature perpensis regulis ac constitutionibus praefatis, censuerunt nihil obstare quin praedicta Congregatio particularis Cardinalium nobis pro earum approbatione consulere posset.

Sequuntur praedictae regulae.

§ 4. Quarum quidem regularum ac constitutionum tenor est qui sequitur, videlicet:

Regole e Costituzioni della Congregazione e Collegio della Sacra Famiglia di Gesù Cristo (1).

Eaedem approbatae a Congregatione de Propagandâ Fide, approbantur a Pontifice.

§ 5. Hinc est quod nos, inviolabili constitutionum seu regularum huiusmodi robori et efficaciae providere volentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis rebus Propagandae Fidei praepositae, qui iussu nostro ipsas constitutiones seu regulas accurate viderunt et perpenderunt, consilio, easdem praeinsertas constitutiones seu regulas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque irrefragabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac quoscumque iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Praesentis constitutionis firmitas.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras ac constitututiones seu regulas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

(1) Pro brevitatis gratia regulas non transcribimus; possunt videri in Bull. de Prop. Fide vol. II., pag. 116, et in Bull. Rom. edit. taurin. vol. XXIV., pag. 122.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradicti collegii seu seminarii, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis danda fides.

§ 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. aprilis MDCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XXXII.

Innovat decreta praedecessorum prohibentia, ne Graecis cuiuscumque status et conditionis sub quocumque praetextu pecunias quaerere permittatur; simulque praecipit omnibus Ecclesiae Praesulibus, ut eis adimant literas patentes quas praeseferant, et pecunias quas congesserint, utrasque ad S. Congregationem mittendas (1).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Decretum Innocentii XI., quo Graecis interdicitur eleemosynas quaestuare.

§ 1. Dudum emanavit a fel. rec. Innocentio PP. XI. praedecessore nostro in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum coram ipso Innocentio praedecessore habitâ decretum typis subinde impressum ac evulgatum tenoris qui sequitur, videlicet:

Die XXIX. Ianuarii MDCLXXVII.

In Congregatione generali de Propagandâ Fide habitâ in Palatio apostolico coram SSmo D. N. Innocentio Papa XI. ac Emis et Rmis Cardinalibus eiusdem S. Congregationis.

Decretum, ne permittatur Graecis cuiuscumque status et conditionis etc. pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas petere.

Cum sancta Loca Hierosolymitana, in quibus Verbum caro factum est et nostrae reparationis mysteria, Deo miserante, completa sunt, hactenus administrationi et custodiae S. Francisci de Observantiâ a S. Sede Apostolicâ commissa, nuperrimis hisce diebus a Graecis schismaticis, subornatis aulae Turcicae ministris, de manu dictorum fratrum S. Francisci summo Latinorum dedecore usurpata sint, iis praecipue subsidiis, quae ex fidelium christianorum eleemosynis iidem Graeci perceperunt; ut huic sceleri modus imponatur, neve ex fidelium pietate schismaticis et perpetuis Ecclesiae Romanae hostibus aditus ad novas cumulandas iniurias aperiatur, SSmus D. N. Innocentius PP. XI. suorum praedecessorum summorum Pontificum vestigiis inhaerendo, etiam de consilio et voto Emorum et Rmorum DD. S. R. E. Cardinalium Congregationi de Fide Propagandâ praepositorum, omnibus et quibuscumque S. R. E. Cardinalibus a latere Legatis, Nuntiis Apostolicis, Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, caeterisque omnibus Ordinariis de utroque clero seculari et regulari ecclesiasticam iurisdictionem tam ordinariam quam delegatam in iurisdictionibus, sive suis dioecesibus respective exercentibus, in virtute sanctae obedientiae iniungit atque inhibet, ne de cetero quibuscumque Graecis tam secularibus quam ecclesiasticis, etiam regularibus quacumque dignitate quamvis abbatiali seu archimandritiali, episcopali, metropoliticâ, archiepiscopali, sive patriarchali fulgentibus, tacite vel expresse sub quocumque praetexu permittant pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas a fidelibus petere, etiamsi de eorum unione cum Ecclesiâ Latinâ per abiurationem schismatis et fidei Catholicae professionem in manibus Episcoporum vel Inquisitorum contra haereticam pravitatem literis testimonialibus docuerint, vel

(1) Ex Bull. de Prop. Fide vol. II., pag. 208, coll. etc.

per alios Episcopos et locorum Ordinarios similis quaestuationis facultates in scriptis acceperint, vel ad fidem de novo conversi aliorum schismaticorum iram et insidias effugere conati sint, vel ad effectum reparandi ecclesias ab infidelibus dirutas, et non obstantibus aliis quibuscumque praetextibus et causis: immo potius omnes et singulas literas patentales a quocumque praesule, etiam speciali notâ digno, et a tribunalibus Curiae Romanae et eiusdem S. Congregationis de Fide Propagandâ (dummodo contentis in praesenti decreto specialiter et expresse non fuerit derogatum cum posteriori datâ), statim ac in eorum Ordinariorum manus pervenerint, ad S. de Fide Propagandâ Congregationem transmittant. Et ne contra praemissorum omnium observantiam allegari possit futuris temporibus ignorantia, eadem Sanctitas Sua de consilio eorumdem S. R. E. Cardinalium voluit, ut huic decreto, aut etiam literis ad eius formam expeditis seu expediendis, sive scriptis sive impressis ab eiusdem tamen S. Congregationis Praefecto signatis, sigilloque solito munitis, fides eadem adhibeatur, quae ipsis originalibus praestaretur, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae die IV. februarii MDCLXXVII.: P. Cardinalis de Alteriis Praefectus. Loco ✝ Sigilli. V. Cerrus Secretarius.

Decretum hoc confirmavit Alexander VIII.

§ 2. Ac postmodum re. me. Alexander Papa VIII. praedecessor etiam noster supplicationibus pro parte tunc pariter existentis Bernardi Iosephi a Iesu Mariâ fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Orservantiâ, Reformatorum nuncupatorum, ac commissarii et procuratoris generalis in Romanâ Curiâ Terrae Sanctae, sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, per suas in simili formâ Brevis die XXI. octobris MDCXC. expeditas literas idem decretum, toto illius tenore inserto, approbavit et confirmavit, ac alius prout in Alexandri praedecessoris literis praefatis uberius continetur.

Iterum confirmat Clemens.

§ 3. Cum autem ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, non deesse hisce etiam temporibus Graecos schismaticos, qui subdolis artibus ac ementitis praetextibus christifidelium pietatem circumvenientes in diversis catholicis regionibus pecunias quaestuare seu eleemosynas colligere praesumunt, iisque ad eorum schisma confovendum erroresque pertinacius retinendos, nec non ad ipsius verae fidei et catholicorum perniciem contra eorumdem fidelium mentem ac intentionem nequiter abutuntur; hinc est, quod nos firmiori decreti et literarum praefatarum executioni et observationi, quantum cum Domino possumus, prospicere, simulque damnatas quaestuationes seu eleemosynarum collectas huiusmodi impedire ac proscribere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertum decretum ab Innocentio emanatum, praefatasque literas super eiusdem decreti approbatione et confirmatione ab Alexandro praedecessoribus editas, sicut praemittitur, cum omnibus et singulis in eis respective cuntentis harum serie approbamus quoque et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiungimus.

Quibuscumque Legatis et Nunciis Apostolicis ac Ecclesiarum Praelatis committitur, Graecis non solum litteras ad quaestuationem spectantes, sed etiam pecunias quaesitas adimere.

§ 4. Praeterea eisdem S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, dictaeque Sedis Nunciis, Abbatibus ac locorum Ordinariis quibuscumque, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis nostro ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio reservatis, motu, scientiâ ac potestatis plenitudine paribus tenore praesentium praecipimus et mandamus, ut non solum omnes et singulas literas, patentes, facultates, licentias, scripturas et documenta quaestuationem seu collectam eleemosynarum huiusmodi quoquomodo concernentia, quae Graecos praefatos habere ac circumferre compererint, sibi tradi ac consignari faciant et ad memoratam Congregationem Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum transmittant, ut praefertur, verum omnem quoque pecuniam seu eleemosynas, quas eosdem Graecos ex enarratâ quaestuatione sive collectâ eleemosynarum accepisse deprehenderint, sive penes ipsos Graecos, sive penes alias cuiuscumque gradus, status et conditionis personas, etiam in formâ depositi, extiterint, statim sequestro supponant ac, quanto citius fieri poterit, mitti pariter curent ad supradictam Congregationem Cardinalium, a quâ postmodum pecunia seu eleemosynae praefatae in commodum et utilitatem propagationis eiusdem fidei catholicae iuxta ipsius Congregationis morem et institutum, et non in alios usus, integre convertantur et erogentur.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros

effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae Cardinales etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque dignitate et potestate fungentes et functuros; sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse ac plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem, ut ipsorum praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam, Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVI. martii MDCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XXXIII.

Approbat Regulas propositas ad regendum Collegium ritus graeci, Corsini *nuncupatum, ab ipso Pontifice in oppido Ullani Bisianen. dioecesis erectum* (1).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere ea, quae pro felici collegiorum seu seminariorum quorumcumque ad rectam iuvenum educationem ac institutionem recenter erectorum regimine provide statuta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper ac inviolabilia persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter constabilimus.

Pro collegio Italo-Graecorum efformatae Regulae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, pro salubri Collegii seu seminarii Italo-graecorum Albanensium, quod nuper in oppido S. Benedicti de Ullano Bisinianensis dioecesis instituimus, a gentis nostrae nomine *Corsini* nuncupati, gubernio prosperâque illius alumnorum nunc et pro tempore existentium in viâ mandatorum Domini directione, diversae Constitutiones seu Regulae conditae ac praescriptae fuerint tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor Regularum.

Costituzioni, o Regole da osservarsi dagli alunni del Collegio Pontificio Corsini di S. Benedetto de Ullano (2).

Eaedem approbatae a Congregatione de Propaganda Fide.

§ 2. Hinc est quod nos, inviolabili Constitutionum seu Regularum huiusmodi robori et efficaciae providere volentes, de nonnullorum ex venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis rebus Propagandae Fidei praepositae, qui iussu nostro ipsas Constitutiones seu Regulas accurate viderunt et perpenderunt, consilio, easdem praeinsertas Constitutiones seu Regulas cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque irrefragabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac quoscumque

Confirmantur a Pontifice.

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 211, coll. etc.

(2) Eâdem ratione, qua ceteras, has praetermittimus regulas. Eas vide in loco cit. B. P. de P. F.

iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Praesentis Constitutionis firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas ac Constitutiones seu Regulas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, supradicti collegii seu seminarii aliisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis danda fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVI. aprilis MDCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XXXIV.

Indulgentias a se aliisque Romanis Pontificibus concessas catechismum docentibus vel adultis illum discentibus in Italiâ extendit ad orbem universum (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, debitum exigit, ut ad ea potissimum curam et solicitudinem nostram intendamus, quae ad augendam fidelium religionem et animarum salutem in primis conducere in Domino conspicimus.

Hic Pontifex Indulgentias doctrinam christianam edocentibus, et addiscentibus in Urbe concessas, ad Italiam, Insulasque adiacentes extendit.

§ 1. Aliàs siquidem uberes fructus ac spiritualium christifidelium aedificationem, quae ex assiduo usu et explicatione catechismi sive doctrinae christianae provenire noscebantur, paternae dirigentes considerationis nostrae intuitum, diversas ordinationes a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad promovendum hoc pium fidelique populo adeo necessarium opus, quo ille fidei catholicae rudimentis ac mysteriis christianisque virtutibus instruitur, salubriter editas, per edictum die XV. novembris MDCCXXX. iussu nostro promulgatum confirmavimus ac etiam ampliavimus, et subinde christifideles tam almae Urbis nostrae, quam universae Italiae ac Insularum adiacentium pro tempore existentes, ut operae huiusmodi ferventius incumberent excitare volentes, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quae a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus quoque nostris praefatum catechismum seu doctrinam christianam iuxta decreta Concilii Tridentini in ecclesiis et oratoriis pueros docentibus, aut eidem, dum traditur, interessentibus, eatenus concessa reperiebantur, ad adultos Urbis, Italiae, et Insularum praedictarum ipsi catechismo seu Doctrinae christianae interessentes extendimus.

Alias superaddidit Indulgentias.

§ 2. Praeterea eisdem adultis, qui vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti eiusmodi pio exercitio devote intervenirent, qua vice id agerent, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxavimus; qui vero illud assidue frequentarent, eumdem catechismum doctrinamve christianam docentes vel addiscentes, ac vere similiter poenitentes et confessi sacrâque communione refecti pro christianorum principum concordiâ, haeresum extir-

---

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 223, coll. etc.

patione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effunderent, in Nativitatis D. N. Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis Dominicae, nec non SS. Petri et Pauli Apostolorum festis diebus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessimus, et alias prout in nostris in pari formâ Brevis die XXVII. iunii MDCCXXXV. desuper expeditis literis, quas perpetuis futuris temporibus valere statuimus, quarumque tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Huiusmodi concessiones extra Italiam extendit.

§ 3. Nunc autem nos memorati catechismi etc., doctrinae christianae usum et frequentiam tantopere commendabilem ac salutarem, ne fideles circumferantur tanquam parvuli fluctuantes omni vento doctrinae, sed firmo fidei fundamento adhaerentes coaedificentur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto, ubique locorum ac gentium propagari, magisque in dies augeri enixe cupientes, supplicationibus etiam plurimorum ex venn. fratribus Archiepiscopis et Episcopis extra Italiam huiusmodi existentibus, nec non dilectorum filiorum officialium et confratrum archiconfraternitatis Doctrinae Christianae in Urbe praefatâ dudum auctoritate apostolicâ erectae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem indulgentiarum et peccatorum remissionem poenitentiarumque relaxationem docentibus, et adultis addiscentibus catechismum seu doctrinam christianam in Urbe, Italiâ ac Insulis adiacentibus a nobis factam, sicut praemittitur, expeditasque desuper literas nostras praedictas, ad universos christifideles ubicumque locorum nunc et pro tempore existentes, eumdem catechismum doctrinamve christianam similiter docentes et adultos addiscentes, servatâ earumdem literarum nostrarum formâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in perpetuum extendimus similiter et ampliamus.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi mandat.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI. martii MDCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XXXV.

Confirmat indulgentiam plenariam a SS. D. N. Clemente PP. XII. concessam missionariis Capuccinis Gallis in partibus infidelium existentibus, tum die quo ad ipsa loca missionum pervenerint, tum in articulo mortis (1).

CLEMENS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Caelestium munerum thesauros libenter impertimur iis, quos salutem animarum et gentilium conversionem procurare intelligimus.

Procuratoris preces.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum in Romanâ Curiâ missionum orientalium et occidentalium ac missionariorum Gallorum eiusdem Ordinis procurator, nobis nuper exponi fecit, et diversis regni Galliae provinciis Ordinis huiusmodi plures religiosi viri in gentium conversione maxime laborent, et Sancti Spiritus gratiâ multum proficiant:

Indulgentiae de quibus in rubricâ.

§ 2. Nos, eiusmodi pia studia intimo cordis affectu plurimum complectentes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, universis dicti Ordinis religiosis earumdem provinciarum Galliae, qui pro Christi amore et obedientiae merito conversioni gentilium in praefatis orientalium et occidentalium partibus procurandae se accinxerint, die quo ad ipsa loca missionum pervenerint, si confessione praeviâ sacram communionem sumpserint, necnon in mortis articulo, si contriti ac confessi, ac cum proposito confitendi, in itinere seu in ipsâ conversione decesserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

---

(1) Ex Arch. Brev.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII. ianuarii MDCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

XXXVI.

Declarat quod Ordinariis locorum in Indiis non liceat visitare confraternitates erectas et erigendas in ecclesiis fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, nec eorumdem oratoria ruralia (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Privilegium Ordinis Carmelitarum Excalceatorum erigendi extra Urbem confraternitates.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, quod ipsi, in vim privilegiorum eis a felicis recordationis Clemente PP. XI. praedecessore nostro die XXIV. novembris MDCCIII. concessorum et novissime a nobis die XXVII. iunii MDCCXXXV. respective confirmatorum, ubique terrarum extra hanc almam Urbem nostram privative confraternitates virorum et mulierum sub titulo eiusdem B. Mariae de Monte Carmelo erigere et fundare possunt.

Cuiusmodi sint dictae confraternitates.

§ 2. Quae quidem confraternitates nec usum saccorum, neque proprium oratorium sive intra sive extra claustra, neque redditus, et consuetudinem aut onus recitandi divinum officium aliasque preces habent, ullasque functiones ecclesiasticas peragunt, sed tantummodo processionibus, quae ab iisdem exponentibus in quolibet mense fieri solent ad effectum lucrandi indulgentias eisdem confraternitatibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessas, intersunt.

Episcopus Mechoacanus eas visitare tentat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, venerabilis frater modernus Episcopus Mechoacanus in Indiis non solum supradictas confraternitates in eorumdem exponentium ecclesiis erectas, necnon etiam quoddam oratorium rurale cuiusdam praedii per dictos exponentes possessi, in quo religiosi memoratae Congregationis missam pro spirituali colonorum ibidem commorantium consolatione celebrare consueverunt, visitare tentaverit; nobis propterea iidem exponentes, ne quid simile in posterum per alios locorum Ordinarios attentari contingat, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent:

Declarat Pontifex huiusmodi confraternitatum et oratoriorum ruralium dicti Ordinis visitationem ad Ordinarios non spectare.

§ 4. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus inclinati, audito super praemissis venerabili fratre nostro Francisco S. R. E. Cardinali Barberino nuncupato, sacri Cardinalium Collegii decano, Episcopo Ostiensi et Veliternensi, ac Congregationis eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum praefecto, si preces veritati nitantur, supradictas confraternitates tam in ecclesiis eorumdem exponentium erectas et erigendas, quam illorum oratoria ruralia ab Ordinariis locorum non esse visitanda, sed a superioribus praedictae Congregationis Hispaniae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus ac decernimus.

Sicque ubilibet servari praecipit et iudicari.

§ 5. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. ianuarii MDCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

---

(1) Ex Arch. Brev.

XXXVII.

Commemoratis quae pro erectione ac dote Collegii de Ullano seu Corsini *graeci ritus, ac provisione Episcopi in Praesidem Collegii eligendi statuerat, Praesidem constituit Felicem Samuelem Rodotà Archiepiscopum Berroensem gr. ritus; ei confert omnem auctoritatem in Collegium; eum cum Collegio eximit a iurisdictione Episcopi Bisiniani et Metropolitani, subiicitque Sedi Apostolicae et pro eâ Nuntio Apostolico in regno Neapolitano, cum facultate nominandi parochum amovibilem ecclesiae Collegii, ab Episcopo tamen Bisiniani instituendum et visitandum; item ordinandi alumnos etiam absque dimissoriis, et pontificalia exercendi in eâdem ecclesiâ* (1).

CLEMENS EPISCOPUS
servus servorum Dei,

Provida pastoralis officii nobis ex alto commissi solicitudo etc.

§ 1. Cum itaque nos nuper ad Italo-graecae gentis in utriusque Siciliae regnis citra et ultra Pharum commorantis, iuventutem sacris literis, probisque moribus et ecclesiasticâ disciplinâ iuxta purum eorum ritum instruendam, palatium abbatiale, nec non parochialem ecclesiam monasterii Abbatiae nuncupati S. Benedicti de Ullano, eiusdem S. Benedicti seu alterius Ordinis oppidi civitatis nuncupati Ullani Bisinianensis dioecesis, quod dilectus filius noster Petrus Aloisius S. Laurentii in Pane et Perna de Urbe S. R. E. presbyter Cardinalis Caraffa in commendam ad sui vitam etc. obtinebat, praeviâ illorum a praedicto monasterio dismembratione, nec non Ordine ipso, cuius palatium praedictum et ecclesia huiusmodi existebant, omnique statu et essentiâ regularibus in eis apostolicâ auctoritate a nobis perpetuo suppressis et extinctis, illisque ad saecularem statum redactis, et in Collegium ecclesiasticum a familiâ nostrâ nuncupatum, pro certo puerorum Italo-graecorum in illud introducendorum, ac in eo, ut praefertur, instruendorum et alendorum, numero, dictamque ecclesiam in eiusdem Collegii ecclesiam, per quasdam sub datum v. idus octobris pontificatus nostri anno v., ac sub certis modo et formâ tunc expressis, motu proprio nostro apostolicâ auctoritate praedictâ perpetuo erexerimus et instituerimus, dictoque Collegio sic erecto et instituto pro congruâ ac puerorum, magistrorum et lectorum in eo pro tempore existentium aliorumque ministrorum manutentione summam duodecim millium scutorum monetae Romanae in eiusdem Collegii utilitatem reinvestiendorum de propriis nostris pecuniis elargiti fuerimus, dictumque Collegium sic erectum et institutum, illiusque curam, regimen et administrationem omnimodae Ordinarii loci iurisdictioni subiecerimus: Deinde vero monasterio praedicto pro eo quod dictus Petrus Aloisius Cardinalis illius commendae, in quam illud obtinebat, ac omni iuri et actioni sibi in illo vel ad illud quomodolibet competenti in manibus nostris sponte et libere cesserat, nosque cessionem huiusmodi duxerimus admittendam, per cessionem eamdem, adhuc eo, quem ante Commendam ipsam vacabat, modo tunc vacante, et ex vigili, quo erga felicem dicti Collegii successum tenemur, paterni amoris affectu attendentes, quod si eidem Collegio illiusque regimini et administrationi unus Antistes graeci ritus in partibus infidelium apud ecclesiam sibi commissam, impiâ eorumdem infidelium sic cogente tyrannide, personaliter residere non valens, qui apud dictum Collegium personaliter residere eique praeesse, ac inibi eiusdem Collegii alumnos, non solum ea quae ad divina officia, sacras caeremonias, ritusque Orientalis Ecclesiae pertinent, docere, eaque ibidem et in locis Italo-graecorum servare omnemque diligentiam adhibere, ut in eorumdem alumnorum pectoribus inseratur, curareque, ut frequens divinorum sacramentorum sacrarumque precum et piorum librorum usus in dicto Collegio vigeat, dictisque alumnis divinus exardescat amor; verum etiam in divinis Officiis caeremoniisque praedictis iuxta eorumdem ritum peragendis instruat; nec non ceteros omnes Italo-Albanos ad sacros ordines se promoveri cupientes, ne ad sacrosanctum missae sacrificium per eos celebrandum, aliaque munia ecclesiastica obeunda, aut ad ecclesiarum deinde curam ac regimen minus parati accedant, per se vel per alios instruere debeat et teneatur, nunc et perpetuis futuris inde temporibus praeficere-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 79, coll. etc.

tur; eidem Antistiti dictique Collegii praesidi pro tempore existenti pro eius congrua, iuxta pontificalis dignitatis exigentiam, sustentatione onerumque praedictorum supportatione, monasterium praedictum perpetuo afficeretur, ut ex praefectione et affectione huiusmodi tum temporali tum spirituali eiusdem Collegii et totius Italo–graecae gentis huiusmodi indemnitati peropportune consultum foret, monasterium praedictum etc. ad saecularem statum redactum uni Archiepiscopo seu Episcopo ritus praedicti dictique Collegii pro tempore existenti praesidi, per alias nostras literas sub datum IV. idus iunii proxime praeteriti, perpetuo affecerimus et affectum esse et fore, eique et non alteri de illo pro tempore vacante provideri debere, eâdem apostolica auctoritate voluerimus et decreverimus. Et ne iuvenes Italo–graecae gentis huiusmodi ad dictos sacros Ordines se promoveri facere cupientes, et pro Ordinibus ipsis suscipiendis ad Urbem nostram iuxta constitutionem fel. rec. Clementis PP. VIII. praedecessoris nostri desuper editam, cui quoad hoc expresse et specialiter derogavimus, accedere debentes prout hactenus accesserunt, ulteriores aerumnosi itineris expensas periculaque passuri non essent, eidem Antistiti dicti Collegii praesidi pro tempore existenti, ut ipsi in dicti Collegii ecclesiâ omnia et singula pontificalia pro dictis sacris ordinibus tam dicti Collegii alumnis quam aliis Italo–graecis utriusque regni Siciliae citra et ultra Pharum incolis, et quoad incolas huiusmodi cum literis dimissorialibus Ordinariorum respective suorum, conferendis, exercere libere et licite valeret, per posteriores nostras literas licentiam plenamque facultatem eâdem auctoritate concesserimus, et alias, prout in singulis nostris literis respective desuper expeditis plenius continetur. Nos igitur, qui nuper Ecclesiae Archiepiscopalis Berroen. ritus graeci huiusmodi, quae in partibus infidelium consistit etc., certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta, de persona ven. fratris Felicis Samuelis Rodotà Archiepiscopi Berroen. nobis et fratribus nostris ob insignem meritorum suorum cumulum accepto, de eorumdem fratrum consilio, apostolicâ auctoritate providimus, ipsumque illic in Archiepiscopum et pastorem praefecimus, nec non eidem Felici Samueli Archiepiscopo de dicto monasterio ad saecularem statum a nobis sic, ut praefertur, redacto affectoque, dictâ apostolicâ auctoritate providimus, illudque ei contulimus, et alias, prout in praefectionis, provisionis ac collationis praedictarum nostris desuper respective expeditis literis similiter continetur, dicti Collegii regimen, curam et administrationem praesidi utili ac fructuoso, per quem iuxta ritum praedictum ad spiritualem eiusdem iuventutis utilitatem circumspecte, prout enixe concupiscimus, in Domino regi et feliciter gubernari valeat, ut infra, committere, eumdemque Felicem Samuelem Archiepiscopum etc., specialibus favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus, motu proprio nostro, ex certâ scientiâ merâque liberalitate nostris et de apostolicae potestatis plenitudine praedictum Felicem Samuelem Archiepiscopum in eiusdem Collegii alumnorum, Magistrorum, lectorum, quorumcumque aliorum ministrorum et personarum eidem Collegio nunc et pro tempore quomodolibet inservientium, liberum praesidem cum liberâ, plenâ et omnimodâ iurisdictione et auctoritate; ita quod liceat ei omnia et singula dicti Collegii bona, res et proprietates ad dictum Collegium quomodolibet nunc et pro tempore spectantia et ubicumque existentia, illorumque fructus, reditus et proventus, iura et emolumenta quaecumque ex eis quomodolibet provenientia, libere administrare, et in opportunos dicti Collegii usus et utilitatem convertere, aliaque omnia et singula ad maiorem dicti Collegii stabilitatem perpetuum ac feliciorem, secundum cor nostrum, successum procurare, facere, gerere, exequi; nec non alumnos ad dictum Collegium admittere, eosque admissos excludere, magistros, lectores aliosque ministros eidem Collegio pro tempore inservituros, eligere; eosque sic electos et pro tempore inservientes, quoties ratio id suadebit, ab eodem servitio excludere, aliosque dignos in eorum loco ponere: nec non unum presbyterum idoneum, ut infra, approbandum, et ab Episcopo Bisinianensi nunc et pro tempore existente, instituendum in praedictae parochialis ecclesiae curatum ad eius nutum amovibilem nomi-

nare; nec non cum omnibus et singulis aliis indultis et facultatibus ipsi Felici Samueli Archiepiscopo suisque successoribus a nobis, ut infra, concedendis, apostolicâ auctoritate constituimus et deputamus.

§ 2. Ut autem dictus Felix Samuel Archiepiscopus et Episcopus ritus praedicti, dicti Felicis Samuelis Archiepiscopi Successor, dictique Collegii pro tempore praeses existens, totis viribus totoque animo provide dicto Collegio praeesse, illiusque regimini, administrationi et Curae attentius praecipueque incumbere valeat: nos qui nuper Collegium praedictum, una cum illius parochiali ecclesiâ, alumnis, lectoribus, magistris, ministris, aliisque personis eidem Collegio inservientibus, quod ac quos et quas ven. fratri nostro Episcopo Bisinianensi, usque et in eventum deputationis et constitutionis unius ex Archiepiscopis seu Episcopis ritus praedicti in eiusdem Collegii praesidem constituendi a nobis faciendarum, subiecta esse volumus; nunc vero deputatione etc. a Nobis per praesentes factis, Collegium praedictum, illiusque parochialem ecclesiam praedictam, alumnos, lectores, magistros aliosque ministros et personas ei nunc et pro tempore inservientes, dummodo in dicto Collegio convivant, ab Episcopo Bisinianensi etc. eiusque iurisdictione ordinariâ ac delegatâ, et a quocumque Metropolitano, ac quibusvis aliis, reservatis tantum Episcopo Bisinianensi praedicto iure visitandi dictam parochialem ecclesiam quoad curam dumtaxat animarum iurisdictione in eius curatum quoad eamdem curam, nec non concedendi auctorizabilem approbationem seu institutionem exercendi illam curam, ut praefertur, nominando amovibiliter a praedicto Felice Samuele Archiepiscopo et Episcopo ritus graeci in dicto Collegio, praevio dicti curati examine coram Episcopo Bisinianensi praedicto, exceptis spectantibus ad ritum graecum, super quibus idem Episcopus Bisinianensis etc. fidem attestationi praedicti Episcopi ritus graeci in dicto Collegio etc. praesidis existentis dare teneatur.

§ 3. Nec non Collegium praedictum et Abbatiam S. Benedicti de Ullano nuncupatam, a nobis, ut praefertur, ad saecularem statum redactam, eiusque parochialem ecclesiam praedictam tantum a solutione cathedratici Episcopo Bisinianensi praedicto pro tempore existenti faciendâ, motu pari apostolicâ auctoritate, perpetuo tenore praesentium eximimus et liberamus, illosque sic exemptos et liberatos iurisdictioni praedicti Felicis Samuelis Archiepiscopi Episcopi dicti ritus graeci in dicto Collegio pro tempore praesidi existentis, omnimodae iurisdictioni, ita tamen ut idem Felix Samuel Archiepiscopus Episcopus dicti ritus in dicto Collegio pro tempore existens nobis et Sedi Apostolicae, et pro dictâ Sede nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis eiusdemque Sedis Nuncio in regno Neapolitano commoranti immediate subiectus remaneat, ex voto nonnullorum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis particularis de Propagandâ Fide super rebus Italo–graecorum, motu etiam pari, apostolicâ auctoritate, etiam perpetuo subiicimus subiectosque pariter volumus. Ac insuper eidem Felici Samueli Archiepiscopo et Episcopo ritus graeci dicti Collegii praesidi, ut ipsi dicti Collegii alumnis pro tempore existentibus, Ordines etiam sacros sine dimissorialibus Ordinariorum suorum literis; dummodo tamen alumni ipsi, et quilibet eorum in eorum cuiuslibet in dictum Collegium ingressu testimoniales eorum cuiuslibet Ordinarii literas de eorum cuiuslibet respective baptismate in ritu graeco, eiusdem continuatione, legitimis natalibus, aetate, nec inquisitum, neque aliquo canonico impedimento irretitos et irretitum, et usque ad id tempus bonis moribus praeditos, et praeditum. Et ad subdiaconatus ordinem promovendos et promovendum proprii Ordinarii attestationem de patrimonio sibi legitime constituto exhibeant et exhibeat, servato quoad dispensationem ab interstitiis ritu praedicto, conferre. Utque in dicti Collegii parochiali ecclesiâ praedictâ omnibus et singulis pontificalibus insignibus praedicti ritus, ultra dies in quibus ipse ordinationes in ea peragit, etiam aliis diebus omnibus ecclesiae Latinae et Graecae, in omnibus irrequisito Episcopo Bisinianensi etc. praedicto, libere et licite uti possit et valeat ex voto, motuque et auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus et indulgemus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXVII. kal. aprilis, pontificatus nostri anno VI.

XXXVIII.

Indulgentias, aliàs concessas pro visitantibus ecclesias seu oratoria missiona-

riorum Capuccinorum Gallorum in partibus infidelium existentium, etiam pro animabus christifidelium per modum suffragii applicari posse benigne indulget (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Indulgentias aliàs concessas.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum professor, dilectorum filiorum missionariorum Gallorum et Hybernorum eiusdem Ordinis in partibus haereticorum et infidelium existentium in Romanâ Curiâ procurator, nobis nuper exponi fecit, aliàs nos omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis seu oratoriis dictorum fratrum missionariorum, mulieribus vero, quibus ad illas seu illa liber non pateret accessus seu ingressus, quae aliam ecclesiam seu oratorium catholicorum earumdem partium a custode vel praefecto missionum huiusmodi designandum, in festis diebus, sub certis modo et formâ tunc expressis, visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. Matris E. exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quo die ex praedictis id egissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die xx. maii MDCCXXXV. pontificatus nostri anno v. expeditis litteris plenius continetur.

Pro animabus defunctorum applicari concedit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, christifideles illas indulgentias christifidelium defunctorum animabus per modum suffragii applicari posse plurimum desiderent: nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis christifidelibus praedictis, ut indulgentias plenarias iisdem diebus, quas de cetero consecuti fuerint, christifidelium defunctorum animabus, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, itidem (2) perpetuo concedimus et indulgemus in contrarium facientes non obstantibus quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, quod earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Transumptis credi iubet.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. aprilis MDCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

XXXIX.

Congregationi et collegio sacrae Familiae Iesu Christi Neapolitanae, eorumque ecclesiae, presbyteris saecularibus, alumnis et convictoribus et personis, nunc et pro tempore existentibus, communicantur privilegia, praerogativae, facultates, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones et indulta Congregationibus Oratorii S. Philippi Nerii et Piorum Operariorum concessa, ac omnes et singulae indulgentiae ecclesiae S. Mariae ad Martyres vulgo della Rotonda (3).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Inter praecipuas ministerii nostri partes, in supremâ Catholicae Ecclesiae administratione, tenuitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam demandatâ, accurate obeundas, illam non ultimam reputamus, ut luculentiora pontificiae benignitatis auctoritatisque privilegia et gratias paterno libentique animo iis dilectis filiis conferamus, qui, sicut novellae olivarum plantationes in iuventute suâ, uberes bonorum operum fructus in Catholicâ Ecclesiâ alacrius proferre satagentes, uberiora apostolicae beneficientiae indulgentiaeque nostrae munera, praerogativas ac favores sibi promereri videntur. Prooemium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matthaeus Ripa, fundator et modernus superior ac rector Congregationis et Collegii sub invocatione Sacrae Familiae Iesu Christi extra muros civitatis Neapolitanae erectorum, quorum institutum per alias nostras in simili formâ Brevis litteras desuper die VII. aprilis MDCCXXXII. Matthaeus Ripa, dictae Congregationis et Collegii fundator, Papae supplicat.

---

(1) Ex Arch. Brev.

(2) Male edit. Main. legit *ibidem* pro *itidem*.

(3) Ex Tabul. Sacrae Famil. coll. etc.

expeditas approbavimus, ac subinde regulas quoque confirmavimus, quod, cum Congregatio et collegium huiusmodi ad instar Congregationum presbyterorum saecularium Oratorii Sancti Philippi Nerii ac Piorum Operariorum nuncupatorum dictae civitatis Neapolitanae fundata et instituta sint; ipse vero exponens, ac presbyteri, alumni, convictores, et aliae personae Congregationis et collegii praefatorum, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, favoribus, gratiis, indulgentiis, exemptionibus et indultis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris tam presbyteris saecularibus Oratorii Sancti Philippi Nerii et Piorum Operariorum praedictis, quam ecclesiis, domibus et congregationibus eorumdem quocumque tempore quomodolibet hactenus concessis et in futurum concedendis, frui et gaudere posse plurimum desiderent: nobis propterea tam suo quam praefatorum presbyterorum, alumnorum, convictorum et aliarum personarum huiusmodi nomine humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Clemens facultatum et indulgentiarum, de quibus in rubricâ, applicationem concedit.

§ 2. Nos igitur, specialem ipsis exponenti et presbyteris, alumnis, convictoribus, aliisque personis, ut praemittitur, gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attento quod dilectus filius noster Ioseph S. R. E. Cardinalis Spinelli nuncupatus, Archiepiscopalis Ecclesiae Neapolitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, ad nos retulerit, praefatos presbyteros, alumnos et convictores non solum in iis ad divini cultus incrementum et animarum salutem in civitate et dioecesi Neapolitanâ spectantibus regulas et instituta tam presbyterorum Oratorii Sancti Philippi Nerii quam Piorum Operariorum praedictorum servare, verum etiam maiora ipsis onera imposita esse, iisdem Congregationi et collegio Sacrae Familiae Iesu Christi, illiusque ecclesiae ac presbyteris saecularibus, alumnis, convictoribus et personis nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, gratiis et indulgentiis ac exemptionibus et indultis memoratarum Congregationum, earumque ecclesiis, presbyteris et personis per Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessis et in futurum concedendis, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, et quibus eaedem congregationes earumque ecclesiarum presbyteri et personae ex praedecessorum nostrorum concessione de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si privilegia, praerogativae, facultates, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones et indulta huiusmodi ipsis congregationi et collegio Sacrae Familiae Iesu Christi, eorumque ecclesiae, presbyteris, alumnis, convictoribus et personis specialiter concessare perirentur, sine praeiudicio tamen gratiarum, indultorum et privilegiorum iisdem a nobis aliàs concessorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Concedit quoque indulgentias iam concessas ecclesiae *della Rotonda*.

§ 3. Quoad indulgentias vero ecclesiae et in eâ sitis altaribus Congregationis et collegii Familiae Iesu Christi praefatorum, eas omnes et singulas, quae ecclesiae eiusque respective altaribus S. Mariae ad Martyres *della Rotonda* vulgo dictae de Urbe per Romanos Pontifices praedecessores nostros nosque ipsos hactenus concessae reperiuntur, aut quas in futurum concedendas esse contigerit, cum uno dumtaxat altari privilegiato quotidiano perpetuo, etiam per modum aggregationis et sine quacumque dependentiâ, concedimus et elargimur.

Clausulae irritantes.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus nostrae et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, illorum teno-

res praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. martii MDCCXXXVIII., pontif. nostri anno VIII.

XL.

Extendit indultum quoad ordinationem ab Urbano VIII. alumnis et convictoribus collegii Propagandae Fidei concessum, ad alumnos et convictores pro Sinensibus et Indis collegii Sacrae Familiae Iesu Christi in civitate Neapolitanâ erecti (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pro supremâ Catholicae Ecclesiae procuratione, quam pastorum princeps Iesus Christus altissimo divinae providentiae suae consilio nobis plane immerentibus credere dignatus est, tamquam fideles prudentesque dispensatores praecipua apostolicae benignitatis auctoritatisque argumenta iis potissimum ingenti cum pontificii cordis laetitiâ exhibere satagimus, qui in diebus nostris veluti cooperatores et coadiutores in ministerii nostri opus a nobis adsciti et constituti in excolendâ vineâ Dei sabbaoth per universum terrarum orbem plantatâ alacrius adlaborare pergunt atque contendunt.

Capita concessionum ab Urbano VIII. alumnis collegii Urbani factarum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matthaeus Ripa, fundator et modernus superior ac rector Congregationis et collègii sub invocatione Sacrae Familiae Iesu Christi extra muros civitatis Neapolitanae erectorum, quorum institutum per alias nostras in simili formâ Brevis litteras desuper die VII. aprilis MDCCXXXII. expeditas approbavimus, ac subinde regulas quoque confimavimus, quod aliâs felicis recordationis Urbanus VIII. praedecessor noster dilectis filiis tunc et pro tempore existentibus alumnis et convictoribus Congregationis de Propagandâ Fide, aliisque qui quoquomodo ad instantiam eiusdem Congregationis Romae vel alibi educarentur, ut ipsi, absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, et etiam sine titulo beneficii ecclesiastici aut patrimonii, sed ad titulum tantum missionis, a quocumque quem maluerint catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente et in propriâ dioecesi residente, vel in alienâ de Dioecesani loci licentiâ pontificalia exercente, ad quatuor minores etiam unico festivo vel feriato, necnon etiam ad sacros et presbyteratus ordines tribus dominicis, seu aliis festivis et continuis vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi, antequam de uno ad alium ordinem promoverentur, in primo quoque suscepto ordine se minime exercuissent, aut alicuius ecclesiae servitio adscripti non essent, dummodo tamen forent aetatis legitimae, ac aliàs idonei, et per triennium continuum essent eiusdem Congregationis alumni seu convictores, aut ad illius instantiam educati, ac denique haberent litteras testimoniales rectorum aut eorum apud quos educarentur et instruerentur de eorum vitâ et moribus ac in scientiis profectibus, nec eis aliquod obstaret impedimentum, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, auctoritate apostolicâ, sub certis modo et formâ tunc expressis, concessit et indulsit, et aliàs prout in praedictis Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XVIII. maii MDCXXXVII. expeditis plenius continetur.

Illae novo collegio extra Neapolim fundato conceduntur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Matthaeus privilegia seu indulta praedicta ad alumnos et convictores collegii Sacrae Familiae Iesu Christi huiusmodi per nos extendi atque iisdem concedi summopere desideret: nos, piis eiusdem Matthaei votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque et alumnos ac convictores secundodicti collegii huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrec-

---

(1) Ex eodem tabulario.

tis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propagandae Fidei praepositorum consilio, privilegia, in praedictis Urbani praedecessoris litteris contenta, ad modernos et pro tempore existentes collegiales collegii Sacrae Familiae Iesu Christi civitatis Neapolitanae Sinenses, et ad eos qui ex regionibus Indiarum advenerint, dumtaxat, extendimus, atque iisdem concedimus; nempe, ut ipsi absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, et etiam sine titulo beneficii ecclesiastici, sed ad titulum tantum missionis, a quocumque quem maluerint catholico antistite ad quatuor minores etiam unico festivo vel feriato, necnon etiam ad sacros et presbyteratus ordines tribus dominicis, seu aliis festivis et continuis vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi, antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto ordine se minime exercuerint, aut alicuius ecclesiae servitio adscripti non sint, dummodo tamen sint aetatis legitimae, nec eis aliud canonicum obstet impedimentum, et habeant litteras testimoniales rectorum aut eorum apud quos educantur et instruuntur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere possint et valeant, ita tamen, ut, quotiescumque contingat aliquos ex iisdem Sinensibus et Indis ad ordines promoveri debere, antequam e collegio dimittantur, dictus Matthaeus modernus et pro tempore existens superior, si sedes Archiepiscopalis Neapolitana sit plena, teneatur eos dirigere cum attestationibus de illorum baptismate, vitâ, moribus et in scientiis profectu ad dilectum filium nostrum Iosephum S. R. E. Cardinalem Spinelli nuncupatum Archiepiscopalis ecclesiae Neapolitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem, seu pro tempore illius existentem Archiepiscopum, quatenus vero idem Cardinalis et praesul seu Archiepiscopus praedictus quacumque ex causâ illorum ordinationem peragere non valeat, liberum sit memorato Matthaeo, et pro tempore existenti superiori collegii praedicti, illos ad quemcumque catholicum antistitem gratiam et communionem supradictae Sedis habentem pro ordinibus suscipiendis dirigere, servatâ in reliquis praedictarum Urbani praedecessoris litterarum formâ et dispositione, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. martii MDCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XLI.

Indulget, ut tres dumtaxat fratres Ordinis eremitarum S. Augustini provinciae SS. Nominis Iesu antiquiores doctores graduati in universitate Mexicanâ, qui conditiones ad praemissum effectum praescriptas adimpleverint, privilegiis magistrorum dicti Ordinis uti valeant (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Causae novi concedendi privilegii.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas et Cabrera, assistens generalis Hispaniae a provinciâ SS. Nominis Iesu in regno Mexicano Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini procurator specialiter deputatus in sacrâ theologiâ magister, quod in civitate Mexicanâ publicâ auctoritate et privilegio regio studii generalis universitas omnibus numeris celeberrima erecta existit, in qua plures cathedrae sumptibus carissimi in Christo filii nostri Philippi, seu bonae memoriae, dum vixerunt, Hispaniarum regum, institutae et fundatae reperiuntur, quae per publicam oppositionem seu concursum, ut vocant, obtinentur. Etsi autem plurimum splendoris et ornamenti tam Ordini quam provinciae huiusmodi inde allatum iri constat, quod illius religiosi doctoratus laureâ in universitate praedictâ decorentur, et ad concursus publicos pro adipiscendis lecturis idonei reddantur; nullus tamen eorum religiosorum viginti ab hinc circiter annis invenitur, qui tam laudabili exercitio oppositionum seu concursuum praedictorum ad cathedras earumque lectionum assidue applicatus cathedram aliquam aut lectoriam

(1) Ex Arch. Brev.

huiusmodi obtinuerit. Enim vero, praeter plura incommoda quibus subiacere debent similia munera extra consecuturi, intra vero provinciam huiusmodi etiam honoris gradum propterea promereantur, sed tamquam alii quicumque Ordinis praediti lectores et habentur et existimantur.

Procurator provinciae Papae supplicat super hoc.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Didacus assistens et procurator, ut deinceps eiusdem provinciae alumni intuitu praemii avidius alacriusque tam ad doctoratus lauream assumendam, quam ad substinendam talem oppositionem seu concursum pro huiusmodi publicis lecturis capessendis excitentur, tribus antiquioribus doctoribus dictae universitatis, qui publicis argumentis, assidueque lectionum et oppositionum exercitationi, quoties cathedra aliqua in dictâ universitate vacare contigerit, fuerint adstricti et addicti, omnia iura, indulta et privilegia, quibus ceteri in sacrâ theologiâ magistri provinciae et Ordinis praedictorum de iure, usu et consuetudine potiuntur et gaudent, ac revera tamquam magistri eorumdem Ordinis et provinciae sint et habeantur (sequentibus tamen praeviis conditionibus, nempe: I. Quod nullus ex dictae provinciae fratribus ad gradum doctoratus in dictâ universitate promoveri valeat, nisi de licentiâ moderni et pro tempore existentis prioris generalis dicti Ordinis, prout per constitutiones Ordinis praedicti auctoritate apostolicâ confirmatas, parte V., cap. V. et VIII., praescriptum reperitur: II. Quod nullus doctor in dictâ universitate Mexicanâ magistri privilegia obtinere incipiat, nisi postquam laudabiliter suae lecturae philosophiae et sacrae theologiae praedictae tempus compleverit, et a pleno definitorio provinciae huiusmodi, sive in capitulo provinciali, sive in congregatione intermediâ, lector iubilatus declaretur, et tunc, absque novo examine, cum iam in susceptione doctoratus in eàdem universitate praecesserit, et aliâ gradus susceptione istiusmodi, doctores privilegiis magistrorum gaudere incipiant, et tamquam magistri a pariter moderno et pro tempore existente priore provinciali recognoscantur et declarentur, ac in libro, in quo ceteri eiusdem Ordinis magistri describuntur, adnotentur, et ex tunc demum, non autem secundum tempus suscepti doctoratus, eorum antiquitas inter magistros Ordinis computetur: III. Quod ex dictis doctoribus universitatis, qui, ut supra, assiduae lectionum et oppositionum exercitationi fuerint adstricti et addicti, tres dumtaxat antiquiores, qui gradu magisterii Ordinis praedicti non sint aliunde decorati, magistrorum privilegiis fruantur, reliqui autem, si qui fuerint, quamvis ceteris qualitatibus supra expressis praediti reperiantur, illa minime obtineant, quousque per alicuius ex dictis tribus doctoribus antiquioribus cessum vel decessum eis locus fiat secundum ordinem suae antiquitatis, nempe doctoratus in eàdem universitate, non autem antiquitatis professionis seu lecturae), a nobis concedi plurimum desideret, prout ab hac Sanctâ Sede et a nobis aliis earumdem Hispaniarum provinciis Ordinis praedicti concessum fuisse asserit: nobis propterea dictus Didacus assistens et procurator eiusdem provinciae nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Conditiones necessariae ad huiusmodi consequendum.

Procuratoris petitioni annuit Clemens.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Didaci assistentis et procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut tres dumtaxat antiquiores doctores dictae universitatis Mexicanae, in quibus supradictae conditiones et declarationes concurrerint, inter magistros provinciae et Ordinis praedictorum adnumerentur, et uti tales habeantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, eisdemque tribus antiquioribus doctoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, favoribus, praerogativis, praeeminentiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus, quibus ceteri provinciae et Ordinis huiusmodi magistri tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti et frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, dictâ auctoritate concedimus et indulgemus.

Hanc concessionem ubique suum plenum vigorem habere statuit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac il-

lis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ingnoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Harum litterarum transumptis fidem addit.

§ 6. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae, seu secretarii generalis eiusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. iulii MDCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XLII.

Confirmat S. Congregationis de P. F. decretum quo Praefecto Mequinez, Ord. Minor. Obser. in regno Marochii, constituere permittitur Matriti Procuratorem, dependentem tamen cum socio ab eadem S. Congregatione, ad solicitandas eleemosynas ad bonum earumdem missionum expendendas (1).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Provincialis provinciae S. Didaci Congregationi de Propagandâ Fide exponit necessitatem constituendi Matriti procuratorem missionum Mequinez.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Francisci Romero a S. Antonio fratris expresse professi ac ministri provincialis provinciae S. Didaci in Boethicâ Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum et praefecti apostolici missionum Mequinez regni Marochii, Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositae exposito, dictas missiones quoad expensas in eisdem occurrentes tam pro manutentione missionariorum, quam regii hospitalis Mequinereci existentis sub curâ eiusdem missionis dependere praecipue a regiâ liberalitate carissimorum in Christo filiorum catholicorum Hispaniarum Regum, qui iam a pluribus retro annis copiosas eleemosynas ad id dare consueverant, nihilominus ipse Franciscus experimento didicerat, aliquando eventurum esse, ut nisi aliquis religiosus dicti Ordinis in oppido Matriti Toletanae dioecesis assistat, qui nomine provinciae et missionum cum regiis ministris praedictas eleemosynas solicitet, sitque iisdem cognitus et gratus, praedictae eleemosynae in toto vel in magnâ parte deficiant. Quapropter ipse Franciscus cum suo definitorio prospiciens bono dictarum sacrarum missionum, ut ne eaedem detrimentum patiantur, plurimum desiderabat, ut sibi facultatem instituendi in praedicto oppido Matriti aliquem ex suis religiosis in procuratorem, qui continuo ibidem assistens praedictas eleemosynas solicitare et favorem eorumdem Regum in necessitatibus et persecutionibus, quae frequenter barbaris Africanis contra illas excitantur, implorare valeat; ac insuper collocandi dictum procuratorem cum socio illi designandum (ob deficientiam conventus provinciae praedictae in supradicto oppido) in quocumque ex tribus conventibus diversarum provinciarum Ordinis eiusdem S. Francisci in oppido huiusmodi existentibus, quem ipse Franciscus iudicaverit opportuniorem ad praedictam procurationem, accedente tamen consensu dilectorum filiorum superioris illius conventus seu etiam ministri generalis pro tempore existentium, concederet; emanavit ad supplicationem praedicti Francisci ab eâdem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregat. praefatae.

Decretum Sacrae Congregationis Generalis de Propaganda Fide habita die IV. augusti MDCCXXXVIII.

---

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 244.

Relato per rev. patrem d. Philippum de Montibus secretarium suprascripto libello supplici, et audito p. ministro generali Ordinis S. Francisci, S. Congregatio oratoris precibus benigne annuit iuxta petita, salvâ tamen semper procuratoris, prout in precibus, constituendi eiusque socii pro omnimodâ ab eadem S. Congregatione dependentiâ.

Datum Romae ex aedibus praefatae Sacrae Congregationis die et anno quibus supra – V. Cardinalis PETRA praefectus – PHILIPPUS DE MONTIBUS secretarius.

Loco † sigilli.

Confirmatur a Clemente.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dicti Francisci nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Sicque semper servandum praecipitur.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tolluntur.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae, Conventus, et Ordinis praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. aug. MDCCXXXVIII., pontificatus nostri anno IX.

XLIII.

Moderat decretum particularis Congregationis super eiectione religiosorum Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini provinciarum Indiarum (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

A Congregatione particulari editum decretum super modo cognoscendi causas eiiciendi ab Ordine incorrigibiles.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Antonius Schiaffinati, prior generalis Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod aliàs, nempe die XXIV. iulii MDCXCIV., in Congregatione particulari nonnullorum tunc existentium S. R. E. Cardinalium, a felicis recordationis Innocentio Papa XI., praedecessore nostro, ad instantiam tunc pariter existentis procuratoris generalis eiusdem Ordinis, deputatâ pro moderatione decretorum de apostatis et eiectis a Congregatione tunc quoque existentium Cardinalium Congregationis Concilii Tridentini interpretum et a bonae memoriae Urbano Papa VIII. itidem praedecessore nostro editorum, sancitum fuit inter alia, ut facultas, in dictis decretis de anno MDCXXIV. prioribus et magistris generalibus Ordinum regularium concessa ad eiiciendos incorrigibiles de consilio et assensu sex ex gravioribus patribus in congregationibus generalibus eorumdem Ordinum eligendis, etiam ad priores et ministros provinciales extenderetur, qui, electis pariter in congregationibus provincialibus sex gravioribus de provinciâ religiosis a generali Ordinis pro tempore existente confirmandis, de illorum consilio et assensu causas huiusmodi cognoscere, et, ad effectum

(1) Ex Archiv. Secret. Brev.

eiiciendi incorrigibiles suae provinciae et eiectionem pronunciandi, accedente approbatione generalis, definiri deberent; salvâ tamen semper huius Sanctae Sedis et eiusdem Congregationis in casu recursus et appellationis auctoritate.

Conditiones in praefato decreto appositae in provinciâ Indiarum exequi difficillime possunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in provinciis Indiarum eiusdem Ordinis, ob summam earum ab hac almâ Urbe distantiam, approbatio prioris generalis pro tempore existentis huiusmodi, sive electionis iudicum expulsionis in capitulis provincialibus provinciarum praedictarum factae, sive sententiae a prioribus provincialibus huiusmodi et praedictis sex patribus latae, absque magno provinciarum praedictarum detrimento et incommodo expectari non possit, utpote quia reus, cuius incorrigibilitas probata et uti talis per sex menses in carcere detentus fuerit, per longum tempus in eâdem custodiâ detineri non potest usque dum prior provincialis praedictus approbationem sive electionis iudicum sive sententiae iuxta enunciatum decretum a priore generali praefato accipiat, minusque fieri potest ut reus libertati tradatur, ne ceteros suo pravo exemplo corrumpat;

Prior generalis Ordinis supplicat pro earum moderatione.

§ 3. Ac propterea dictus Nicolaus Antonius, prior generalis, supradictum decretum memoratae Congregationis particularis a nobis moderari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Clemens.

§ 4. Nos igitur, ipsum Nicolaum Antonium priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, modernis et pro tempore existentibus earumdem provinciarum Indiarum dicti Ordinis prioribus provincialibus, ut ipsi, servatis de iure servandis et aliis in supradictis decretis contentis, non expectatâ eiusdem Nicolai Antonii aliorumque dicti Ordinis pro tempore existentium priorum generalium approbatione sive electionis sex coniudicum sive sententiae expulsionis ab ipsis coniudicibus unâ cum provincialibus praedictis latae, sive ferendae cum effectu, incorrigibiles eiicere possint et valeant, facultatem auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Clausulae pro huiusce moderationis firmitate.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 7. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. octobris MDCCXXXVIII., pontificatus nostri anno IX.

XLIV.

Confirmat decretum Congregationis Episcoporum et Regularium circa religiosos Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini provinciae Mexicanae ad alios Ordines confugientes (1).

(1) Ex Arch. Secret. Brev.

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex facili religiosorum ad alios Ordines refugio, omnium Ordinum disciplina collabitur.

§ 1. Aliàs pro parte dilecti filii Ignatii Padilla fratris expresse professi, in sacrâ theologiâ magistri, provinciae SS. Nominis Iesu Mexicanae Ordinis Eremitarum Sancti Augustini procuratoris ad specialia negotia missi, nobis expositum fuit, quod in dictâ provinciâ abusus valde observantiae regulari praeiudiciales, nempe quod aliqui religiosi inquieti et parum observantiae sui instituti amatores obedientiam reverentiamque ac subiectionem suis praelatis debitas parvifacientes, ad coenobia aliorum Ordinum vel Congregationum aut institutorum, praetextu evadendae violentiae et effugiendi rigorem suorum superiorum, confugiant, irrepserant; et, licet superiores praedicti a praelatis conventuum, ubi praedicti religiosi confugiunt, petant ut patiantur quod obligatio obediendi propriis superioribus, et se se ad propria coenobia restituendi, intimetur, vel quod illos propriis superioribus tradant, neutrum obtineri solet, protestantes aliorum Ordinum vel congregationum aut institutorum praelati, ubi dicti religiosi confugiunt, eosdem gaudere immunitate refugii, et consequenter a proprio praelato non posse extrahi, requiri aut notificari, utpote in alieno territorio existentes, neque superiores aliorum Ordinum praedictorum debere dictos religiosos confugientes tradere: et in eâdem expositione subiuncto quod dilectus etiam filius modernus prior provincialis provinciae et Ordinis praedictorum in angustias positus ad venerabilem fratrem modernum Archiepiscopum Mexicanum illius regni proregem recursum habere coactus fuerat, ut ei auxilium regium impertiretur, quo dispersum gregem ad ovile proprii Ordinis reducere, et hoc tantum medio relatis praeiudiciis occurrere posset; cum autem minime lateat, quod, si haec ianua asili aut refugii religiosis pateat, funditus disciplina regularis ac debita propriis superioribus obedientia corruant, necnon iurgia et discordiae inter superiores respective Ordinum cum saecularium scandalo procul dubio pullulent:

Instantia procuratoris exponentis pro huiusmodi compescendo.

§ 2. Porro, ut tot malis occurreremus, per nos declarari summopere desiderabat, quod dictis religiosis ad conventus aliorum Ordinum vel congregationum vel institutorum confugientibus immunitas refugii seu asili minime suffragetur, sed a proprio superiore iudicialiter ex alieno conventu unusquisque confugientium huiusmodi extrahi, et ad proprium, quocumque privilegio regularibus concesso hac in parte non obstante, reduci possit: quod si dicti religiosi adhuc rebelles in parendo propriis superioribus, ad suum conventum eosdem redeundi iubentibus, perseverent, vel dicti superiores eos tituli refugii recipientes et auxilium praestantes propriis superioribus tradere renuerint, utrique poenas, fugitivis et eorum fautoribus et protectoribus necnon rebellibus et inobedientibus per hanc Apostolicam Sedem impositas, ipso facto et absque aliâ declaratione incurrere debeant:

Ad Congregationem Episcoporum et Regularium remissa.

§ 3. Nos supplicem libellum nobis porrectum ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam remisimus, a qua emanavit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis, quo statuitur aufugientes superioribus sui Ordinis esse restituendos sub conditionibus et cautelis hic expressis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem libellum remisit, attentâ relatione eminentissimi Firrao, praefati Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, re mature perpensâ, decrevit, regulares unius religionis, confugientes ad ecclesias et monasteria alterius religionis, superioribus propriae religionis restitui debere a praelatis alterius religionis, ad quorum ecclesias et monasteria confugiunt, praestito tamen ab iisdem superioribus confugientium iuramento, et factâ obligatione de servandâ immunitate ecclesiasticâ et de restituendo confugientes praefatos ecclesiis vel monasteriis, ad quae confugerunt, casu quo procedendum sit ad poenas corporales carceris perpetui, mortis et triremium propter delicta ab ipsis confugientibus commissa; secus, si ipsi superiores procedere deberent ad poenas ordinarias, et ad correctionem regularium per constitutiones Ordinis praescriptas: cuius rei declaratio ad definitorium provinciale, vel, ubi illud non fuerit, ad consilium conventus spectabit. Quod si, constito regulares confugientes poenas dumtaxat ordinarias et per constitutiones Ordinis ad correctionem praescriptas promereri, praelati

alterius religionis renuant eos propriis superioribus restituere, vel ipsi regulares ad proprias religiosas domos redire recusent, sacra eadem Congregatio utrosque ad instar apostatarum vel apostatas recipientium, in excommunicationem Summo Pontifici reservatam incursos declaravit. — Romae, v. septembris MDCCXXXVIII. — I. Cardinalis FIRRAO. — C. Archiepiscopus Damiatae, secretarius.

Supplicatum Papae pro confirmatione.

§ 4. Cum autem, sicut dilectus Ignatius procurator nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum cupiat:

Confirmatio Pontificia.

§ 5. Nos, ipsum Ignatium procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Decretum firmitatis praesentium litterarum.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, eiusdem provinciae, ac praedicti aliorumque quorumcumque Ordinum, congregationum vel institutorum, et etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. decembris MDCCXXXVIII., pontificatus nostri anno IX.

XLV.

Confirmat Institutionem Missionum ab Archiepiscopo Salisburgensi in Civitate Salisburgen. factam, ac Regulas pro Missionariis a Congregatione de Propaganda Fide approbatas (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastorum Princeps Iesus Christus, cuius suprema in Catholicae Ecclesiae procuratione vices per ineffabile divinae providentiae consilium infirmitati Nostrae demandatas plane immerentes nos gerimus, ea Pontificium animum nostrum in ovibus suo sanguine redemptis et per viam aeternae perditionis pergentibus ad orthodoxum ovile reducendis sollicitum coelestis consolationis copia et laetitiae magnitudine cumulare dignatus est, ut gaudio superabundantes incredibili, iubilemus Deo in voce exultationis.

Arch. Salisburgensis ex Dioecesi haereticos eliminat.

§ 1. Enim vero vener. Fr. Leopoldus Archiepiscopus Salisburgensis pro eximia pietate sua, singulari Orthodoxae religionis zelo, iniuncto pastoralis Ministerii munere custodiens, vigilias super grege sibi commisso summa cum nominis sui laude, la-

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

boribus plurimis ac dispendiis ex sua, in qua commorabantur, amplissima Dioecesi eiectis ac procul expulsis vigintiduobus millibus et amplius Haereticis, eorumdem Terras Catholicae fidei cultoribus habitandas attribuit.

Missionarios inducit, limitesque eis assignat.

§ 2. Praeterea veritus, ne temporis processu perditissimis hominibus antiquas sedes subleste repetentibus, et ibidem nova execrandae haeresis semina occulte spargentibus iterum illic pestiferae segetis germina subolesceret, et ut nequitia elidatur, opportune nullis parcens industriis et sumptibus providere studuit. Inter ceteras autem utilissimas providentiae suae ad susceptum saluberrimum opus conficiendum initas rationes illas in primis maximopere commendandas, quod sex perpetuas missiones a religiosis viris aliquot regularium Ordinum et Institutorum intra praescriptos (ne dissidia ulla aut confusio unquam oriri possint) limites sub nonnullis abs se editis capitulis, regulis, et legibus omnino peragendas fundaverit, instituerîtque, ac necessariis redditibus et emolumentis ditaverit. Quae quidem omnia capitula, regulae, et leges sunt tenoris qui sequitur, videlicet... (1).

Praedicta omnia a superioribus Ordinum acceptata, Papae praesentantur pro obtinenda confirmatione.

§ 3. Praeinserta autem Capitula, Regulas, et Leges postquam praefatus Leopoldus Archiepiscopus condidisset, et ad dictos filios modernos memoratorum Ordinum et Institutorum respective Superiores, ut admitterent, exciperent et accepta haberent, proposuisset, iidem moderni Superiores, ea, qua par erat, animorum consensione, et obedientia iam accepta, et rata habuerunt, ad nos etiam transmisit, suppliciter rogans, ut approbare, et confirmare dignaremur. Nos vero illa, ut quoad omnes partes prius accuratissime examinarentur, ad Congregationem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum remisimus.

Pontifex examinanda proponit S. Congregationi de Prop. Fide.

D. Congregatio approbanda censet.

§ 4. Porro Congregatio praedicta tam institutione Missionum praedictarum, quam capitulis, regulis, et legibus huiusmodi maturo examine perpensis, ad nos retulit, aequum esse, ut piis eiusdem Leopoldi Archiepiscopi votis et precibus obsecundantes, praefata omnia tanquam proficua et salutaria approbaremus, et apostolicae auctoritatis nostrae munimine roboraremus.

Papa confirmat.

§ 5. Nos itaque, eumdem Leopoldum Archiepiscopum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eiusdem Congregationis Cardinalium consilio non solum Institutionem Missionum ab ipso Leopoldo Archiepiscopo susceptam statutamque, vero etiam praeinserta capitula, regulas, et leges, ac signanter omnes et singulas assignationes ab eodem Leopoldo Archiepiscopo pro Missionum huiusmodi manutentione factas, ut praefertur, et ab Archiepiscopis Salisburgen. successoribus suis perpetuis futuris temporibus omnino servandas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque defectus, si qui desuper in illis quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate supplemus, et sanamus.

Missionariis sic designatis et designandis aliorum Missionariorum praerogativas et privilegia elargitur.

§ 6. Insuper Missionarios tam ab ipso Leopoldo Archiepiscopo iam designatos et nominatos, quam sive ab ipso etiam sive suis successoribus in posterum iuxta capitula, regulas et leges praeinsertas designandos et nominandos, semper apostolicos missionarios dici, vocari et esse eadem auctoritate decernimus, et declaramus, eisdemque missionariis, ut omnibus et singulis privilegiis, honoribus, praerogativis et exemptionibus, quibus huiusmodi apostolici Missionarii tam de iure, usu, et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate praedicta concedimus, et indulgemus.

Eos directioni, et superioritati Archiep. subdit.

§ 7. Volumus quoque, ut Missionarii sic, ut praemittitur, instituti, ac deinceps in praedicta dioecesi instituendi, tam eidem Leopoldo moderno, quam pro tempore existentibus Archiepiscopis Salisburgen. regimini et directioni in iis, quae ad exercitium Missionis pertinent, subiacere, eisque omnino parere debeant, ac necessarias

(1) Regulae praetermittuntur, quas invenies in Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 216 et seq.

facultates ad Missiones praedictas exercendas ab eisdem Archiepiscopis, iuxta eis tributam, et deinceps singulis quinquenniis per organum memoratae Congregationis Cardinalium removendam mediante formula tertia praefatarum facultatum, auctoritatem in totum, vel in partem, sicut eisdem Archiepiscopis magis in Domino expedire videbitur, recipiant, servata semper eorumdem Archiepiscoporum tam circa facultates, quam circa loca et tempus easdem exercendi moderatione, nullo vero modo extra fines suae respective Missionis iis uti queant, ad quam donec et quousque pervenerint nulla prorsus exemptione et privilegio gaudere possint.

Archiepiscopis onus iniungit certiorem reddendi d. S. Congregationem de progressu Missionum.

§ 8. Hortamur demum paterne simul et efficaciter eosdem Archiepiscopos, ne graventur quolibet quinquennio, nempe cum renovari sibi praedictae formulae tertiae facultatum postulabunt, nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, per organum eiusdem congregationis de fructu et progressu dictarum missionum certiorare, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 9. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatis et Dioecesis Salisburgen., ac quorumcumque Ordinum, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. ianuarii MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

XLVI.

Rectori Collegii Corsini ritus Graeci apud Ullanum facultatem concedit promovendi ad Lauream doctoralem in philosophiâ et sacra theologiâ alumnos et convictores eiusdem Collegii, qui sex annis ad earumdem disciplinarum studia incubuerint (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Praeclara Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de Graecâ Ecclesiâ cum summâ apostolicae caritatis laude insignita meritorum, qui ad nationem Graecorum, tot SS. Patribus pietate ac doctrinâ illustribus inclytam, semper et ubique in pristinâ catholicae fidei unitate sanaeque doctrinae confessione retinendam confirmandamque eximiis beneficiis cumulare, patrocinio fovere, opibus iuvare et omnibus pontificiae benignitatis liberalitatisque officiis allicere, et quodammodo obligare adlaborarunt, studia recolentes, nos operam quoque nostram solicitudinemque, quantum cum Domino possumus, ad eiusdem Graecae nationis commodum, utilitatem ac decus et ornamentum desiderari haud passi sumus, nec in posterum patiemur.

Clemens Collegium pro Italo-Graecis construit, illudque Corsinum vocat.

§ 1. Primum quidem pro dilectis filiis Italo-graecis dictis, qui ex patriis regionibus propter catholicae fidei causam iamdudum profugi in Italiam advenientes in aliquot Neapolitani regni provinciis et dioecesibus domicilia fixerunt, ibique commorantes patrios sacros ritus, caeremonias, ceteraque non solum perpetuâ venerandae antiquitatis traditione integerrime custodita, verum etiam iteratis apostolicae huius S. Sedis oraculis approbata et confirmata sanctissime servare dignoscuntur, in Calabriae meditullio, ubi maxima illorum multitudo ac numerus reperitur, Seminarium

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 284, coll. etc.

seu Collegium de gentilitio nostro nomine Corsinum dictum excitandum instituendumque curavimus.

Eique dat in Antistitem simul et directorem Archiep. Beröensem.

§ 2. Deinde vero praeter rectorem, aliosque magistros et Ministros, qui sedulam alumnorum convictorumque in praedicto Seminario seu Collegio pro tempore existentium curam gerunt, ven. etiam fratrem Samuelem Beröensem Archiepiscopum, qui huiusce rei instituendae conficiendaeque ab initio nobis auctor, ex antedictâ natione Italo-graecâ oriundus, perfectam omnium eiusdem gentis rerum notitiam doctus, ipsos instrueret, sacris initiaret, ceteraque ad divinum cultum adaugendum catholicae fidei stabilimentum et animarum salutem procurandam opportuna et necessaria obiret, eidem Seminario et Collegio Antistitem et supremum moderatorem praefecimus, constituimus et deputavimus, et alias prout in nostris sub plumbo desuper expeditis literis uberius continetur.

Clementi supplicatum, ut rectori facultatem concederet alumnis et convictoribus dandi lauream doctoralem.

§ 3. Cum autem, sicut pro parte moderni rectoris Collegii praedicti nobis nuper expositum fuit, alumni convictoresque qui in eodem seminario seu collegio commorantes philosophiae ac theologiae operam navant, inde exacto philosophiae ac theologiae, ut praefertur, curriculo, exeuntes lauream earumdem scientiarum, quas inibi ediscunt, in aliis publicis Universitatibus laureandi facultatem auctoritatemque habentibus, in quibus alumni convictoresque praedicti nomine scientias huiusmodi percipere possunt, nullo pacto consequi valeant: nobis propterea eorumdem nomine supplicatum est, ut alumnis convictoribusque, tam de praesenti quam in futurum in eodem Collegio existentibus, eamdem apostolicae benignitatis gratiam, quam alumnis convictoribusque aliorum pontificiorum Collegiorum, ac praesertim huius almae Urbis nostrae, Romani Pontifices praedecessores nostri concesserunt, de apostolicae potestatis plenitudine elargiri dignaremur.

Benigne annuit Pontifex.

§ 4. Nos igitur volentes ipsis alumnis seu convictoribus quibuscumque et cuiusvis nationis et ritus existentibus gratiam facere specialem, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, moderno et pro tempore existentibus dicti Seminarii Italo-graeci Corsini rectoribus, ut ipsi de cetero, de consensu et auctoritate praefati et pro tempore existentis Antistitis huiusmodi, ut praemittitur, moderatoris et praesidentis, alumnos seu convictores, qui philosophiae et sacrae theologiae cursum in eodem Seminario integrum per sex saltem annos compleverint, atque in ultimo biennio etiam lectioni sacrae Scripturae per horam quotidie vacaverint, necnon omnibus qualitatibus ad id requisitis praediti fuerint, ad doctoralem tam in philosophiae quam sacrae theologiae studiis lauream auctoritate nostrâ apostolicâ promovendi, illisque solita laureae huiusmodi insignia conferendi.

Privilegia sic laureatis concedit.

§ 5. Utque sic promoti et declarati omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis et indultis, quibus alii, qui lauream huiusmodi in quacumque publicâ studii generalis Universitate susceperint, tam de iure, usu et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant in omnibus et per omnia, ad ecclesiasticas quoque quascumque etiam maiores in cathedralibus ac metropolitanis ecclesiis, etiam Praesulatus, dignitates, perinde ac si lauream huiusmodi in aliquâ approbatâ studii generalis publicâ Universitate susceperint, dictâ auctoritate concedendi et indulgendi plenam et amplam facultatem eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Praesentium literarum firmitas.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XIV. februarii MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

XLVII.

Episcopis et missionariis in regnis Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi sub gravissimis poenis praecipit obedientiam constitutionibus apostolicis debitam circa ritus Malabaricos (1).

Venerabilibus fratribus et Dilectis filis, Episcopis et Apostolicis Missionariis in regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi,

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Concredita nobis dominici gregis cura continuo nos urget, in id praecipue et totâ solicitudine incumbere, ut ab iis maxime, qui sortiti sunt partem ministerii huius et in lucem gentium sunt missi, erga S. Sedem ac apostolica mandata filiale obsequium exhibeatur, atque fidei dogmata sacrosque Ecclesiae ritus et ipsi intemerate retineant et alios edoceant, ut quos locorum immensa spatia a Petri Sede longe disiungunt, eos tamen fides eadem in unitate spiritus et doctrinae conglutinet.

§ 1. Alias itaque per similes literas nostras sub datum die XXIV. augusti anni MDCCXXXIV. incipientes *Compertum exploratumque* (2), fraternitates vestras omnesque missionarios, eo maiori quo potuimus paterno caritatis affectu, requisivimus et declaravimus, quam impense exoptaremus, ut qui in regnis istis Christi fidei veritatem agnoscentes convertuntur, superstitiosos gentilium ritus omnino abiicerent atque aversarentur, ne habeantur et ipsi ad instar eorum, qui *cum Dominum colerent, diis quoque serviebant iuxta consuetudines gentium:* utque in re tanti momenti nulla esset offendiculi occasio, auditis theologorum, ac praesertim venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam christianam Rempublicam generalium Inquisitorum suffragiis, plura, iuxta dubia tunc proposita, provide statuimus et a missionariis observanda praescripsimus. Quorum omnium in nos observantia, ac studium amplificandae fidei in certam spem nos erigunt, ut pari contentione pro viribus obtemperare satagant, nec ullus erit, qui detestabili indulgentiâ aliter fieri posse cogitet, et, veluti infideles filii, *peccare eos faciant peccatum magnum.*

§ 2. Sane etsi hisce mediis muneri nostro satisfecisse ac sine solicitudine esse suaderemur; attamen rei momentum, a qua fidei puritas atque integritas pendet, nunquam hanc in nobis curam delebit, nisi ad magnitudinem negotii opportuniora semper comparemus remedia. Quare fraternitatibus vestris et missionariis omnibus, quibus praedictas nostras literas direximus, sive seculares sive regulares cuiuscumque Religionis, Congregationis, Instituti, Societatis etiam Iesu fueritis, demandamus et praecipimus, ut omnia et singula, quae in dictis nostris literis continentur, integre, exacte ac inviolabiliter observetis, atque ab eis, quorum cura ad vos spectat, remotâ penitus quavis aliter interpretandi potestate, adamussim observari faciatis in virtute sanctae obedientiae sub poenâ suspensionis ab exercitio pontificalium, interdicti ab ingressu ecclesiae, et respective excommunicationis latae sententiae, a qua nemo vestrum a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, excepto tantum mortis articulo, absolvi possitis; et quoad regulares insuper privationis vocis activae et passivae, etiam ipso facto et sine ullâ aliâ declaratione incurrendae.

§ 3. Itidem sub iisdem poenis et censuris pari auctoritate praecipimus et mandamus, ut omnes et singuli, qui ab hac S. Sede sive ab eorum respective superioribus ad ista regna sacris obeundis missionibus missi eritis, statim ac de hisce literis nostris certiores facti fueritis, vel quavis aliâ denunciatione de illis notitiam habueritis, iuramentum praestetis, integre, exacte ac omnimode implere, quae provide a nobis in iisdem literis constituta fuerunt, neque illis ullâ in parte quovis sub praetextu contraire. Illis etiam, qui quandocumque hoc munus suscepturi erunt, mandamus ac praecipimus sub iisdem omnibus censuris et poenis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum explere, nisi antea et ipsi iuramentum praedictum praestiterint, quin nec tanquam presbyteri seculares ab Ordinariis locorum deputati, seu veluti simplices religiosi, vel quovis alio titulo et nomine christifidelium confessiones exci-

(1) Ex Bull. P. de P. F. vol. II., p. 279, collat. cum Regesto Bullarum Abbreviatoris de Curia.

(2) Vide pag. 448.

pere, conciones habere, aut sacramenta ministrare, sed omni prorsus careant potestate, derogando quibusvis privilegiis sibi ipsis, aut vestrae respective Religioni, Ordini, Congregationi, et Societati etiam Iesu specialiter aut generaliter a nobis et a praedecessoribus nostris quacumque ex causâ concessis. Iuramenta praedicta seculares missionarios coram locorum Ordinariis, regulares coram superioribus vel Apostolicis Vicariis praestare demandamus; Vicarios vero ipsos et superiores in manibus Episcoporum. Nec eadem tantum verbo proferre, sed scripto iuxta formam per nos praescriptam et infra adnotandam, ac propriâ manu subsignare teneamini sub iisdem censuris et poenis. Hoc etiam iuramentum praestandum fore mandamus ac requirimus ab illis, qui ad episcopale munus ab hac S. Sede promoveri meruerint, vel ipsomet die, quo in manibus Episcoporum solemnem emissuri erunt fidei professionem, vel in actu eorum consecrationis. Quorum iuramentorum subsignata exemplaria, relictâ istic in archiviis authenticâ copiâ, ad Congregationem de Propagandâ Fide per Episcopos et superiores regulares respective transmitti volumus, a qua ad illam S. Officii remittantur, ut sint obsequii erga nos nostrasque iussiones, puritatis, integritatisque fidei vestrae monumenta.

§ 4. Ne vero tam literarum nostrarum sub praedicta die XXIV. augusti anni MDCCXXIV. quam praesentium ullus ignorantiam allegare valeat, hortamur fraternitates vestras ac in Domino obtestamur, ut, quo primum illas atque praesentes receperitis, statim publicare faciatis, ac ad singulos missionarios, sive saeculares sive regulares fuerint sub vestrâ respective iurisdictione degentes, easdem transmittatis. Hoc ipsum praecipimus Apostolicis Vicariis, aliisque regularium superioribus. Contrafacientes vel negligentes declaramus incurrere ipso facto poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae; regulares autem excommunicationis latae sententiae, privationis officiorum et vocis activae et passivae.

§ 5. Formula autem iuramenti, sicut praemittitur, a missionariis praestandi, est quae sequitur, videlicet: *Ego N. Ordinis N., seu Societatis Iesu, missionarius ad regnum N., vel ad provinciam N. in Indiis Orientalibus a Sede Apostolicâ, vel a meis superioribus, iuxta facultates eis a Sede Apostolicâ concessas, missus vel destinatus, parendo praecepto SSmi D.N. Papae Clementis XII. per literas apostolicas in formâ Brevis datas die* XIII. *maii anni* MDCCXXXIX. *iniuncto omnibus missionariis in dictis missionibus praestandi iuramentum, fideliter servandi dispositionem apostolicam circa ritus Malabaricos ad formam literarum apostolicarum in formâ Brevis eiusdem SSmi Domini Nostri die* XXIV. *augusti anni* MDCCXXXIV., *incipienti* Compertum exploratumque, *mihi per integram eiusdem Brevis lecturam optime noto, promitto, me plene et fideliter pariturum, illudque exacte, integre, absolute et inviolabiliter observaturum et absque ullâ tergiversatione adimpleturum, necnon ad formam dicti Brevis instructurum christianos mihi commissos tam in concionibus quam in privatis instructionibus, ac praesertim cathecumenos antequam baptizentur, et, nisi promittant observantiam dicti Brevis eiusque dispositionum et prohibitionum, me ipsos non baptizaturum, prout quoque curaturum omni studio quo potero, ac omni diligentiâ, ut, sublatis gentium caeremoniis, illi a christianis suscipiantur et retineantur ritus, quos catholica Ecclesia pie praescripsit. Si autem (quod Deus avertat) in toto vel in parte contravenerim, toties poenis a SSmo Domino Nostro impositis in decreto seu literis apostolicis, ut supra, super praestatione huius iuramenti, mihi pariter per integram lecturam notis, me subiectum agnosco et declaro. Ita tactis sacrosanctis Evangeliis promitto, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec SS. Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

§ 6. Formula vero iuramenti, ut supra, praestandi ab Episcopis, est quae sequitur, videlicet: *Ego N. Episcopus civitatis N. memor iuramenti a me praestiti in actu meae solemnis consecrationis, quo Romano Pontifici fidem, subiectionem et obedientiam promisi, tum insuper eorum, quae provide sanxit Clemens XII. Pontifex Maximus circa ritus Malabaricos in literis apostolicis in formâ Brevis Episcopis et missionariis usque sub die* XXIV. *augusti anni* MDCCXXXIV. *transmissis, parendo mandatis Sanctitatis Suae per alias similes literas die* XIII. *maii anni* MDCCXXXIX. *iniunctis, ut in argumentum meae erga Apostolicam Sedem obedientiae, non minus quam filialis obsequii,*

me iurisiurandi religione obstringam, iuro et promitto, me plene et fideliter easdem literas apostolicas sub dictâ die XXIV. *augusti anni* MDCCXXXIV. *executurum, atque ea, quae in illis praescripta sunt, exacte, integre, absolute ac inviolabiliter observaturum, curaturum pariter, quantum in me erit, ut ii omnes, qui meâ in dioecesi missionarii et sacerdotes sunt vel futuri erunt, illas eodem prorsus modo in omnibus servent atque exequantur, et contra inobedientes, si qui fuerint, me processurum ad formam Brevis sub die* XIII. *maii anni* MDCCXXXIX., *ut, tandem sublatis gentium caeremoniis, illi a christianis recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pie praescripsit ac iugiter servat. Utque de hac meâ voluntate, iuramento, filialique obsequio erga Romanum Pontificem eiusque mandata perenne existat monumentum, propriâ manu me subscribo.*

Ego N. Episcopus N.

Ceterum etsi magna nobis spes sit, fraternitates vestras et missionarios omnes nostras voces et monita excipere diligenter, ac filiali obsequio exequi, curam insuper solicitudinemque plurimam gerere, ut tam orthodoxae Religionis puritati integritatique, quam gentium saluti adiumento sitis, omnesque in hanc unicam rem, maximam utique, labores sudoresque conferre, ut tandem qui Christi amplectuntur fidem superstitiosos aversentur ritus, eosque tantum suscipiant et retineant, quos catholica Ecclesia pie praescripsit ac iugiter servat; attamen pro pastoralis officii debito ac paternae caritatis stimulo iterum iterumque commonere non desistimus, ne a pastorum Principe in custodiâ gregis sui minus vigilasse diiudicemur. Et vobis interim in auspicium bonorum omnium apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCCXXXIX., pontif. nostri anno IX.

XLVIII.

De in praecedenti memorati iurisiurandi necessitate vehementius urget (1).

Venerabilibus fratribus Episcopis in regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi,

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Continere labia nostra non possumus, quin vos, venerabiles fratres, apostolica voce iterum alloquamur. Moleste nos, imo graviter, ferre usque adhuc certam denunciationem minime accepisse, qui tandem exitus contigerit nostris literis, quas die XXIV. augusti MDCCXXXIV. vobis et missionariis isthic commorantibus dedimus. Sane taciturnas haec curarum et angustiae nostro paterno erga vos amori causa est, tum et maxime quia, incertae licet, sparsae hic sunt voces, easdem nostras literas et decreta in publicum ab omnibus minime posita fuisse, nec exacte, prout oportet, adimpleri, quin non deesse aliquos, qui diversa opinantes ac loquentes adducunt discipulos post se. Quare primum fraternitates vestras ex animo requirimus, ut quomodo isthic res se habeat, quamprimum renunciatis, ne longior tarditas acerbiorem nobis afferat molestiam; deinde firma spe ducimur, zelo Dei vos impellente, in doctrina sana nobiscum exurgere in eos, qui contradicunt, ut memores officii, cui se addixerunt, sedulo caveant, ac diligenter prospiciant, ne culpa eorum *Gentes istae sint timentes Dominum, sed nihilominus et idolis suis servientes.* Hac de causa alteras misimus literas fraternitatibus vestris, atque missionariis, quibus gravioribus sub poenis demandamus, ut nostrae voluntatis sensibus et decretis obediant, et opere compleant. Ne vero, ut hactenus, unus alterum incuset, et nos, licet praesentes isthic spiritu, corpore tamen absentes suspensos incerti nuncii diu retineant, iuramentum ab unoquoque ex missionariis propria manu subsignandum expetere duximus, quo quisque profiteatur nostris iussionibus promptam atque exactam praestare obedientiam, prout latius in iisdem literis continetur. Hoc etsi tuto nobis polliceamur pro omnium pietate et religione, attamen plurimum collatura erit fraternitatum vestrarum exempli auctoritas, quoties idem iurisiurandi sacramentum, in certum erga

(1) Ex Bull. Pont. de Prop. Fide vol. II., p. 283.

S. Sedem et in nos obsequii vestri testimonium praestitisse, atque nobis misisse, vos intelligant, prout in Domino etiam atque etiam obtestamur. Porro hanc unam esse detegendae veritatis viam, unum praesidium ad obstruendum os loquentium iniqua, vosmet facile cognoscere non dubitamus: quare pontificiam voluntatem, ceteroquin in vos propensam magis magisque vobis devincietis, si industriae, cogitationi, studio denique vestro vim addatis exemplo, nec sane veremur, quin eam reverentiam, quam suscipientes episcopale munus huic S. Sedi et apostolicis mandatis spopondistis, hac tamen opportuna occasione explicaturi luculentius eritis, ut quos ad iuramentum proferendum vos adire obstringimus, ex facto etiam vestro obedire praeceptis nostris arctius impellantur; ac vobis, venerabiles fratres, in perpetuum amoris nostri pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

XLIX.

Confirmat decretum capituli generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini quo prohibetur recipi mulatos *et* mestizos (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

In capitulo generali Ariminensi approbatum decretum, quo cavetur recipi in Ordine *Mulatos* et *Mestizos*.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius Padilla, frater expresse professus et in sacrâ theologiâ magister, ac provinciae Mexicanae Ordinis eremitarum Sancti Augustini procurator, quod in capitulo generali dicti Ordinis nuper in civitate Ariminensi celebrato, inter alia decreta a venerabili fratre Nicolao Episcopo Isclano tunc dicti Ordinis magistro generali condita, approbatum fuit illud tenoris qui sequitur, videlicet:

Cum compertum sit, summum dedecus nostrae religioni inferri, si ex ignobili vulgo ad illam admittantur, qui in saeculo suis inhonestis et depravatis moribus despectum communem merentur, cuiusmodi sunt omnes illi qui vulgo *mulatos* et *mestizos* appellantur, nimisque indecens existimetur quod isti, animarum regimini incumbentes, superiorum sedes occupare sinantur: stricte praecipimus, sub poenis a nostris constitutionibus, part. II., cap. I., n. IV. et VIII., contra inhabiles recipientes, ut tales imposterum ad habitum religionis non admittantur; si vero contra hoc decretum recipi aliquando contigerit, irritam et nullam ipso facto receptionem et professionem fore declaramus: non enim est animus religionis illos admittere et veluti filios habere, quos respublica saecularis tamquam infamiae notâ affectos contemnit, et ob propriam vilitatem ab officiis honorificis excludit. Quapropter omnibus in futurum religionem ingressuris ante receptionem ad habitum et professionem hoc nostrum mandatum notificari praecipimus. Similiter prohibemus dictos *mulatos* et *mestizos* (si qui in dictâ provinciâ iam fuerint admissi) deinceps ad officia cum curâ animarum assumi, sub poenis ipso facto incurrendis nullitatis electionis aut nominationis, et, quoad eligentes et nominantes, privationis vocis activae et passivae per decennium, quod olim respective ad dictos mulatos praeceptum fuit a nostro praedecessore Fulgentio Travalloni in suis decretis anno MDCLXXXVIII. pro dictâ provincia expeditis.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ignatius nobis subinde exponi fecit, ipse, decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio cemmuniri summopere desideret: **Procurator generalis Ordinis huiusmodi decretum petit confirmari.**

§ 3. Nos, ipsum Ignatium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, ac omnia et singula in eo contenta, a praedicto Nicolao Episcopo et magistro generali condita, et a capitulo generali praedicto approbata, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, il- **Petitis annuit Clemens.**

---

(1) Ex Regest. in Arch. Brev.

lique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate supplemus et sanamus.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis, praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. augusti MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno X.

L.

Confirmat regulas pro monachis Graecis Melchitis Congregationis Sancti Ioannis Baptistae in Soairo in Monte Libano Romae degentibus ad ecclesiam S. Mariae in Domnicâ pro missionibus; quam ecclesiam, cum omnibus dependentiis, eisdem monachis concedit (1).

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Sol iustitiae Iesus Christus fidei nostrae auctor et consummator, qui, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eos atque portavit in humeris suis, gallinae quoque similitudinem congregantis sub alas pullos suos assumere voluit, inter praecipua divinae caritatis ornamenta catholicae Ecclesiae sponsae suae legata, hoc prae ceteris in fine commendare dignatus est, ut tamquam communis omnium fidelium mater ex universis quae sub caelo sunt nationibus filios ad ipsius sinum accurrentes amantissime exciperet ac foveret. Eapropter Romanae Ecclesiae Summi Pontifices praedecessores nostri, quos suos in terris vicarios usque ad consummationem saeculi constituit pastorum princeps, eiusdem exemplis eâ qua decet veneratione semper obsequentes, non solum populos e remotissimis ac dissitis regionibus ad omnium ecclesiarum matrem et magistram venientes benignissime complexi sunt, verum etiam in omnes orbis terrae partes apostolicos viros, qui undique conquirerent, allicerent, atque ad ipsam deducerent filios, mittere consueverunt. Nos autem, quibus nullum est iucundius solatium, quam ut Romanae Ecclesiae per spirituale connubium nobis desponsatae eos etiam demus filios, qui, licet alibi nati, hic tamen instituti, ad fratres suos communi matri conciliandos aliquando pergant, nunquam omisimus, quin laudatissima eorumdem praedecessorum nostrorum studia consectaremur.

Ecclesia S. Mariae in Domnicâ monachis Soaritis data.

§ 1. Enimvero inter alios diversarum nationum dilectos filios, quibus in hac almâ Urbe nostrâ et alibi opportuna apostolicae benignitatis commoda impertiti sumus, dilectis itidem filiis monachis Graecis Melchitis dictis Congregationis S. Ioannis Baptistae in Soairo in Monte Libano, qui e Phoeniciâ sive Syriâ Romam appulerunt, ecclesiam S. Mariae in Dominicâ seu Domnicâ, vulgo *della Navicella,* de dilecti filii nostri Nicolai S. R. E. presbyteri Cardinalis Coscia nuncupati eiusdem ecclesiae titularis consensu, die XXIII. iulii anno MDCCXXXIV. concessimus. Ecclesiae vero adiectarumque eidem parvarum aedium rerumque sacrarum et profanarum possessionem illi die XXIX. eiusdem mensis et anni adierunt.

Regulas ii sibi constituerunt.

§ 2. Interea temporis nonnullas sibi regulas pro debitâ iuxta eorumdem institutum regularis disciplinae observantiâ praescripserunt: quas, cum dilectus pariter

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 287, coll. etc.

filius noster Ludovicus S. R. E. praefatae presbyter Cardinalis Belluga nuncupatus accurate perpensas probasset, apostolicae etiam auctoritatis nostrae confirmatione dignas existimavit.

Earumdem antem tenor est qui sequitur, videlicet:

Regulae pro monasterio S. Mariae in Domnicâ monachorum Graecorum Melchitarum Congregationis S. Ioannis in Soairo nuncupatae.

Monachi post studia parati debent esse ad obeundas missiones.

I. Cum hoc monasterium S. Mariae in Domnicâ a sanctissimo domino nostro Clemente XII., pontifice maximo, ad propagandam conservandamque religionem catholicam Romanam apud Melchitas graeci ritus in Syriâ, monachis catholicis eiusdem nationis Congregationis S. Ioannis in Soairo concessum sit: dabit operam eiusdem loci abbas, ut ex monachis, quos de familiâ perpetuo habere debet, nonnulli religiosi ad litterarum studium deligantur, qui, eo completo, prompti paratique sint ad eas missiones obeundas, ad quas illos sacra Congregatio de Propagandâ Fide mittendos iudicabit.

Qualitates requirendae in monachis Romam ab abbate generali mittendis.

II. Oneratur conscientia abbatis generalis, ne Romam mittat nisi monachos iam professos, singulari pietate ornatos, moribus integerrimis praeditos, et optimâ corporis valetudine instructos: ii vero, qui ad studia erunt designati, nec sint aetate minores annis duodeviginti, nec maiores annis quadraginta. Omnes praeterea debent vel esse sacerdotes, vel ad sacerdotium, aetate a sacris canonibus praescriptâ, hic in Urbe ab Episcopo graeci ritus promoveri.

Unus ex Cardinalibus Congregationis de Propagandâ Fide huic monasterio datur in protectorem.

III. Unusquisque dimissorias abbatis generalis secum deferre teneatur, quae statim eminentissimo domino protectori erunt exhibendae. Is autem semper erit unus ex Cardinalibus sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, cuius directioni ac regimini tam monachi quam monasterium praefatum S. Mariae in Domnicâ subiaceat.

Iuramentum a monachis studentibus praestandum.

IV. Simul ac Romam pervenerint, expleto mense, spiritualibus exercitiis decem vel octo dierum spatio diligenter incumbant: quibus peractis, qui ad studia sunt destinati, coram abbate iuramentum praestent iuxta formulam hic appositam, exhibendum postea in proprio autographo sacrae Congregationi de Propagandâ Fide: *Ego N. N. monachus professus Congregationis monachorum Graecorum Melchitarum S. Ioannis in Soairo nuncupatae iuro et promitto in manibus R. P. N. N. abbatis monasterii S. Mariae in Domnicâ, me ab hoc monasterio non discessurum, neque discedere curaturum mediate vel immediate per me vel per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ ab eminentissimo ac reverendissimo domino Cardinali protectore; insuper pro fide catholicâ propugnandâ ad eum locum sine repugnantiâ me iturum, ad quem a sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide destinatus fuero. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

Tempus morae per singulos monachos in hoc monasterio faciendae.

V. Tam studentes quam ceteri monachi ultra octo annos in praedicto monasterio morari non poterunt. Quod si aliqua urgeat necessitas, et ratio expostulet ut aliquis eorum, vel perpetuo, vel ad aliquod certum tempus, ultra octo illos annos moretur, facultas omnino ab eminentissimo protectore petatur, excepto abbate, cuius mora in hoc monasterio vel regressus in Syriam a generali abbate dependet.

Cui monachi et abbas subiecti esse debeant.

VI. Omnes sint subiecti abbati generali in Syriâ residenti, itemque abbati qui ab eodem in praedicto monasterio constituitur. Abbas autem ad hoc monasterium destinatus patentes suas litteras eminentissimo protectori exhibebit. Nec abbati vero nec aliis liceat aliquem monachum in Syriam, nondum completis octo annis, absque facultate et consensu eminentissimi protectoris dimittere.

Regulae et ritus inibi observandi.

VII. Omnes diligenter observent regulam et monasticas constitutiones, quae apud reliquos eiusdem Congregationis monachos Graecos Melchitas in Syriâ vigent et solent observari. Praeterea servent ritum graecum a S. R. E. approbatum iuxta decretum sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, tam quoad sacram liturgiam ac divina officia, quam quoad ieiunia.

Cura abbatis de monachis.

VIII. Monasterii abbas monachos de rebus omnibus necessariis provideat, et in iis quae ad victum et vestitum spectant, quoad fieri poterit, consuetudinem ceterorum Syriae monasteriorum sequatur.

Studia, quibus incumbere debent.

IX. Doceantur monachi, praeter linguam arabicam et graecam, etiam superiores scientias, videlicet dialecticam, philosophiam ac theologiam, tam moralem quam polemicam. Quod si contingat ut aliquis idoneus ad linguam latinam habeatur, permittat abbas ut ille in monasterio, ultra annos praescriptos, alterum annum vel duos etiam

commoretur, habitâ tamen eminentissimi protectoris facultate.

Methodus studiorum praescripta.

x. Lectiones tum linguarum tum scientiarum in publico loco sunt habendae per quinque dies qualibet hebdomadâ, exceptis diebus festis, necnon vacationibus, quas eminentissimus protector describi in catalogo iubebit; horis quidem antemeridianis per horam cum dimidio; horis vero pomeridianis per unam horam: ita tamen ut horarum canonicarum in choro ab omnibus simul pensum quotidianum persolvatur.

Tempore lectionum domo egredi nemo debet nisi ex urgenti necessitate.

xi. Prohibentur lectores et studentes vel se se quotidianis lectionibus eximere, vel domo, diebus sibi ad studium statutis, sub quocumque praetextu vel causâ exire, nisi post completas lectiones absolutasque ceteras exercitationes die illâ peragendas. Primo(1) monasterii tamen necessitate permittitur abbati sacerdotes studentes ad sacram liturgiam celebrandam extra domum destinare ad summum duos per hebdomadam, ita ut in sequenti alii duo primis succedant.

Studentes officiis distractivis non onerandi.

xii. Studentes officiis distractivis non onerentur, ut puta, procuratoris, cellerarii et similibus, quae studiis litterarum obesse credantur.

Visitationes monasterii per eiusum protectorem et secretarium sacrae Congregationis de Propagandâ faciendae.

xiii. Quolibet semestri publicum habeatur examen circa cuiusque studentis profectum coram abbate, ceterisque monachis sacerdotibus: semel in anno eminentissimus protector unâ cum reverendo patre domino secretario Sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, vel hic solus unâ cum aliquo linguae arabicae et graecae perito, necnon scientiarum, quibus monachos operam dare contigerit, visitare monasterium dignetur ad explorandum studentium progressum atque monachorum statum agnoscendum.

Quolibet die dominico habenda catechesis.

xiv. Omnibus diebus dominicis singuli studentes per turnum in publico monachorum conventu concionem, seu catechesim, vel solutionem alicuius casus conscientiae, aut difficultatis ex theologiâ polemicâ habeant.

Completo studiorum cursu monachi in Syriam transmittendi.

xv. Completis annis octo, nullâ interpositâ morâ, monachi studentes, cum consensu eminentissimi protectoris, in Syriam ad abbatem generalem transmittantur; illosque idem abbas generalis in illo monasterio collocabit, prout magis expedire in Domino iudicabit.

Hospitalitas servanda.

xvi. Peregrini Graeci Melchitae, qui ex Syriâ, Palaestinâ et Ægypto ad Urbem sacra loca visitaturi accedunt, iuxta religiosae hospitalitatis regulam ad triduum excipiantur.

Approbatio regularum per Card. Belluga.

Nos infrascripti regulas istas, monachis Graecis Melchitis Congregationis S. Ioannis Baptistae in Soairo nuncupatae apud ecclesiam S. Mariae in Domnicâ habitantibus praescriptas, diligenter accurateque perpendimus. Cumque nihil contineant, quod orthodoxae fidei, bonis moribus aut disciplinae monasticae adversetur, dignas iudicamus, quae litteris apostolicis confirmentur. In quorum fidem, hac die iii. augusti mdccxxxix.

Ludovicus Card. Belluga.

Ipsi monachi eas confirmari petunt.

§ 3. Quoniam monachi praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi supradicta omnia, et praeinsertas regulas, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae munimine corroborari summopere desiderant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut, non solum sibi in praemissis opportune providere, verum etiam emolumenta eidem ecclesiae addicta sub titulo simplicis beneficii seu canonicatus, dilecto pariter filio Francisco Clementi Ceccarini presbytero collati, et per eum de praesenti possessi, ipsis, post eiusdem Francisci Clementis obitum, nunc pro tunc in perpetuum assignare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praestat Pontifex et monasterio unit beneficium simplex aliâs in eâdem ecclesiâ erectum.

§ 4. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem memoratae ecclesiae S. Mariae in Dominicâ seu Domnicâ eisdem monachis Graecis Melchitis, de consensu dicti Nicolai Cardinalis et titularis, cum omnibus et singulis rebus et supellectilibus tam sacris quam profanis in eâ existentibus, aediumque ecclesiae praedictae annexarum et connexarum, necnon possessionem praemissorum omnium a monachis praedictis captam,

(1) Videtur pro *Primo* legendum *Pro*.

et regulas praeinsertas auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus, dictosque monachos, donec et quousque ibidem remanserint, et ecclesiae praedictae inservierint, in locum eiusdem Francisci Clementis, quoad possessionem praefati simplicis beneficii ecclesiastici seu canonicatus nuncupati, dictae ecclesiae annexi, post Francisci Clementis praedicti obitum in omnibus et per omnia, auctoritate et tenore praedictis, substituimus et subrogamus. Ceterum volumus, ut fructus, redditus et proventus dicti beneficii, donec et quousque ipse Franciscus Clemens vixerit, illi persolvantur, et monachi praedicti, nonnisi post obitum huiusmodi, seu renunciationem aut cessionem beneficii huiusmodi per memoratum Franciscum Clementem ad eorum favorem faciendam, dicti beneficii possessionem apprehendere, illiusque bonorum ac dictorum fructuum, reddituum et proventuum administrationem suscipere, gerere et exercere possint et valeant, nec alicui licitum sit post obitum Francisci Clementis praedicti in illo se ingerere, seu de illo disponere.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, piae memoriae Pauli II. et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisve apostolicis, ac, in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictae ecclesiae et beneficii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. septembris MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno X.

LI.

Confirmat nonnulla decreta pro collegio Anglorum de Urbe (1).

CLEMENS PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Quare statuta in Concilio Tridentino seminariorum erectio.

Apostolica haec Sancta Sedes, ut, quales ad animarum salutem et Dei gloriam Christi ministros et dispensatores ministeriorum Dei optat, tales sibi formaret integerrimos, atque christiano populo exhiberet, in Tridentinâ Synodo statuendum

(1) Ex Bull. Pont. de Prop. Fide pag. 292. Gregorius XIII. seq. const. colleg. instituit.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quoniam divinae bonitati visum est humilitatem nostram turbulentissimis christianae reipublicae temporibus ad excelsum universalis Ecclesiae culmen sublevare, haereditatisque, quam pretioso sanguine suo quaesivit, administrationem curae nostrae commendare, ea nostrum perpetua sollicitudo exacuit animum ad pie meditandum quo pacto et Dei misericordiae, a qua tantum accepimus, nos gratos exhibeamus, et nostram Ecclesiae suae operam, quantum, divina benignitate adiuti, possimus, non inutilem faciamus.

Constitutionis causa.

§ 1. Quare cum quotidie, non sine gravi animi nostri dolore, sanctam Domini nostri Iesu Christi sponsam diversorum eius hostium conspiratione et violento ex multis partibus incursu oppugnari cernamus, antiquisque hostibus infidelibus turcis iudaeisque novos haereticos et schismaticos accessisse, qui, omni impietate et scelere imbuti, ac, veluti adversarii nostri, furiis exagitati, in piae matris exitium feruntur, quod officii nostri ratio a nobis expostulat, ad hominum impetus, quo maxime opus esse videmus, vires nobis a Domino traditas opponimus, populosque imbecillitati nostrae a divina benignitate concreditos praesidiis contra hostium oppugnationes paratis communimus. Cumque nullum firmius praesidium aut remedium certius inveniri possit, quam ut regionum ab hac peste oppressarum iuventus, cuius teneros animos facile est ad virtutem flectere, catholica religione imbuatur, ab initio usque nostri pontificatus operam dedimus

curavit, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus, ubi redditaum locorumque conditio patiebatur, adolescentium collegia, sive seminaria, ex quibus, experientiâ magistrâ, compertum erat quanta catholicae Ecclesiae utilitas extitisset, instituerentur, atque insimul ratio qua erigantur, erectaque ecclesiasticis institutis erudiantur, consultissime traderetur.

Aliorum exemplo diversa nationum collegia a Pontificibus constructa; et proborum virorum visitationi commendata.

§ 1. Hinc Pius IV. felicis recordationis aliique subsequentes Romani Pontificis praedecessores nostri, ut ceteris antistibus exemplo praeirent ac facem praeferrent, quamplurima in hac almâ Urbe praesertim atque ut diversarum nationum collegia, veluti catholicae religionis et sincerae ad eam institutionis seminaria nostris sumptibus in Urbe erigerentur.

Gregorius I. induxit Anglorum nationem ad fidem catholicam.

§ 2. Quae interea dum sedulo agimus, ad Angliae regnum, magnis quondam opibus et catholicae fidei studio florentissimum, nunc vero a teterrima haeresis labe, quae omnes fere eius partes comprehendit, devastatum, pietatis oculos dirigentes, eiusque calamitatem, ut saepe alias, miserantes, reperimus Anglorum nationem, ad Christi fidem a B. Gregorio Pontifice conversam, ex eo tempore singularem fidem, reverentiam atque obedientiam erga Romanum Pontificem sanctamque Sedem Apostolicam praestitisse; quae etiam in tanta nostrorum temporum caligine in aliquibus insignibus illis quidem et illustribus viris refulsere, qui, pro huius Sedis dignitate et orthodoxae fidei veritate, vitas suas cum sanguine ponere non dubitarunt; versanturque quotidie ante oculos nostros, iuvenes, ex illo miserrimo regno huc profugientes, qui divino spiritu ducti, patria, parentibus et bonis relictis, sese nobis ad catholicae religionis, in qua nati sunt, institutionem suscipiendam miserabiliter offerunt, eo animo ut salutem sibi primum comparent, deinde vero ut, post adeptam divinarum rerum scientiam, in Angliam ad alios, qui a via veritatis declinarunt, erudiendos revertantur.

Hic igitur Pontifex, ad imitationem dicti Gregorii I., pro Anglorum ab haeresi revocatione, collegium Anglicum in Urbe erigit;

§ 3. Nos igitur, Gregorii, eius nominis primi, pia in Anglos officia, eiusque erga illos bonitatem imitari cupientes, ut quemadmodum ipsi concessionis, sic et nobis ab errore revocationis beneficium accepisse in Domino laetentur; ac propensam eorum erga Sedem praedictam devotionem adolescentium, item catholicae doctrinae adipiscendae studium amplectentes, motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et fidei catholicae incrementum, dilectaeque nobis nationis Anglicanae commodum et salutem, in aedibus hospitalis Anglorum de Urbe unum collegium Anglicanum nuncupandum perpetuo erigimus et instituimus, in quo non minus quam quinquaginta scholastici, ex omni natione et linguae idiomate regni Angliae, cum suo rectore et ministris necessariis, alantur, qui inibi in philosophia ac theologia se exerceant, graecis item hebraicisque litteris, pro captu cuiusque, operam dent, in eisque tantum proficere studeant, quantum satis esse videatur.

Annuos redditus eidem assignat;

§ 4. His porro omnes ii studiis operam navabunt, ad quae a superioribus dirigentur, seque praeterea in pietate et devotione, cantibus ecclesiasticis, caeremoniis et sacris officiis, ut melius ipsis superioribus visum fuerit, exercebunt. Ad eorum autem omnium sustentationem nos annuos redditus trium millium scutorum auri in auro ex Apostolicae Camerae seu Datariatus rationibus singulis mensibus pro rata, donec eis aliunde a nobis aut successoribus nostris de simili annuo reddita prospectum fuerit, libere et integre praestandos, constituimus.

Locum pro collegio concedit etc.,

§ 5. Et praeterea eis perpetuo concedimus et assignamus pro eorum habitatione et usu aedes praedictas, in quibus cappellani Angli olim habitabant, nunc vero dicti scholastici iussu nostro habitant, cum duabus domibus dicto hospitali contiguis ad sinistram partem versus ecclesiam S. Brigidae Svetiorum, et quaecumque illis circumcedunt. Ac pro divini cultus exercitio ecclesiam Sanctissimae Trinitatis et S. Thomae martyris Anglorum, necnon pro dote dicti collegii ac rectoris, scholasticorum et ministrorum praedictorum sustentatione, omnes et quascumque alias domos, tabernas sive apothecas, stabula, hospitia, hortos, areas, proprietates, census, fructus, ceteraque omnia et quaecumque bona mobilia, immobilia et semoventia, necnon res, actiones et iura dicti hospitalis, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque consistentia, cuiuscumque qualitatis, speciei, naturae, pretii, quantitatis ac etiam annui valoris existentia, quae omnia, eorumque situationes, nuncupationes, confinia et latera, ac si nominatim et in specie describerentur praesentibus, pro expressis haberi, et aedes ac cetera quae signari possunt, ut a ceteris internoscantur, quamprimum armis et signis dicti collegii forinsecus notari volumus, eaque omnia a dicto hospitali omnino separamus, et ad ipsum collegium transferimus, ita ut protector et scholastici praedicti corporalem illorum omnium possessionem, per se vel alium seu alios, propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus, iura, obventiones ac emolumenta omnia percipere, exigere et levare, ac in suos et dicti collegii communes usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, vicarii Urbis aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita; oeconomus vero et alii ministri ac servientes dicti collegii, ipsius rectori subsint, et ad eius praescriptum et mandatum omnino obsequantur, nihilque contra illius voluntatem faciant vel attentent; ipseque oeconomus, protectori dicti collegii pro tempore existenti, vel etiam ipsi rectori volenti et requirenti, aut ab eorum quolibet deputatis, bis in anno, vel quotiescumque ei vel eis visum erit, rationem reddere teneatur. Cum eo tamen quod si aliquo tempore praedictum collegium ex quacumque causa dissolvi contingat, aedes, ecclesia, domus, census ceteraque omnia praedicta perinde praedicti hospitalis sint, ac si erectio collegii et alia praescripta numquam emanassent, prout nos ex nunc in eum eventum hospitale ipsum, quoad illa omnia, in integrum restituimus.

Ministris dicti hospitalis ne molestent collegium et eius personas super praedictis praecipit;

§ 6. Eo ipso districtius inhibentes cappellanis praedictis, necnon dicti hospitalis gubernatoribus et administratoribus, cuiuscumque nominis et dignitatis, ne deinceps in aedibus, ecclesia, domibus, apothecis, censibus, fructibus aliisque rebus, iuribus et actionibus praedictis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, sese interponere, aut collegium, rectorem, scholasticos et ministros, praesentes et futuros, molestare audeant vel perturbare. Ac decernentes ex nunc irritum et inane quicquid contra praemissa et etiam praesentibus contenta, per eosdem aut quosvis alios, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Collegium a iurisd. Ordinariorum et quorumcumque iudicum exemit.

§ 7. Praeterea collegium ipsum, eiusque rectorem, scholasticos et ministros in perpetuum, ac praedicta ceteraque omnia eorum bona, mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dicta Urbe et extra et alio ubique locorum consistentia, sub nostra beatique Petri et huius Sedis protectione suscipientes, ac nobis et eidem Sedi protinus subiicientes, illa omnia in universum, et singulatim ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis vicarii, gubernatoris, senatoris, consulum, conservatorum et reformatorum dictae Urbis, causarum Curiae Camerae Apostolicae generalis

alibi a fundamentis excitata, tum pro omnium indiscriminatim tum pro nonnullarum seorsim nationum dumtaxat commodo collegia et seminaria atque instructa, saluberrimis etiam legibus ac regulis commonire studuerunt. Quoniam autem omnia sanctissime constituta, nisi advigiletur ut eadem quo ab initio statuta spiritu, atque iisdem deinceps, quibus dum primus in virtutibus proficiendi ardor fervebat disciplinae studiis servata sunt, imposterum custodiantur, lapsu temporis sensim in desuetudinem abire conspiciuntur, ut non solum sarta tectaque semper consisterent,

---

auditoris, necnon rectoris Studii generalis et aliorum quorumcumque tribunalium et iudicum et officialium, necnon Ordinariorum locorum, rectorum parochialium ecclesiarum et quorumcumque aliorum in dicta Urbe vel alibi constitutorum.

Et a solutione pedagiorum et gabellarum;

§ 8. Illiusque ac etiam in propriis eorum rebus et bonis cum eis contrahentes a solutione et exactione quorumcumque pedagii, gabellae, bollettini, etiam ratione vini Ripae et Ripettae, necnon grani, olei, pannorum cuiuscumque generis et quarumcumque aliarum rerum, necnon decimarum et cuiuscumque alterius, tam ordinarii quam extraordinarii, oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, perpetuo eximimus et prorsus liberamus.

Indulta studii Urbis concedit.

§ 9. Insuper, eisdem collegio et scholasticis, rectoribus et gubernatoribus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus Studium generale dictae Urbis et illius rector doctoresque in eo degentes quomodocumque utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia concedimus, illaque eis communicamus.

Inhibitio contra omnes officiales, ne collegium et eius personas super praemissis molestent.

§ 10. Praecipimusque et interdicimus vicario, gubernatori, auditori, senatori, consulibus, conservatoribus, reformatoribus, rectoribus, iudicib., officialib. et aliis praedictis, necnon Sanctae Rom. Ecclesiae camerario, praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis commissariis ad exactionem vectigalium, portoriorum, decimarum et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis universe et singulatim, ne, quarumcumque facultatum, privilegiorum et litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum occasione vel praetextu, collegium, scholasticos, rectorem, ministros, gubernatores praedictos seu eorum aliquem, etiam super usu et perceptione praedictorum et aliis praemissis impediant vel molestent, nec impediri vel molestari permittant.

Facultas superiorum collegii promovendi, cum consensu protectoris, scholares ad gradus etc.

§ 11. Ad haec, superioribus dicti collegii, cum censura tamen protectoris praedicti, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac scientia et moribus idoneos esse repererint, in praedictis facultatibus artium et theologiae baccalariatus, licentiaturae doctoratusque et magisterii gradus, servata forma concilii Viennensis, et alias iuxta Universitatis Studii eiusdem Urbis consuetudinem, promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi; utque in facultatibus supradictis sic promoti illas publice et privatim, etiam in omnibus Universitatibus Studiorum generalium, interpretari, et alios docere, ac de eis exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius et aliarum Universitatum huiusmodi constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint et debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate, iuxta statuta, consuetudines et mores praedictos suscepissent, concedendi licentiam tribuimus.

Scholares et alumni eiusdem collegii promoveri possint extra tempora, et absque Ordinariorum litteris dimissoriis, et sine titulo, et non obstan. defectu natalium.

§ 12. Postremo, cum eosdem scholares huius collegii alumnos, post longos studiorum vel coeptorum vel consummatorum labores, sacerdotali militiae, pro temporis vel loci necessitate, adscribere conducat, ut ministeriis et functionibus sacris assuescant, dictaeque ecclesiae Sanctissimae Trinitatis officia praestent, seu ut operarii mittantur, eisdem alumnis, ut de licentia protectoris, ac dicti collegii rectoris consensu et examine praecedente, etiam extra tempora a iure statuta, interstitiisque temporum a Concilio Tridentino praestitutis non exspectatis, et etiam absque suorum Ordinariorum litteris dimissorialibus, ac sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo et non obstante quovis natalium defectu, super quo cum talibus per easdem praesentes dispensamus, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri, postquam promoti fuerint, in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare, ac etiam tam ipsi quam ceteri omnes in dicto collegio degentes, ut Poenitentiae ac Eucharistiae, etiam die Paschatis et Extremae Unctionis sacramenta a confessario aut alio sacerdote ipsius collegii, a rectore illius constituendo, suscipere libere et licite valeant indulgemus.

Protectoris deputatio et facultates.

§ 13. Ut vero eiusdem collegii conservationi bonoque regimini, tam in iis quae ad alumnorum ipsorum institutionem et disciplinam, quam quae ad victum et vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, utque promptum paratumque sit eis auxilium, venerabilem fratrem nostrum Ioannem Episcopum Ostiensem, Cardinalem Moronum nuncupatum, eiusdem collegii protectorem et defensorem constituimus et deputamus, cuius consilio et opera tam supradicta quam quaecumque alia ad scholasticos in eodem collegio admittendos et retinendos et ab eo dimittendos spectantia agantur, statuantur et ordinentur, dantes eidem et pro tempore protectori existenti praedicti collegii, pro salubri illius conservatione et directione scholasticorum, bonorum et rerum ac iurium temporalium et spiritualium eiusdem, plenam et liberam facultatem et auctoritatem oeconomos, advocatos et procuratores in eo deputandi et amovendi, et alios eorum loco sufficiendi; differentias, lites et controversias inter quascumque personas, tam alumnorum quam ministrantium clericorum et laicorum, non tamen presbyterorum ipsius societatis exortas, summarie, simpliciter et de plano, sine figura aut strepitu iudicii, appellatione quacumque remota, decidendi, definiendi, terminandi et exequendi; ordinationes praeterea et statuta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et concilio Tridentino praedicto non contraria, faciendi et edendi, eaque, cum opus fuerit, revocandi, immutandi et corrigendi, aliaque de novo condendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde habeantur et observentur, ac si auctoritate apostolica approbatâ et confirmata essent, prout nos illa ab omnibus dicti collegii alumnis ita haberi et inviolabiliter observari mandamus.

Forma recipiendi alumnos collegii.

§ 14. Quod autem ad dictorum alumnorum admissionis modum et formam deinceps habendam attinet, statuimus et ordinamus, eos, qui admittendi erunt, prius ab examinatoribus per dictum protectorem in Gallia, etiam Belgica, aut alibi, prout illi convenientius videbitur, designatis vel designandis, iuxta formam ab ipso protectore praescribendam, examinari, et praehabito huiusmodi examine, si constiterit ipsi protectori, praedictorum

verum etiam stabiliori observantiâ firmarentur, iidem praedecessores nostri consueverunt nonnullos interdum deputare diligentissimos inspectores, qui, collegia seu seminaria huiusmodi, etsi legum regularumque praescriptarum observantissima, adeuntes, abusus, si qui forte irrepsissent, tollerent, novis, quas opportunitas ac ratio suaderent, indicendis legibus collabentem disciplinam instaurarent, et, quaecumque ad virtutum incrementum proficua et magis necessaria perspexissent, praescriberent praeciperentque.

Duobus Cardinalibus demandata collegii Anglicani de Urbe visitatio.

§ 2. Nos vero luculentissime eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, quantum cum Domino potuimus, nostras quoque hanc in rem partes conferre non omisimus, ac, postquam nonnulla alibi collegia ereximus, salutaria etiam apostolicae providentiae remedia ceteris huius almae Urbis praedictae collegiis adhiberi voluimus. Quae quidem ne ab ecclesiâ S. Thomae et collegio Anglorum de Urbe nuncupato desiderari pateremur, dilectis filiis nostris Ioanni Antonio de Viâ et Dominico Riviera presbyteris S. R. E. Cardinalibus, ac dilecto filio magistro Philippo de Montibus, nostro et Apostolicae Sedis notario protonotario nuncupato, et Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. praedictae Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum secretario, ab anno MDCCXXXIX. tale officium commisimus.

Decreta ab eis lata.

§ 3. Qui sane, pro singulari sapientiâ, religionis zelo, caritate et dexteritate, iniuncto muneri cum cumulatissime fecissent satis, nonnulla pro rectâ rerum omnium administratione et stabilitate ediderunt decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta sacrae visitationis apostolicae ecclesiae S. Thomae et collegii Anglorum de Urbe.

DE ECCLESIA.

Reparationes faciendae.

Cum ex inscripto lapide de consecratione ecclesiae constet, ut in quolibet anno v. kalendas octobris celebretur commemoratio, signa consecrationem denotantia, temporis antiquitate quasi penitus deleta, renoventur.

---

examinatorum significatione sibi verbo vel scripto facienda, eos ingenio aptos et moribus probatos et tales, qui recipi debeant, illos admittant.

Forma probationis faciendae ab ipsis antequam admittantur, et forma iuramenti praestandi post admissionem rectori collegii.

§ 15. Postquam vero in collegio recepti fuerint, non statim collegii alumni censeantur, sed per quatuor aut sex menses, plus vel minus, prout superioribus et collegii moderatoribus visum fuerit, eorum conversatio probetur; deinde, si collegio digni videbuntur, iuramentum praestent se vitam ecclesiasticam perducturos, seque omni tempore ad iussum superiorum in patriam revertendum, et ad animas quantum in Domino potuerint adiuvandas paratos fore.

Facultas absolvendi alumnos a quibusvis excessibus, etiam reservatis in bulla Coenae Domini, ut hic.

§ 16. Ceterum rectori presbytero dicti collegii pro tempore existenti, ut per se vel confessarium idoneum, quem duxerit eligendum, singulos alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quavis occasione vel causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, et a quibusvis peccatis, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis (conspirationis in personam vel Statum Romani Pontificis, falsitatis scripturarum et litterarum apostolicarum, delationis armorum vel aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in praelatos, dumtaxat exceptis), absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem iniungere; eosdemque super irregularitate ab eis quomodolibet contracta (homicidii voluntarii, bigamiae et haeresis casibus dumtaxat exceptis) dispensare libere et licite valeat, liberam tribuimus facultatem.

Clausulae praeservativae.

§ 17. Decernentes praedicta omnia perpetuo subsistere, sicque in illis universis et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; nec non irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 18. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quaesito, et de vero valore fructuum exprimendo, ac de commissione in huiusmodi unionibus facienda, et vocandis quorum interest, necnon Lateranensis concilii novissimi celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis constitut.; ac hospitalis Urbis et Camerae praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et eisdem senatori, consulibus, reformatoribus, Camerae, Universitatibus, ac eorum collegiis, rectoribus et personis aliisque praedictis, necnon populo Romano vectigalibus, redemptoribus et aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, aut etiam in favorem hospitalium concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Indulgentiarum concessio pro scholasticis, rectoribus et ministris collegii.

§ 19. Ut vero temporalibus commodis spiritualia quoque munera coniungamus, quibus fidelium devotio eis munita crescere magis et augeri possit, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus scholasticis, rectoribus et ministris, qui in hoc collegio recepti fuerint, in ipso ingressu, ac etiam quos in eodem collegio decedere ab humanis contigerit, si poenitentes et confessi vere ipsi fuerint, in mortis articulo, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in perpetuum concedimus.

Nulli ergo etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXVIII., nono kalendas maii, pontificatus nostri anno VI.

Reaptentur lacunaria et tecta, quorum portio ad meridiem vergens decliviori casu deprimatur, renovatis tignis pluviali aquâ marcidis.

Ligneum altare S. Sabini episcopi ex lapidibus construatur, et altare SS. Crucifixi in lateribus restauretur.

Antiphonaria librique chorales rubris obtegantur membranis, et oricalchi muniantur fibulis.

Dealbentur tabulae chorum dividentes a mesaulâ ecclesiae supraposità, in cuius extremitate erigitur sacellum B. Mariae Virnini dicatum, quod decentiori formâ custodiendum decernimus.

Liber retinendus pro adnotandis nominibus mortuorum.

Cum ex Bullâ Eugenii Papae IV. concessum fuerit ecclesiae ius tumulandi, retineatur liber, in quo nomina defunctorum eorumque tumulationis dies adnotentur, ne imposterum ambigendum sit de privilegio nuper in iudicium revocato a parocho S. Stephani de Cacco.

De sacrario.

Sacrae supellectiles renovandae.

Conficiatur infra mensem inventarium sacrarum supellectilium et linteaminum, descriptis etiam argenteis vasibus, et officium custodis sit omnia in suo ordine disposita non minus fideliter quam perpulite asservare.

Addantur armaria, ut lintea et sacra supellex commodius extendatur; quod si angustia sacrarii non omnia custodienda patiatur, ex superioribus cubiculis unum pro dicto usu occupetur.

Planetae viridis et violacei coloris cum duobus manipulis et stolis albis renoventur.

Officium praefecti secretarii.

Praefectus spiritûs sit etiam praefectus ecclesiae et sacrarii, et omnia, quae ad utriusque pertinent, accurate disponat; et quolibet mense, confecto catalogo missarum et orationum dicendarum, in qualibet recurrentis mensis hebdomada de onerum adimplemento diligenter inquirat.

De oneribus perpetuis.

Singulis legatorum satisfaciendum oneribus.

In conficiendâ novâ tabellâ onerum missarum in sacrario detinendâ adnotetur missa perpetua, elapsis mensibus relicta ab equite Thoma Déhéram iuxta declarationem faciendam a sacrâ Congregatione Concilii, et infra duos menses doceatur de adimplemento omnium legatorum; praeterea in libro missarum scribatur proprio celebrantium charactere non tantum dies, verum etiam altare, in quo et pro quibus fuerit celebratum.

De hospitio peregrinorum.

Qui sint hospitio excipiendi, et quoto tempore.

Nemo excipiatur hospitio, nisi sit Anglus et Catholicus, praebeatque litteras testimoniales vicariorum apostolicorum Angliae, et Romam venerit devotionis causâ.

Peregrini nobiles per triduum, ignobiles per dies octo alantur, sicut et sacerdotes, licet nobilitate fulgentes; in reliquis observentur antiqua hospitii statuta et decreta Cardinalis Francisci Barberini senioris.

In eleemosynis, quae laudabili consuetudine quotidie ex mensae reliquiis per cystulas egenis partiuntur, familias pauperum Anglorum praeponendas mandamus.

De valetudinario.

Infirmorum curator.

In quolibet valetudinarii cubiculo exiguum habeatur tintinnabulum, ut infirmi per eius sonitum commode vocare possint curatorem aegrotantium.

Ad invisendos infirmos non adeant simul omnes eiusdem camerae alumni, sed tantum duo vel tres horâ recreationis arbitrio eorumdem infirmorum de licentiâ patris ministri.

De bibliotheca.

De libris controversiarum augendis.

Augeantur aequo sumptu libri controversiarum catholicorum auctorum, haereticas praecipue Anglorum opiniones refellentium.

Distribuantur dies, quibus per classes separatim alumni uti valeant bibliothecâ, ne ad eam turmatim accedant.

Nemo libros sine licentiâ patris rectoris in scriptis obtinendâ in proprium cubiculum deferat, et, nactâ facultate, tradat bibliothecae custodi licentiae schedulam, adnotando sub eâ proprio charactere nomen suum, et librum sibi commodatum.

De archivio.

Infra tres menses ordinatim disponantur scripturae et libri relative ad generalem indicem in archivio repertum, et iuxta quem fuerunt olim diligenter retenti.

De collegio.

Porta clathrata introrsum atrii a ianitore clausa custodiatur, ne per eam discurrentibus alumnis per deambulacrum ad vestibulum pateat aditus.

Alumni neque morentur, neque accedant ad vestibulum, neque extraneos in collegium, multoque minus in cubicula admit-

tant absque licentiâ patris rectoris seu ministri.

DE CUBICULIS ALUMNORUM.

Cubicula unius camerae et alterius.

Ordo cubiculorum ita disponatur, ut cubicula unius camerae sint prorsus distincta atque seiuncta a cubiculis alumnorum alterius camerae.

Cum de more in quolibet semestri immutanda sint per sortes alumnorum cubicula, eis vetitum sit tabulas pictas, aliasque imagines, praeter illas retineri solitas, muris figere, ne per glutinamentum sive clavorum foramina dealbati parietes deformentur.

Eisdem pariter alumnis sociorum introductio in cubicula atque comestibilium retentio sine licentiâ superiorum sit omnino vetita.

Non liceat alumnis studii tempore et horis somno assignatis e cubiculis egredi, et cura sit patris ministri per se ipsum vel per alium diu noctuque non modo cubicula, sed etiam armariola alumnorum saepesaepius explorare.

DE OFFICINIS.

Officialis cuiuscumque officinae, et praesertim custos cellae vinariae et obsonator, librum retineat, in quo dietim et distinctim adnotetur introitus et exitus rerum, ad quamlibet ex officinis spectantium, ut computa a patre rectore vel collegii ratiocinatore semper et quandocumque exigi possint.

DE COENACULO.

Dum per alumnos in primâ mensâ epulatur, rigorosum observetur silentium, ut pabulo sacrae et ecclesiasticae lectionis manducantes spiritum reficiant.

Nulla penitus differentia intersit inter mensam patrum Societatis in collegio degentium et mensam alumnorum; quintâ et septimâ feriâ una addatur portio, ut prandium suam singulis hebdomadae diebus quantitatem conformem habeat; solemnioribus autem festis, una ex multis portionibus de more dari solitis subducatur: merendae autem, quae diversis anni temporibus praebentur, omnino tollantur; arbitrio tamen patris rectoris relinquitur facultas concedendi merendas, dum autumnalibus vacationibus Monte Portii alumni rusticantur; et denique, praeter ientaculum, prandium et coenam, vetitum sit qui dminimum cibi vel potus, sive ruri, sive in Urbe, alumnis suppeditare.

DE ADMINISTRATORIBUS COLLEGII.

Numerus patrum Societatis Iesu collegio in servitium.

Administratio et gubernii cura in Anglico exercenda collegio cum provide fuerit a Gregorio XIII. patribus Societatis Iesu commissa; idcirco a superioribus dictae venerabilis Societatis destinentur quinque religiosi sacerdotes et quatuor fratres laici, quibus collegii cura sit demandata, neque praefixus numerus quovis praetextu absque speciali facultate eminentissimi protectoris augeatur neque minuatur, ne per incrementum religiosorum numerus alumnorum decrescat, vel per detrimentum necessarii deficiant officiales.

Ex sacerdotibus constituatur rector, minister, praefectus spiritûs et duo magistri; ex laicis ianitor, distributor, obsonator et socius patris rectoris. Praeterea duo adsint praefecti sacerdotes saeculares, et quatuor famuli stipendio conducti, nempe coquus et eius adiutor, sartor et sutor.

DE RECTORE.

Rector ex Italis desumendus.

Cum non modo rectoris officium sit ea quae ad domesticam collegii disciplinam, sed etiam quae ad rectam reddituum administrationem pertinent exercere, in quo maxima requiritur solertia ad compescendas ministrorum oeconomiam exercentium fraudes atque incuriam, ex quibus collegium non leve tulit detrimentum; ideoque statuimus, ut imposterum deputandi sint rectores Itali, dummodo tamen ex patribus Societatis non adsit Anglus qui diu in Italiâ versatus reperiatur idoneus ad officium rectoratus exercendum: sed cum patris Henrici Sheldon zelus et industria in dicto officio nobis innotescat, confirmandum esse duximus per aliud triennium, et ultra, quatenus expedire videbitur.

Iniungimus rectori pro tempore existenti omnia ad suum munus spectantia, et in praesentibus decretis per nos sancita, accurate et diligenter adimplere, et suo exemplo ceteris praeesse, ut unusquisque, a Deo ad evangelicum opus apostolici instituti vocatus, suum munus, de quo erit Deo rationem redditurus, quam diligenter absolvat.

DE MINISTRO ET PRAEFECTO SPIRITUS.

Patris ministri vigilantiae committitur, ut ab alumnis constitutiones, nec non decreta in praesenti apostolicâ visitatione circa eorum disciplinam exarata, adamussim

observentur; et praefecti spiritûs sit nedum illos solidâ pietate imbuere, sed etiam in quolibet mense speciali instructione eis proponere quae missionario decent, et quae sint virtutes excolendae et quae vitia a vineae Christi cultore praecipue vitanda.

De magistris.

Duo sint in collegio magistri, unus controversiarum et sacrae Scripturae, alter theologiae moralis; lectiones vero proponendae aptentur speciali instituto Anglicae missionis, ad quam per iusiurandum fuerunt alumni feliciter vocati.

Magister controversiarum sit etiam praefectus studiorum, et sedulo inquirat de profectu studentium, atque eos particularibus exerceat disputationibus suis congruis temporibus praefiniendis.

Magister theologiae moralis habeat onus repetendi lectiones in Collegio Romano auditas a logicis et methaphysicis.

De laicis et famulis.

Fratres laici et famuli singillatim observent ea quae disponuntur in instructione decretis adiiciendâ.

De numero alumnorum.

Licet ex Bullâ fundationis praescribatur numerus quinquaginta alumnorum, quibus addendi sunt alii duo ex legatis Hugi Orvens et Bernardini Pippi, attamen cum praesentes collegii redditus ad alendum praescriptum numerum minime sufficiant, pro nunc ad quinquaginta tantum comprehensis duobus alumnis legatariis reducimus.

De admittendis et de methodo observanda in admissione alumnorum.

Qualitates admittendorum.

Nemo admittatur inter alumnos, nisi sit anglus catholicus, et, qui natus fuerit in exterâ regione, saltem a patre anglo sit genitus.

Admittendi humaniores calleant litteras, ut illico ad logicae studium valeant incumbere: et cum hac sanctione, a Bullâ et regulâ fundationis praescriptâ, saepe saepius non sine maximo anglicae missionis detrimento recessum fuerit, ideoque districte iubemus ne imposterum iuvenes in alumnos quavis de causâ recipiantur, nisi humanarum litterarum studia absolverint.

Cum optimus iuvenum delectus non parum ad assequendos uberrimos religiosae institutionis fructus proficiat, summa itaque in electionibus faciendis diligentia adhibeatur; et infrascriptam methodum observandam mandamus:

Rector per annum antea eminentissimum Cardinalem protectorem, penes quem tota sit electionis potestas, certioret quae loca fuerint sequenti anno vacatura, ut, expeditis per eum litteris ad vicarios Angliae pro habendis novis alumnis, committat examen iuxta formam praescriptam a decretis Cardinalis Barberini senioris; si vero vicarii apostolici optatis iuvenibus careant, tum ab eminentissimo protectore alumni ex collegiis Duaci et Audumaropoli exquirantur.

Antea probandi per aliquot menses.

Ad praeelectos candidatos expediantur litterae nominationis subscriptae ab eminentissimo protectore, et eius sigillo munitae, quibus electi Romam venientes labente autumno ingressum in collegium obtinebunt; verum, priusquam in alumnos excipiantur, per quatuor aut sex menses in probatione manebunt; quo tempore officium sit rectoris, ministri et studiorum praefecti de moribus, indole, ingenio, valetudine et vocatione sedulo inquirere, ut, si quis minus idoneus reperiatur, cum assensu eminentissimi protectoris statim dimittatur.

Elapso probationis tempore in alumnos cooptandi per spiritualia exercitia de iuramento praestando a praefecto spiritus triduo instruantur; quibus absolutis, iuramentum ab Alexandro VII. praescriptum coram patre rectore praestent, subscribendo ulterius formulam praedicti iuramenti, cuius exemplar sacrae Congregationi de Propagandâ Fide servandum tradatur.

De alumnorum dimissione et viatico.

Alumni, qui studiorum cursum compleverunt, et ad sacrum presbyteratus ordinem fuerunt evecti, priusquam ad Angliae missionem expediantur, deputatis examinatoribus ab eminentissimo protectore coram patre rectore diligenti subiiciantur examini, et idonei reperti, ad missionarii munus subeundum, litteris commendatitiis dicti eminentissimi protectoris ad vicarios apostolicos directis, muniantur, atque in Angliam designato itinere, necnon soluto, arbitrio eminentissimi protectoris, viatico scutorum quadraginta, mittantur.

Caveant alumni ita dimissi, et Angliam profecturi, ne in exteras vagent regiones, minusque a iuratâ vocatione quovis praetextu, etiam melioris boni, deflectant; qua-

propter recto tramite et expedite ad exercendam missionem se conferant, vicariisque apostolicis se sistant, eorum mandatis in evangelico ministerio accurate obtemperando.

Alumni apud monasteria monialium Anglicarum in Belgio degentes sacramento praestito non satisfaciunt.

Cum vero nonnulli ex alumnis sibi male suadeant missionis iuramento satisfacere, si apud monialium anglicarum conventus et monasteria in Belgio existentia confessarii munus suscipiant: maturo hac de re per nos habito examine, necessarium duximus declarare, quod, cum collegii institutum consulere voluerit missionibus peragendis in Angliâ haereticâ pravitate laboranti, praedictum munus, tamquam in exterâ et catholicâ regione exercitum, a rectâ collegii institutione declinat. Vicariis tamen apostolicis relinquimus facultatem eligendi alumnos in confessarios praedictorum conventuum et monasteriorum, dummodo alii deficiant idonei presbyteri qui tali munere perfungantur, et de hac facultate praedicti vicarii apostolici certiores fiant.

De alumnorum gubernio.

Alumni omnes in duas pro nunc partiantur cameras, et earum cuilibet praesit sacerdos saecularis, qui tamquam praefectus camerae vigili curâ et prudentiâ eam moderetur, nec sinat quidpiam minus modeste et pie redolere; et si quid corrigendum duxerit, omnia sincere et fideliter rectori et ministro patefaciat.

Inter utramque cameram, quovis tempore etiam autumnalis rusticationis, nullum intersit commercium: quod si alumnus camerae aliquid conferre habeat cum alumno alterius camerae, impetratâ prius licentiâ patris ministri seu rectoris, atque ei expositâ causâ, coram praefecto Camerae alumni postulati italice alloquatur.

Praefectus camerae in associandis alumnis extra collegium curam adhibeat, ne immodeste turmatim et nimis velociter incedant, et ne devient a locis ante egressum a patre ministro designatis.

Constitutiones per nos noviter editae de alumnorum disciplinâ fideliter observentur, et si quid dubium aut omissum in illis inveniatur, in levioribus tantum sit in rectore facultas interpretandi atque adiiciendi, neque alumni quovis praetextu ab eius iudicio audeant divertere.

De alumnorum pietate et studiis.

Cum in pietate et studiis reposita sit spes evangelici fructus ex alumnorum educatione praemaxime optati, idcirco districte praecipimus ut omnia pietatis officia laudabiliter introducta sedulo et accurate compleantur, et pro ratione studiorum nova statuatur methodus, per quam nedum alumni in scholis Romani Collegii logicam, methaphysicam, theologiam speculativam, linguasque graecas et hebraicas percipiant, verum etiam in collegio privatas habeant lectiones sacrae Scripturae, controversiarum et theologiae moralis peculiari eorum instituto accommodatas. Qua de re duo in collegio habeantur magistri, qui quotidianis lectionibus et congruis disputationibus scholares exerceant, atque eos ad missionis officium idoneos reddant, et ordo lectionum repartiendarum imposterum observandus praescribatur.

De convictoribus.

Nemo uti convictor recipiatur, nisi viaticum in manibus patris rectoris pro discessu deponat, et anticipate alimenta persolvat, et omnia quae de alumnorum victu, vestitu et disciplinâ sancita sunt, indiscriminatim, praeter iuramentum missionis, observare promittat.

De statu temporali collegii.

Exhibeantur in mense martii cuiuslibet anni computa eminentissimo protectori, qui cum animadversionibus sui ratiocinatoris ea transmittat ad secretarium sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, ad effectum examinandi statum oeconomicum in particulari congregatione constituendâ ex eminentissimis et reverendissimis Cardinalibus praefecto et protectoribus regnorum Angliae, Scotiae et Hiberniae cum secretario praedictae Congregationis.

Insuper, ad evitanda damna collegii redditibus per administratores stipendio conductos grave nimis illata, necessarium duximus praescribendo annectere modum, quo sit imposterum oeconomica administratio a praedictis officialibus exercenda.

Ientaculum, quod per abusum suppeditari consueverat famulis eminentissimorum Cardinalium sacrae Congregationis immunitatis ad festum S. Thomae Cantuariensis convenientium, omnino tollatur.

Rector intra sex menses debet docere de adimplemento huiusmodi decretorum.

Tandem, cum parum proficiat novas condere leges, nisi in praxim disposita reducantur, et in memoriam saepe saepius revocentur: propterea patri rectori iniungimus, ut, infra sex menses, de adimplemento in hac apostolicâ visitatione praescriptorum

eminentissimum Cardinalem protectorem certiorem reddat, atque bis in anno cum interventu omnium ministrorum et officialium decreta et instructiones per nos modo statutas mandet tempore prandii legendo promulgari.

Et ita, salvo, etc.

Datum XI. maii MDCCXXXVI. T. A. Cardinalis DE VIA visitator apostolicus, D. Cardinalis RIVERA visitator apostolicus, PHILIPPUS DE MONTIBUS, secretarius Congregationis de Propagandâ Fide, a secretis.

Ex audientiâ sanctissimi die XVI. septembris MDCCXXXIX: Sanctissimus supradicta omnia approbavit, et litteras confirmatorias in formâ Brevis expediri mandavit. PHILIPPUS DE MONTIBUS.

Eadem confirmat Pontifex.

§ 4. Praeinserta autem decreta cum proficua ac salutaria probavissemus, quo firmius subsistant et serventur exactius, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, apostolicae firmitatis robur iisdem adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, sanamus et supplemus.

Servandaque ubique statuit.

§ 5. Decernentes, eadem decreta, ac praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollens.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. septemb. MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno X.

LII.

Confirmat regulas et constitutiones monachorum Maronitarum Ordinis Sancti Antonii abbatis Congregationis Sancti Isaiae in Syriâ (1).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Primus definitor huius Congregationis Romam concedit.

§ 1. Misericordiarum pater et Deus totius consolationis, qui semper, ac praesertim inter gravissimas sacrosancti apostolatus curas et sollicitudines, consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ut et ipsi paternâ caritate complectentes eos qui in omni pressurâ sunt consolari possimus, ineffabili bonitate suâ consolatus est nos in adventu dilecti filii Petri Hataya monachi expresse professi ac primi definitoris Ordinis Sancti Antonii abbatis Congregationis Syriae Sancti Isaiae appellatae.

Nomine totius Congregationis Papae porrigit constitutiones approbandas.

§ 2. Hic autem e Syriâ, ubi orthodoxa catholica fides inter adversas superstitionis et haeresis sectas a Maroniticâ natione huic Sanctae Sedi semper addictissimâ integerrime colitur et custoditur, adveniens, nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Simonis Hariddi abbatis generalis, et Abrahami Esaf, Bimini Agia, Petri et Pauli Chiami definitorum, atque omnium monachorum Ordinis et Congregationis praefatorum exponi fecit, quod, licet ipsi (2) easdem constitutiones, in nonnullis levibus rebus immutatas, quas, per alias nostras in simili formâ Brevis die XXI. martii anno MDCCXXXII. expeditas litteras a nobis approbatas et confirmatas, dilecti itidem filii monachi Syri Maronitae eiusdem quidem Ordinis S. Antonii abbatis sed Congregationis Montis Libani dictae observant, deque ipsorum Congregatione S. Isaiae in praefatis litteris nostris facta fuerit mentio, tamen, ut fidelem et constantem, quam eidem Sanctae Sedi profitentur, observantiam et obedientiam alacrius testatam faciant, et nationalis synodi novissime in Monte Libano praedicto celebratae decreto, in quo praescriptum fuit ut monachi omnes Maronitae suas constitutiones ab Apostolicâ Sede praefatâ approbandas et confirmandas curarent, parere satagant, constitutionum huiusmodi, ut praemittitur, iam approbatarum confirmatarumque pro eâdem Congregatione Montis Libani, approbationem confirmationemque pro ipsorum Congregatione Sancti Isaiae desiderantes, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et de apostolicâ benignitate indulgere dignaremur.

§ 3. Constitutiones autem sunt tenoris sequentis, videlicet:

(1) Ex Bull. de Prop. Fide vol. II., pag. 309.

(2) Videtur deesse *habeant* vel *observent*.

Constitutiones Monachorum Synorum Maronitarum Ordinis Sancti Antonii Abbatis Congregationis Sancti Isaiae Syriae nuncupatae... (1).

Supra relatas constitutiones plenissime probat Clemens.

§ 4. Nos igitur, ipsorum Simonis abbatis, et Abrahami, Bimini ac Pauli definitorum et monachorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, istiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas regulas ac constitutiones praeinsertas, et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumlibet in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, si qui in praemissis principaliter vel accessorie, aut alio quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, penitus et omnino supplemus et sanamus.

Sicque semper et ubique servari iubet et definiri.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras, ac regulas et constitutiones praeinsertas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam Congregationi et Ordini praedictis illorumque superioribus monachis et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, sic impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die XVII. ianuarii MDCCXL., pontificatus nostri anno XI. (2).

(1) Brevitatis gratia Constitutiones omittimus, quas vide in Bull. edit. taurin. vol. XXIV., p. 605.

(2) Cum iam expletum esset hoc vol. et typis mandatum, in Tab. Cong. de P. F. invenimus lit. ap. Clem. XII. in forma brevis *Supremum apostolatus* dat. die XXI. iulii MDCCXXXVII., quibus confirmatur decretum Cong. Part. de P. F. habitae die X. sept. MDCCXXXVI., quo demandatum fuerat Vic. Ap. Scotiae excipere a missionariis, antequam facultates eis concederent, subscriptionem formulae condemnationis de erroribus Bai etc.; quapropter hic eas referre haud potuimus, verum lector in appendice inveniet.

INDICES

HUIUS SECUNDI VOLUMINIS

INDEX

ROMANORUM PONTIFICUM QUORUM ACTA
IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR



INDEX INITIALIS

INNOCENTIUS XI.

ALEXANDER VIII.

INNOCENTIUS XII.

CLEMENS XI.

INNOCENTIUS XIII.

BENEDICTUS XIII.

CLEMENS XII.



INDEX RUBRICARUM

INNOCENTIUS XI.

ALEXANDER VIII.

INNOCENTIUS XII.

CLEMENS XI.

INNOCENTIUS XIII.

BENEDICTUS XIII.

CLEMENS XII.

INDEX

DOCUMENTORUM QUAE IN NOTIS HUIUS VOLUMINIS INVENIUNTUR

ERRATA	CORRIGENDA
Pag. 19, in argumento: *Sanctorum servanda sunt approbantur.*	*Sanctorum servanda sunt.*
Pag. 211, in arg.: *Occidentalibus exemptio*	*Occidentalibus exemptionem*
Pag. 390, in arg.: *Vicarium Apostolicum in insula*	*Vicarium Apostolicum in insulis*

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Julius Lenti Patriarch. Constantinop. Vicesgerens.